
6
40 K
9



R. PATRIS CHRISTOPHORI CASTRI OCANIENSIS

E SOCIETATE IESV

THEOLOGI, ET IN COMPLVTENSI olim, nunc in Salmanticensi collegio eiusdem Societatis sacrarum literarum Professoris

IN SAPIENTIAM SALOMONIS

BREVIS, AC DILVCIDVS COMMENTARIVS.

Iam primùm in lucem emissus, & suis INDICIBVS *pernecessariis, ac vtilissimis illustratus.*






LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DCXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Ex dono Horatij Cardon



ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D. D. DIDACO GVZMANIO

PHILIPPI III. CAPELLANO primario, simul & Eleemosynario; ac serenissimæ Infantis eius filiæ Magistro meritissimo,

CHRISTOPHORVS CASTRVS è Societate IESV, S. P. D.



Ria sunt (vir clarissime) quibus obsequium alteri, & cultum debemus; officia ab illo ad nos profecta, merita virtutis eximia, honores summi. Quibus nos, Societatemq́; nostram officiorum generibus deuinxeris, stultus qui nesciat, amens qui neget. Patet per te aditus nostris Confessariis in Regiam familiam; Concionatoribus ad statas, solennésque conciones in æde Principis. Quid si studium considerem, quo hæc à te fiunt? quid si eleemo-

ſynas, quibus noſtram inopiam ſubleuas? Ea eſt natura tuæ bonitas, vt de noſtris ſemper honeſtiſſimè loquaris, atque iis verbis, quæ ſatis animum tuum indicent, fauorem aperiant. O quoties te inter procellas malorum, quibus interdum obruimur, felici aura perflantem ſentimus! Debes aliquid (verum hoc certè) noſtris animis; ſed aliquid cùm debeas, multa cumulatiſſimè, non animo ſolùm, ſed opere exſoluis. Iam quæ tuarum virtutum merita? vis dicam vno verbo? Non te humanus fauor, ſed virtus extulit. quantum eſt hoc? nullum eſt æuum, in quo non corruptiſſimi mores, & ambitio perdita; atque adeò nihil maiore laude dignius, quàm aliquem inueniri, qui ſummos honoris gradus obtineat per excellentem virtutem. Sapit verè qui tantùm hoc fulcro honores conſequitur, ad quos cùm non nitatur, tantùm virtutem amat, ipſi illum conſequuntur. Honores ſileo qui omnium oculis conſpicui. Tu Philippi III. mortalium Regum maximi primarius Capellanus, & reliquorum Princeps: tu eiuſdem Eleemoſynarius, quod munus naturæ tuæ congruum: tu ſereniſſimæ Infantis Magiſter meritiſſimus, ad mores optimos infantili animo ingenerandos, vt loqui cùm neſciat, virtutem iam à te diſcat. Hæc, inquam, ſileo, & multa alia, quæ ſciunt omnes, & audire ipſe abnuis. Nemini enim, qui verè virtutem ſapit, grata ſunt virtutum ſuarum, & honorum præconia. Iſtæ me rationes commouerunt, vt hoc opus nomini tuo adſcriberem: & duplex

alia,

alia, quam silere non patiar, me natum eodem, quo tu oppido, vnde & mihi, & meo, ac tuo pariter oppido eximia laus accedit, & egregium decus: deinde his meis Commentariis librum Salomonis illustrari, qui de sapientia inscribitur. Ad quem ergo nisi ad sapientissimum confugerem in hoc opere dedicando? Habes itaque, vir clarissime, testatam amoris mei erga te voluntatem, qua hanc operam, quo possum animi obsequio, tuo nomini offero. Vale.



Ad ſtudioſum Lectorem.



CCE tibi, Lector ſtudioſe, in Sapientiam Salomonis breues Commentarios,in quibus prima cura fuit veterem Interpretem cum Græco textu, qui cum longo interuallo multis diſsidere videbatur,conciliare;deinde in non paucis obſcurum,dilucidum facere,non abſque neceſſaria eruditione:quod ſi aſſecutus fuero, gratum habeam; ſin minùs, dummodo intelligas quidquid diligentiæ adhibuerim,in tuam fuiſſe præſtitum vtilitatem, id mihi ſatis fuerit. Interim de Libri ratione te ſequens Iſagoge docebit, in qua de eius auctore, de auctoritate, de nomine, de argumento, & cæteris,quæ ſcire iuuabit,certior fies. Vale.

INDEX



INDEX QVÆSTIONVM PRÆCIPVARVM, QVÆ IN HOC COMMENTARIO tractantur.

Quæ

INDEX





INDEX AVCTORVM OMNIVM, TAM SACRORVM, QVAM PROFANORVM, qui hoc in Commentario citantur.

** Cypria

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in sacra Theologia Magister, & diuini verbi Prædicator, in sancti Pauli huiusce Ciuitatis Canonicus, atque in hac Lugdunẽsi Diœcesi Librorum Censor designatus: fidem facimus, nos hunc *R. Patris Christophori Castri Ocaniensis è Societate* IESV *Theologi, & in Complutensi olim, nunc in Salmanticensi collegio eiusdem Societatis sacrarum literarum Professoris, in Sapientiam Salomonis breuem, ac dilucidum Commentarium* perlegisse; omniáque in illo iuxta orthodoxam Catholicæ Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ, & sanctorum Patrum sanam doctrinam, summa cum eruditione & pietate exponi. Lugduni apud sanctum Paulum 1. die Augusti 1613.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE.

R. D. D.

R.D.D. Thomæ de Meſchatin la Faye, huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN-LA FAYE, Comes, Canonicus & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi : Opus, quod inſcribitur, *R. Patris Chriſtophori Caſtri Ocanienſis è Societate* IESV *Theologi, & in Complutenſi olim, nunc in Salmanticenſi collegio eiuſdem Societatis ſacrarum literarum Profeſſoris, in Sapientiam Salomonis breuis, ac dilucidus Commentarius*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni vigeſimâ die Auguſti 1613.

MESCHATIN-LA FAYE.

** 3 Facultas

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi.



NTONIVS SVFFREN Prouincialis Collegiorum Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. & Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Febr. 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque superiorum permissione imprimant: permittit Horatio Cardon Lugdunensi Bibliopolæ, vt *R. Patris Christophori Castri Ocaniensis è Societate* IESV *Theologi, & in Complutensi olim, nunc in Salmanticensi collegio eiusdem Societatis sacrarum literarum Professoris, in Sapientiam Salomonis breuem, ac dilucidum Commentarium,* ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni die 5. Nouemb. 1613.

SVFFREN.

Summa

Summa Priuilegii à Christianißimo Galliarum Rege conceßi.



VDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus Literis cautum, ne quis in Regno suo, aliísve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione conetur librum, qui inscribitur, *R. Patris Christophori Castri Ocaniensis è Societate* IESV *Theologi, & in Complutensi olim, nunc in Salmanticensi collegio eiusdem Societatis sacrarum literarum Professoris in Sapientiam Salomonis breuis, ac dilucidus Commentarius*, præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus suis subditis, eundem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel

quem

quempiam, vbicunque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti HORATII CARDON. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum in Fonte-bellaqueo, die vigesimatertiâ Octobris, anno millesimo sexcentesimo decimotertio.


De mandato Regis,

Signatum

BRVLART.

PHILIPPI III. *Hispaniarum Regis licentiâ, datâ Madriti vigesimaseptimâ die mensis Ianuarij, anno millesimo sexcentesimo decimotertio, & signatâ,* IORGE DE TOVAR, *concessum est Reuerendo Patri Christophoro Castro Ocaniensi è Societate* IESV *Theologo, vt Commentarium suum in Sapientiam Salomonis extraneo Bibliopolæ cui voluerit tradat manuscriptum, qui excudatur, atque in lucem emissus, virtute istius Licentiæ in omnibus terris suæ potestati subiectis, liberè diuendatur.*

ISAGOGE



ISAGOGE AD SAPIENTIAM SALOMONIS.

PRÆFATIO.



RROGANTIS, ac multùm sibi tribuentis videatur fortasse, è suggestu veluti, Sapientiam loquentem, seque ipsam vt magistram explanantem velle elucidare, ac commentariis nostris docentem interpretari: cùm discipulorum sit, ex ore magistri pendere, & paruulorum lac ex matris vbere sugere, atque potare. At cùm in alienam linguam, ex Hebraica, quæ illi propria it, in Græcam videlicet, & Latinam, fuerit translata, non per omnia imarium sermonem comprehendentem, nec explicantem, nobis visum fuerit & explanare loquentem, & commentariis nostris præ-ta tradentem elucidare: præsertim cùm elucidanti se vitam polli-rur æternam. Audemus igitur quæ ignoramus percontari: & quæ verborum inuolucris mysteria continentur inuestigare: ne è Sa-ntiæ gymnasio tanquam ignaui auditores, & otiosi discipuli rep-tur. Statim igitur in limine domus hæreamus, inquirentes quis Sa-ntiæ auctor? quid eo nomine præ se ferat? quo vtatur idiomate? d doceat? quos demum accersat discipulos? Vt his de rebus priùs cti Sapientiæ foribus pulsatis, in internam domum admittamur.

A Spiri

Spiritum sanctum fuisse libri Sapientiæ primum auctorem.

CAPVT I.

Sapientiæ librum non esse canonicum, qui afferant. Iosephus. Origenes. Nazian. Eusebius. Isidorus. Conc. Laodic. Athanasius. Epiphanius Hieronymus. Damascenus.

MAgna fuit olim inter priscos Patres concertatio de libri Sapientiæ diuina auctoritate, essétne canonicis Scripturis annumerandus? Nam illorum plurimi, qui catalogum librorum canonicorum suis scriptis inseruerunt, secuti Iosephum libro primo contra Apionem, Origenes, Nazianzenus, Eusebius, Isidorus, & Laodiceni concilij Patres cap. 59. vt non sacrum prætererierunt. Multi alij, nempe Athanasius in Synopsi, Epiphanius libro de ponderibus, & mensuris, Hieronymus in epist. 115. in prologo Galeato, & in 8. & 11. Zachariæ, & Damascenus lib. 4. fidei orthod. cap. 18. vt non canonicum recensuerunt, ad ædificationem plebis legendum tantùm in Ecclesia, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Quinimò Iudæi ipsi, auctoribus Epiphanio, & Damasceno, librum hunc à canonicis Scripturis repellentes in arca minimè reposuerunt: quare multò minùs ab Ecclesia recipiendus est.

Sapientiæ librum esse canonicũ, fides docet. Christus, & Apostoli ex illo sumunt testimonia.

Verùm auctorem huius libri primum fuisse Spiritum sanctum, ac proinde canonicis aliis adscribendum, diuina fide certum nobis est: quod ex antiquioribus pluribus ita fuerit persuasum. Et quidem à Christo, & Apostolis fuisse ex hoc libro testimonia desumpta, similiter ac ex aliis sacris, non difficilè demonstratur. Siquidem ex Sapientiæ 3. 7. *Fulgebunt iusti*, retulit illud Matth. 13. 42. *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum*. Deinde Matthæus cap. 27. 42. refert id quod habetur Sap. 2. 13. & 18. *Filium Dei se nominat: si enim est verè Filius Dei, suscipiet illum, & liberabit de manibus contrariorum*. Paulus quoque ad Rom. 11. v. 34 adducit id quod legitur Sap. 9. 13. *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* & ad Ephes. 6. 13. & 17. desumit id quod habetur Sap. 5. 18. 19. *Accipiet armaturam zelus illius, & induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, sumet scutum inexpugnabile æquitatem*. Sunt huiusmodi alia, quæ referre necesse non est.

Patres tanquã ex diuina Scriptura, sumunt ex eo testimonia. Clemens Rom. Dionys. Anacletus. Euaristus. Antherus. Cyprianus.

Præterea viri Apostolici, ac sancti Patres testimonia ex hoc libro desumpta, vt Scripturam sacram referre consueuêre. Clemens Roma. in 1. sua epistola, Dionysius Areopagita libro de Diuinis Nom. cap. 4. Etiam primis, inquit, Scripturæ sanctæ institutionibus inuenies quendam hæc dicentem de diuina Sapientia, *Amator factus sum pulchritudinis eius*. Anacletus Papa in 2. sua epistola, Euaristus in prima, Antherus in Decretali, Cyprianus epist. 81. Et iterum, ait, vbi loquitur Scriptura diuina de tormentis, quæ Martyres Dei consecrant, & in ipsa

passionis probatione sanctificant; & si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Et libro de mortalitate, cap. 8. Sed & per Salomonem docet Spiritus sanctus eos, qui Deo placeant, maturiùs istinc eximi. *Raptus est*, inquit, *ne malitia mutaret intellectum eius*. & lib. de exhortatione Martyrum, cap. 11. Quæ spes, & merces maneat iustos, & Martyres post conflictationes huius temporis, & passiones, per Salomonem Spiritus sanctus ostendit, & prædicauit, dicens, *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, &c.* Et libro de habitu virginum. Cùm dicat, inquit, Scriptura diuina, *quid vobis profuit superbia?* Gregorius Nazian. orat. 2. de Theologia. Quomodo, inquit, illud tueri poterimus, quod ait Scriptura, *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum?* Cyrillus etiam Alexan. libro 2. in Iulianum, vltra medium, Scripturam vocat diuinam, & Concilium Sardicense in epistola ad omnes Episcopos, probans filium genitum à Patre, vt refert Theodoretus lib. 2. histor. cap. 8. Vt facit similiter Concilium II. Toletanum cap. 1. sic inquiens. Nam si attendamus illud quod Scriptura sancta dicit de Sapientia, *Splendor est lucis æternæ.* Suffragatur his omnibus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 8. cùm inquit: Illi duo libri, vnus qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Prophetas numerandi sunt. Et lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap. 14. Sed qui sententiis tractatorum, ait, instrui volunt, oportet, vt istum librum Sapientiæ, vbi legitur, *Raptus est, ne malitia immutaret cor eius*, omnibus tractarionibus anteponant: quem sibi antepofuerunt, etiam temporibus proximi Apostolorum egregij tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere nisi diuinum testimonium crediderunt.

Gregorius Nazian. Cyrill. Alex. Conci. Sardic. Theodoretus. Conc. Toler. II Augustinus.

Demum id definitum est in Concilio Carthagin. III. cap. 47. & ab Innocentio I. in epist. ad Exuperiũ Tolosanum Episcopũ, & in Conc. Florentino, in vnione Armenorum, & Tridentino in decreto de libris Canonicis, sess. 4. Quare meritò Gelasius in catalogo, & Melito Asianus in epistola ad Onesimum in numero sanctarum Scripturarum Sapientiam ponunt. Quòd verò nec Hebræi, nec multi ex Patribus hũc librum inter canonicos reposuerint, mirum non est, cùm Ecclesia ab Spiritu sancto illustrata, de hac veritate priùs non omnibus comperta, cum tempore tandem edocta fuerit.

Sapientiæ liber canonicus definitur ab Ecclesia. Conc. Carthag. Innoc. I. Conc. Florent. Conc. Trident. Gelasius. Melito.

Salomonem fuisse libri huius auctorem.

CAPVT II.

DE auctore huius libri, quo ministro vsus est Spiritus sanctus, difficile est rationem reddere: etenim Augustinus pro certo ha

Prima de auctore libri sententia. Augustinus.

buit libro 2. de Doctrina Christiana, cap. 8. & libro 17. de ciuitate Dei, cap. 20. non esse Salomonem. Quod si ex Augustino perconteris, quem ergo illi auctorem assignabimus? respondet illo priori loco, Iesum filium Syrach, qui fuit quoque auctor Ecclesiastici. Sed quia hoc absque auctoritate protulerat, libro Retractationum 2. cap. 4. retractauit.

Secunda sententia. Hieronymus. Isidorus lib. 6. Etymolog. c. 2.

Hieronymus in epistola 115. quæ præfationem continet librorum Salomonis, ex multorum sui temporis Doctorum sententia, affirmauit huius libri auctorem fuisse Philonem Iudæum Alexandrinum, Græcè eloquentissimũ; eique suffragantur Lyranus, Hugo, Dionysius, & Iansenius in proœmio Prouerbiorum; cum hac tamen moderatione, vt asserant, sententias quidem Salomonis esse, à Philone autem in hunc librum Græcè collectas. Sed huic asserto multa videntur aduersari. Primùm, quòd hic liber veteris Testamenti libris annumeratur: at Philo post Christum vixit, vsque ad annum sexagesimum sextum ab eius natiuitate. Deinde quia Christus & Apostoli, vt iam ostendimus, ex hoc libro testimonium desumpsêre; virique Apostolici Clemens Romanus, & Dionysius Areopagita, qui vel Philonem præcesserunt, vel synchroni eius fuerunt. Ante Philonem igitur iam liber Sapientiæ in lucem editus legebatur. Tertiò, quia vel illæ Salomonis sententiæ collectæ iam habebantur in aliquo libro; ex quo eas referebant Christus, Apostoli, virique Apostolici, vel non. Si non, vnde ergo eas collegit Philo? Si iam collectæ erant, vel Hebraicè scriptæ, vel Græcè? Non Hebraicè, quia propterea in canonem non admittebant hunc librum Hebræi; nec est vllus, qui id affirmet. Græcè igitur. Iam ergo ante Philonem, imò ante Christum erant Græcè traditæ hæ primæ Scripturæ sanctæ institutiones, vt vocauit Dionysius. Itaque non fuêre à Philone collectæ.

Philo Alex. non fuit auctor libri Sapientiæ.

Tertia sententia.

Recentiores nonnulli dictis rationibus persuasi librum non fuisse editum à Salomone, neque à Philone Alexandrino conscriptum, Philonem seniorem excogitarunt, qui sub Onia Pontifice Ptolomæo Philadelphio has institutiones Græcis Græcas tradidit. Vel certè sententias Salomonis collectas hoc libro complexus est Spiritu sancto dictante, vt Prou. 25. parabolæ quædam Salomonis dicuntur in librum translatæ à viris Ezechiæ regis Iuda, cùm antea in schedulis dispersæ fortè haberentur. Hunc dicendi modum secuti sunt Driedo libro 1. de Dogmatibus, Bellarminus tomo 1. controu. lib. 1. de verbo Dei, cap. 13. & Genebrardus lib. 2. Chronologiæ, ad annum mundi 3830. qui quoque putat fuisse vnum ex septuaginta duobus Interpretibus, vt fuit Iesus auctor Ecclesiastici. Sed cùm antiquiorum nullus senioris illius Philonis vllam fecerit mentionem; neque è septuaginta duobus Interpretibus aliquis reperiatur eo nomine vocatus in historia, quam de illis scripsit Aristeas, & veteres illi iuniorē Philonem

Philo senior non fuit libri auctor.

lonem auctorem fecerint huius libri, fingunt certè hi boni Doctores seniorem Philonem, quo faciliùs bona coniectura difficultatem euadant. Nisi velint sacri libri auctorem facere Biblium Philonem, hominem Phœnicem, & à lege Dei extraneum, qui victoriam Phœnicum Sachoniatonis Græcè traduxit, vt meminêre Iosephus in libro 1. contra Apionem, & Eusebius lib. 1. de Præparatione Euangelica, cap. 6. & 7. aut Philonem Academicum, Ciceronis præceptorem. Alius enim ante Christum nullus agnoscitur.

Philo Biblius.
Iosephus.
Eusebius.
Philo Academicus.

Salomoni potiùs vt proprium fœtum hunc librum tribuamus, vt olim tribuit vniuersa penè Ecclesia. Sic enim affirmat Eusebius lib. 4. Ecclesiasticæ historiæ, cap. 22. Verùm, inquiens, & hic ipse Egesippus, & Irenæus, & omnis antiquorum chorus librum, qui intitulatur Sapientia, Salomonis esse dixerunt, sicut & Prouerbia. Longiores essemus, si vniuersa Patrum testimonia vellemus afferre Salomoni librum hunc tribuentium: selectiora non prætereamus. Tertullianus lib. de Præscriptio. cap. 7. Nostra, ait, institutio de porticu Salomonis est; qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quærendum. Idem libro aduersùs Valentinum, cap. 2. Porrò facies Dei expectat in simplicitate quærentes, vt docet ipsa Sophia, non quidem Valentini, sed Salomonis. Cyprianus nunquam testimonium ex hoc libro refert, refert autem frequentissimè, quin auctorem faciat Salomonem; præsertim in tribus libris Testimoniorum ad Quirinum, & lib. de exhortatione Martyrum, cap. 12. & libro de singularitate clericorum. Origenes lib. 1. Periarchon, cap. 2. Athanasius in Synopsi, Ambrosius lib. de Paradiso, cap. 12. & libro de quadraginta duobus mansionibus, mansio. 27. Lactantius Firmianus lib. 4. de vera Sapientia, cap. 16. sic loquitur. Et Salomon in libro Sapientiæ his verbis vsus est: *Circumueniamus iustum, quoniam insuauis est nobis*, & reliqua. Atqui à Salomone, qui hæc cecinit, vsque ad id tempus quo gesta res, mille & decem anni fuerunt. Nihil nos effingimus, nihil addimus: habebant hæc, qui fecerunt: legebant in quos hæc dicta sunt. Sic Euaristus epistola 1. Felix primus, & secundus in suis epistolis decretalibus, Basilius lib. 5. contra Eunom. cap. penultimo, Epiphan. hæres. 76. & libro de ponderibus, & mensuris, Isidorus lib. 1. de officiis, cap. 12. Damascenus lib. 4. fidei, cap. 18. & innumeri alij. Quamuis autem alij ex his Patribus intelligi possint locuti, quemadmodum illi, qui ex Ecclesiastico testimonia citant nomine Salomonis, videlicet concilium Carthag. III. Innocentius I. qui quinque libros Salomoni adscribunt, Sapientiam addentes, & Ecclesiasticum, & Sixtus II. in epistola ad Gratum Episcopum, & Marcellinus in episto. ad Salomonem Episcopum, & concil. Tolet. XVII. cap. 5. nempe, vt dixit Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 8. de quadam similitudine Salomonis esse dictos, quòd sententias referant sententiis Salomonis con-

Salomon, libri Sapientiæ auctor fuit.
Eusebius.
Egesippus.
Irenæus.
Tertullianus.
Cyprianus.
Origenes.
Athanasius.
Ambrosius.
Lactantius.
Euaristus.
Felix.
Basilius.
Epiphanius.
Isidorus.
Damascenus.
Salomon auctor Ecclesiastici cur dictus.
Concilium Carthag. III. Innocent I.
Sixtus II.
Marcellinus. Conc. Tolet XVII.
Augustinus.

similes,& documenta illis maximè consentanea. Nemo tamen poterit inficiari multos ex prædictis Patribus ita existimasse, Egesippum præsertim, Irenæum, Athanasium, Eusebium, Lactantium, Epiphanium, & Damascenum.

Sed quod omnino persuadet, librum hunc esse Salomonis, eius verba sunt; quæ nulli alij, præterquam illi possunt conuenire, quæ sic legimus cap.9. v.7. *Tu elegisti me regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum,& filiarum: & dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in ciuitate habitationis tuæ altare.* Salomon ergo habeatur huius libri sapientissimi auctor.

Quotupliciter Sapientiæ nomen soleat vsurpari.

CAPVT III.

QVò faciliùs intelligamus de quo Sapientiæ genere in hoc libro Salomon sermonem instituat, varia huius nominis, *Sapientia*, significata oportet explicare. Atque in primis multiplici, ac variæ rerum cognitioni solet hoc nomen accommodari: nam sapientem illum existimamus, ac dicimus, auctore Aristotele in 1.lib. Metaphys. cap. 2. qui omnigenam rerum cognitionem comparauerit, ac res omnes nouerit, quoad eius fieri possit, non quidem speciatim, sed vniuersè: sciuerit quoque difficillima quæque, & occultissima; & habeat demum non popularem, & adumbratam notitiam rerum, sed exquisitam, & omnibus numeris suis absolutam; quam & ipse quàm rectissimè teneat,& alios ritè docere valeat.

Sapientiæ acceptio prima.

Deinde Sapientia in vnoquoque genere artis dicitur cognitio altissimæ causæ illius generis, secundùm quam de cæteris iudicatur, & ad illam ea ordinantur. Ita Phydiam sapientem marmorarium, Polycletum sapientem statuarium solitum appellari notauit Philosophus lib. 6. Ethic. cap. 3. Et in genere ædificij, qui disponit formam domus sapiens dicitur architectus respectu inferiorum artificum, qui ligna dolant & parant lapides: vt docet S. Thomas 1. p. q. 1. ar. 6. & sapientia humana, aut sapiens in rebus humanis ille dicitur, qui bonam æstimationem habens de fine vitæ humanæ, secundùm eam ordinat totam humanam vitam, quod facit prudentia: nam sapientia est viro prudentia, vt dicitur Prou.1. sic sapientiam carnis, sapientiam huius seculi,& alias similes nominamus, quæ in finem præstitutum, media inquirit, consultat, ac iudicat, ac præcipiendo ordinat, vt rectè docet nos Doctor Angelicus super cap. 8. epistolæ Pauli ad Roma. lectio.2.& super 5.ad Ephesios, lectione 6. Verùm hæ appellationes communem sapientiæ rationem sequuntur.

Sapientiæ acceptio secunda.

Tertiò

Tertiò propriè, ac perfectè Sapientiæ nomen illi vni scientiæ conuenit, quæ est cognitio altissimæ, & vniuersalissimæ causæ, eius videlicet, quod in omni natura optimum est, ob quod, quodque agendum sit; & ad quod sapiēs cetera ordinat, & secundùm quod de ceteris iudicat: hoc est enim maximè scibile; maximè autem scibilia, vt tradit Aristot. lib. 1. Metaphys. cap. 2. sunt ipsa prima, & causa: propter hæc enim, & ex his cetera cognoscuntur: hanc vocant Philosophi Metaphysicam. Quia tamen huius generis sapientia considerat altissimam causam ex communibus solo naturali lumine cognitis; aut ex iis, quæ per communia sciri possunt: nam omnes rationes, quas de Deo Metaphysica docet, aut sunt communes, si simplices sint, vt quod sit ens, verum, bonum; aut ex communibus compositæ, quæ sunt propriæ Deo, vt primum ens, actus purus, causa prima. Est autem supra hanc alia Dei exactissima cognitio ex Deo maximè propriis desumpta; idcirco strictiori ratione eiusmodi cognitio sapientiæ nomen sibi vsurpabit.

Sapientiæ tertia acceptio pro Metaphysica.

Quartò igitur nomen Sapientiæ simpliciter, maximè, & propriissimè Theologiæ conuenit, quæ causam altissimam considerat, ex maximè propriis, siquidem non tantùm id contemplatur, quod potest per naturam de Deo cognosci; sed id maximè, quod ipsi Deo soli de seipso notum est, & aliis per reuelationem communicatur. Ita definit S. Thomas 1. p. q. 1. arti. 6. Vnde tamquam magistra omnium aliarum scientiarum docet eas ordinare sua obiecta ad Deum supremum omnium finem: & tamquam omnium princeps iudicat de omnibus per suam altissimam cognitionem; falsas reiiciens, si suæ minimè consentiant, ambiguas elucidans, & altissimæ causæ conformes corroborans, ac confirmans existimationes.

Sapientiæ quarta acceptio pro Theologia.

Quia verò tota ratio, ob quam sacra Theologia verissimè, ac propriissimè Sapientia dicatur, & sit, ea est, quòd sit cognitio certissima humano studio comparata ex cognitione infallibili altissimæ causæ, quam tribuit fides ex reuelatis desumpta; inde factum est, vt vera Dei summi, ac gloriosi cognitio, quam diuina fides inserit fidelium mentibus, cum vero eius cultu coniuncta, multò veriùs, ac propriùs Sapientia sit absoluiè, & simpliciter, & à sanctis Patribus habeatur. Siquidem omnium altissima summæ Triadis causæ altissimæ cognitio est: & per eam fidelis quisque iudicat de omni quacumque alia cognitione, & actione, vtrùm vera sit, & suæ veritati conformis: docétque omnes, & humanas actiones ordinare per regulam diuinam, quæ Dei voluntas, iuxta illud Augustini lib. 12. de Trinit. cap. 7. Sapientia intendit rationibus supernis, & conspiciendis, & consulendis: conspiciendis quidem, secundùm quòd diuina in seipsis contemplatur: consulendis autem, secundùm quòd per diuina, tamquam per diuinas regulas iudicat de humanis actibus, eásque ad Deum ordinat. Nam

Sapientiæ quinta acceptio pro fide Christi.

Augustinus.

Nam contemplando Deum altissimam rerum omnium causam,& finem,ita ei afficitur Sapiens, vt iuxta illum affectum, Deum præferat rebus omnibus vera æstimatione:& iudicet nihil cum illo æquè diligendum,vel æstimandum,& nullius respectu à diuina regula,quæ est Dei voluntas,vmquam recedendum. Deinde res præfert, & æstimat iuxta cognitionem, quam de illis habet, collatis cum altissima causa. dum qua ratione propiùs accedunt ad Deum, & ad eum promerendum magis conducunt, magis eas æstimat; quo verò longiùs impediunt,magis contemnit.Ideo virtutem omnibus aliis præfert, honores autem, diuitias, & voluptates, quæ homines insipientes tanti faciunt, vir sapiens pro nihilo habet: quia iuxta regulas diuinas virtus Deo proximiorem, similiorémque reddit hominem. Fidem autem

Clemens Alexand. diuinam sapientiam esse existimandam probauit Clemens Alexandrinus lib.Stromat.2.ex dicto Salomonis, *Sapientia est in ore fidelium.* & ex Xenocrate,qui in libro de prudentia,sapientiam dixit esse scientiam primarum causarum, & essentiæ, quæ percipitur intelligentia. Ostensum est autem,inquit Clemens,principij vniuersorum esse eam, quæ fide habetur scientiam, non quæ demonstratione: nam & Py-

Plato. thagoras fide suos auditores ad sapientiam instruebat. Hinc Plato, & sectatores eius Sapientiam esse dicebant perfectam Dei cognitio-

Philo. nem, cum puro eius cultu, & religione coniunctam. Idcirco Philo lib. de congressu quærendæ eruditionis gratiâ, quem videtur referre Clemens lib.1.Stromatum,Philosophia,inquit, docet nos continere linguam, ventrem, & ea,quæ sub ventre sunt. hæc quamuis per se expetenda, augustiora tamen fiunt, quando in honorem Dei, & causa

Lactantius. religionis exercentur,quod facit Sapientia.His conformis Lactantius lib.3.de vera Sapientia,cap.11.& lib.4.cap.3.dixit,Sapientiam,& religionem segregari non posse:quòd sapere nihil aliud sit,quàm Deum verum iustis, ac piis cultibus honorare. Vbi ergo Sapientia cum religione coniungitur, ibi scilicet, vbi Deus colitur vnus, & actus omnis ad vnum caput,& ad vnam summam refertur, ibi vera Sapientia est. Quod cùm in religione Christiana reperiatur,vera,nisi cum Christiana religione coniuncta,Sapientia non est,ex diuina fide promanans.

Seneca. Quid est autem,dixit Seneca in epist. 88. ad Lucilium, quare existimem non futurum sapientem eum, qui literas nescit, cùm Sapientia non sit in literis? res tradit, non verba. Ideo populus Hebræus olim populus sapiens, & modò Christianus meritò dicitur, quòd Deum verum,altissimam causam,solus cognoscat,& vera religione colat; & secundùm eam de humanis iudicet, eáque moderetur, & ordinet. Hos igitur quinque modos Sapientiæ distinxisse sit satis; sed duobus prioribus tamquam diminutis, & imperfectis, tres posteriores eo ordine,quo sunt explicati,præferendi.

De quo Sapientiæ genere sermonem instituat Salomon?

CAPVT IV.

X omnibus creatæ Sapientiæ modis, quem Salomon elegerit ad differendum, vnde suam parænesim Sapientiam nominauit, vi-ndum est. Alicui non immeritò in mentem venerit de eo genere pientiæ in hoc libro sermonem institui, quæ communis est, & pro inigena eruditione, & varia rerum cognitione vsurpatur, quòd ca-e septimo omnem scientiam cum Sapientia tributam sibi, ita refe-Salomon. Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam ve-a, vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elemento-n: initium, & consummationẽ, & medietatem temporum: vicissi-linum permutationes, & commutationes temporum: anni cur-& stellarum dispositiones: naturas animalium, & iras bestiarum: ventorum, & cogitationes hominum: differentias virgultorum, irtutes radicum: & quæcumque sunt abscons̃a, & improuisa didi-mnium enim artifex docuit me Sapientia. De Sapientia omnigena nũ agat Salomon?

Cursus de increata Dei sapientia fieri sermonem à Salomone exi-iari potest, quòd quamplurima encomia Sapientiæ tractet, quæ increatæ, qua Deus seipsum supremum omnium finem & altissi-n causam cognoscit, & cetera omnia operatur, ordinat sua proui-tia, & moderatur, ac conseruat sua gubernatione, non possunt nenire. Nam de qua Sapiẽtia creata dici potest, quòd sit omnium ex, quòd vna cùm sit, omnia possit, & in se permanens omnia in-et; & quòd attingat à fine vsque ad finem fortiter, & disponat ia suauiter? Deinde quòd sciat præterita, & de futuris æstimet; a, & monstra sciat antequam fiant, & euentus temporum, & se-rum? & demum, à capite nono Sapientiæ Dei admiranda opera equitur auctor, qua creauerit hominem, qua sanctos illos Patres iculis eripuerit, custodierit, & gubernauerit, hostibus vndiqua-profligatis, ac deuictis: quæ profectò in nullam creatam Sapien-possunt conuenire. De Sapientia increata num sermo sit Salomoni?

erumtamen in libro Sapientiæ, de ea differi Sapientia, quæ veris-est Dei gloriosi cognitio, cum pietate, & vera religione coniun-& omnem virtutum chorum se comitantem asciscit, tamquam m habendum est. Id satis illa verba ostendunt capitis 7. v. 18. *m enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia: cura ergo disci-dilectio est: & dilectio custodia legum illius est: custodatio autem le-onsummatio incorruptionis est: incorruptio autem facit esse proxi-* De cognitione Dei cum vera religione coniuncta differit Salomon.

mum Deo concupiscentia itaque Sapientia deducit ad regnum perpetuum. In quibus verbis vides Sapientiam vsurpari pro disciplina, & custodia legis Dei; quemadmodum vbique in Scriptura sacra accipitur: de hac enim locutus Moses Deuteron. 4. 5. *Scitis,* ait, *quòd docuerim vos præcepta, atque iustitias, sicut mandauit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra, quam possessuri estis: & obseruabitis, & implebitis opere. hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersa præcepta hæc dicant, En populus Sapiens, & intelligens, gens magna.* hanc, nihil frequentiùs, commendat Salomon in Prouerbiis, & Iesus filius Syrach in Ecclesiastico, eam, tanquam matrem, inducentes, ad sua monita suscipienda, paruulos inuitantem, & ad legis Dei custodiam exhortantem, & vti magistram docentem vias vitæ, vt eas ingrediantur, & vias mortis, vt fugiant.

Ad priora duo quæsita responsio.

Consueuêre nihilominùs viri sapientissimi, quo amorem sapientiæ excitarent, & augerent in animis audientium, & eos appetentiores illius apprehensionis redderent. Non contenti humanis commendationibus, ad diuinæ sapientiæ magnalia explicanda suum efferre sermonem, vt illius origine manifestata, celsitudine, conditione, operibus, fructibus, aliisque eius encomiis auditoribus palàm factis, humanam sapientiam, quæ Dei est cognitio, & legis eius custodia; per quam diuina seipsam magna ex parte exerit, & communicat, expetant, quærant, & amplectantur. Cùm autem neminem diligat Deus, nisi eum, qui cum Sapiẽtia inhabitat: quæ per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei, & Prophetas constituit, vt dicitur cap. 7. 27. non mirum videri debet, si Deus sapientiæ pater, & fons, iis, qui cum sapientia conuersantur, fontes aperiat eloquentiæ, & naturæ secreta, scientiarũ cognitionem, & artium facultates, & omnia sapientiæ mysteria, largiatur, ac detegat. Rectè profectò Clemens Alexandrinus sexto libro Stromat. dixit, fontem disciplinarum manare è sapientia. In manu enim eius, & nos, & verba nostra, & omnis doctrina, & operum scientia. Nam qui est cognitione præditus, per scripturam nouit antiqua, & coniicit futura: scit strophas orationum, & ænigmatum solutiones: præscit signa, & prodigia, & euentus temporum, & demum Salomoni omnia venerunt pariter cum ea.

Clemens Alex.

Sapientiæ nomine cur liber inscriptus?

CAPVT V.

Libri Sapientiæ varia nomina. Dionysius. Epiphanius.

CVm alij Patres diuersa nomina huic libro indiderint, nam Dionysius Areopagita 4. cap. de Diuinis nominibus, Scripturæ sanctæ institutiones nominauit, Epiphanius verò libro de ponderibus, & mensuris,

nensuris,& Damascenus lib. 4. fidei orthod. cap. 18. Panieretum, ab omni virtute, quòd omni virtutum genere refertus sit; Auctor eius idcirco Sapientiam appellasse existimandus est, quòd perpetuam contineat parænesim, & laudum congeriem; quo ad eam capessendam inducat auditores. Tria namque, vt vniuersè loquamur, de sapientia differit. In primis duo genera discipulorum à sua repellit schola, vnum eorum, qui fide non accedunt ad illam; alterum eorum, qui nimiùm seipsos amãtes, quòd voluptuosam vitam, & in vitia quæque præcipitem præferant, modico sapientiæ studio, & labori quasi inutili, quòd existimant omnia cum morte finiri; ad eius fores accedere contemnant. In quos grauiter inuehitur tertio, quarto, & quinto capitibus, ostendens quàm diuersa obtingat sors, quàm dispar exitus iis, qui sapientiæ scholas frequentarint, & eius doctrinam fuerint amplexi: ac iis, qui eam despexerint, & errori se tradiderint.

Damascenus.

Libri Sapiẽtiæ distributio.

Discipulorum duplex genus repellitur ab schola Sapientiæ.

Deinde hortatur Iudices, & Reipublicæ moderatores ad eam capessendam, si velint suum munus rectè obire; & Deo, cui sunt rationem reddituri, placere. Ostendit facilem eius adeptionem, in sexto capite: & magnifaciendam vti dignam, quòd nulla res sit, quæ cum a possit comparari cap. 7. & quærendam flagranti studio, ac diligentia, propter infinita bona, quæ secum affert coniuncta, capite octauo: demum à Deo postulandam docet, qui pater eius est, & origo: & formam precationis, qua Salomon ipse vsus est, nobis proponit, vt ea nos vtamur, capite nono.

Exhortatio ad Sapientiam.

Denique in reliquo opere Sapientiæ curam depingit, in bonis cumulando, & à periculis liberando eos, qui ei adhæserant, eiusque doctrinam amplexi fuerant; Adam videlicet, Noam, Abraham, Loth, Iacob, Ioseph, & Mosem. Tum etiam populum Israëliticum, cui innumera, ac summa enumerat à Sapientia beneficia collata siue in Ægypto, siue in deserto: horrendáque in ipsorum gratiam, eorum hostis, ob scelus idololatriæ, & cetera, quæ ex illa secuta sunt, illata supplicia. Vt illis profligatis, ac mille modis peremptis, populum suum in sapientiæ doctrina beneinstructum, erueret, & ad domicilium, quod parauerat, induceret. horum sanè exemplo desides, ac remissos excitat ad capessendam Sapiẽtiam; vt similiter ac illi, eius fructibus, bonisque potiantur. Atque hæc ratio certa habeatur nominis Sapientiæ libro huic impositi.

Sapientiæ in discipulos officia.

Quos sibi accersat discipulos Sapientia?

CAPVT VI.

QVósnam ad suam scholam admittat Sapientia discipulos, multi & Philosophorum, & virorum Ecclesiasticorum longè, lateque

nobis tradiderunt. Pythagoras primus omnium, ad comprimendam veterum arrogantiam, qui imaginem, & vmbram Sapientiæ adepti, non ipsam veritatem, sapientum nomen sibi arrogabant, se Philosophum, hoc est, studiosum, seu discipulum sapientiæ voluit appellari. Quo nomine hominem significauit ita docilem, & veritatis, ac virtutis amatorem, vt quo melius sapientiam adipisceretur, totum se converteret ad exercitationem, qua animum liberum redderet à perturbationibus: & omni genere virtutis imbueret, & exornaret.

Pythagoras primus philosophus.

Prima igitur conditio discipuli Sapientiæ ea est, vt instar paruuli, & ætate, & ingenio, qui fide potiùs, quàm ratione ducatur, se tradat erudiendum: huiusmodi enim vocat Sapientia Prou. 9. 4. *Si quis est paruulus, veniat ad me*: & Christus Math. 11. 25. gratias Deo agit, quòd hi admittantur ad mysteria Sapientiæ rimanda. *Confiteor*, ait, *tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*. qui omni abiecta curiositate, captiuant intellectum in obsequium Sapientiæ, omnibus eius dictis fidem habentes, nec rationes perscrutantes. Absurdum enim fuerit, inquit Clemens Alex. 2. Stroma. Pythagoræ quidem Samij sectatores, recusatis eorũ, quę querebantur demonstrationibus, illud, ipse dixit, fidem facere arbitrari; & ad ea, quæ audierant confirmanda, hanc vocem satis esse ducere: eos autem, qui contemplandæ veritatis tenentur desiderio, fide digno magistro soli seruatori Deo fidem non habere, aggredientes eorum, quæ dicuntur, probationes ab eo exigere.

Sapientiæ discipulorum prima conditio, fides.

Clemens Alex. Pythagoreorum fides.

Hanc deinde secundam exigit in discipulo suo conditionem Sapientia, vt oderit mendacium, amet autem, ac diligat veritatem; ita Plato docuit informatum debere esse Philosophum in 5. & 6. libro de Republica; & Clemens Alex. lib. 2. Strom. eo quòd sit verus, ac germanus famulus, iam propter charitatem existimatus esse amicus, cùm futurus sit defensor, magister, & interpres veritatis. Vnde & ipsa Sapientia eos, qui se concupiscunt, sæpiùs inuitat, & vocat. *Transite*, ait, Eccl. 24. 26. *ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini*. & Sap. 6. 13. *Facile videtur ab his, qui diligunt eam, & inuenitur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat.*

Conditio secunda, veritas. Plato. Clemens Alex.

Tertiò, habere debet sedatas omnes perturbationes, & appetitum rationi obedientem; qui nisi perdomitus fuerit, & veluti iniecto fræno in gyrum ductus, magnam partem animi sæpe detorquet, & à contemplatione, cognitionéque veritatis abducit. Hoc enim Philosophiæ munus est, vt dixit Democritus apud Clem. Alex lib. 1. Pædagogi. cap. 2. animam à perturbationibus liberare, quemadmodum medicina medetur morbis corporis: nam illæ animi sunt ægritudines, vt docet Cicero in Tusculanis, quarum solus verbum Pæonius medicus est, & sanctus ægrotæ animæ incantator. Philosophia, inquit Philo lib. de congressu

Conditio tertia, pax.

Democritus. Clemens Alex. Cicero. Philo.

congressu quærendæ eruditionis gratia, docet nos continere linguam, ventrem, & ea, quæ sub ventre sunt.

Quartò, oportet Sapientiæ discipulum esse amantem temperantiæ, liberalitatis, iustitiæ, ceterarúmque virtutum: nam qui est vitiorum sordibus inquinatus, indignus est, qui in purissimum Sapientiæ domicilium admittatur. nam *in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Sap. 1. Idcirco Plato Philosophiam nunc definit solutionem animi à corpore, seu mortis commentationem: interdum conuersionem animi ad ea, quæ vera sunt & diuina. Stoici verò, auctore Plutarcho in lib. 1. de Placitis Philosophorum, c. 1. definierunt Philosophiam, accommodatæ ad vitam artis meditationem; atque hanc esse vnam, eandemque summam virtutem, quæ per Dei imitationem, vt ex Platone adducit Eusebius lib. 12. de Præpar. cap. 20. quantum homini possibile est, transitum facit, & fugam terrenorum: imitatur autem Deum iustitia, sanctitate, prudentia. est autem iustitia, vt docet Clemens Stromat. lib. 4. concentus partium animæ; sanctitas verò Dei cultus.

Conditio quarta, studium virtutum.

Plato.

Philosophia quid.

Plutarchus.

Eusebius.

Clemens Alex.

His satis explicatæ sunt discipulorum sapientiæ conditiones, quæ ad duas referuntur; ad animi puritatem, & ad Dei imitationem: nam animas priùs purgari à malis, & improbis dogmatibus per rectam rationem, vt sic veris imbuantur; tum etiam virtutum adeptione similes Deo fieri; ad sapientiam capessendam parat auditores. In quibus duobus tota consistit Christiana Philosophia, quam qui à mundo abstracti vitam cœlitibus degunt similem, exercent; quo mente, & affectu purgati, diuinæ contemplationi sese aptiores, & propinquiores Deo reddant. Licet autem vnicuique fidelium philosophari, & ad sapientiam amplectendam admittit, vt sapienter ostendit Clemens in lib. 3. Pædogogi. cap. 11. At non omnes, inquis, philosophamur? Quid tu dicis? Quomodo ergo credidisti? Quomodo autem iam Deum amas, & proximum, si non philosopharis? Literas, inquis, non didici. Sed si non didicisti legere, non est quòd de auditu te possis excusare, quod non possit doceri. Fides autem non sapientum secundùm mundum, sed eorum, qui secundùm Deum sunt sapientes, possessio est. illa autem etiam absque literis discitur. eius autem scriptura, quæ ad rudes, ignarosque homines pertinet, & est diuina, vocata est charitas, quæ est decretum spirituale.

Philosophia Christiana duobus cōstat.

Philosophari licet etiam illiteratis.

Quósnam Salomon instituat ad Sapientiam in libro hoc, & quo idiomate?

CAPVT VII.

Quamuis domus Sapientiæ aditus omnibus pateat, cuiuscumque tandem conditionis, & status sint: quemadmodum Christiana

sapientia neminem excludit, qui velit tamen spontaneo, & concupiscenti animo ad fores eius vigilare, & in philosophia exerceri, etiamsi literas non didicerit, vt ostendimus. At Salomon in hoc libro Reges, & Magistratus, & qui Reipublicæ curam gerunt solos alloquitur, & ad Sapientiam capessendam instituit. *Diligite*, inquit, *iustitiam, qui iudicatis terram*; & rursus: *Audite ergo Reges, & intelligite, discite iudices finium terræ. Prabete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum*: quòd fuerit arbitratus ex bona Regum, & Magistratuum gubernatione, totam Reipublicæ, & subditorum pendere incolumitatem, & salutem: bonam autem gubernationem absque Sapientiæ disciplina nemini contigisse. Id quod suo satis probat exemplo; qui cùm puer, & rudis à natura videretur, & ad gubernandum ineptus, Sapientiam postulauit, & impetrauit: & regnum suum sapientissimè administrauit. Idcirco pater eius Dauid in Psalmo 2. 10. *Et nunc*, ait, *Reges intelligite, & erudimini, qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Fuit autem Stoicorum placitum dignum admiratione, solum sapientem esse regem, legislatorem, imperatorem, iustum, sanctum, Deo amicum, solum diuitem, liberum, honoratum, pulchrum. Ita ex Platone in Phædro, Clemens in fine adhortatoriæ ad gentes, & lib. 1. Stromatum asseruit, & priùs Cicero in orat. pro Muræna. Fuit, inquit, summo ingenio vir, cuius inuentorum æmuli, Stoici nominantur. Huius sententiæ sunt, & præcepta huiusmodi: sapientem gratia nunquam moueri: nunquam cuiusque delicto ignoscere: solos sapientes esse: si distortissimi sint, formosos: si mendicissimi, diuites: si seruitutem seruiant, Reges. Et Philo in libro de agricultura, Tanta, ait, curę pastoralis honestas creditur, & vtilitas, vt Poëtarum gens Reges soleat vocare pastores populi: sicut legislator sapientes dignatur hoc nomine, qui soli veri Reges sunt. Hoc, duce natura, gentes secutæ documentum, Reipublicæ administratores, & Magistratus ex sapientioribus, deligebant. Hinc ad imaginem Domini eligebantur Pontifices, apud Hebræos, qui erant probatissimi: & qui ad regnum, & qui ad prophetiam erant electi, vngebantur. Vnde etiam Ægyptij non quibuslibet ea, quæ erant apud ipsos, committebant mysteria, neque rerum diuinarum cognitionem deferebant ad profanos; sed ad eos solos, qui erant ad regnum peruenturi: & ex sacerdotibus iis, qui iudicati fuerant probatissimi, & educatione, & doctrina, & genere; vti notat Clemens Stromateus lib. 5. Strom. ex Magis Persæ: ex Gymnosophistis Indi, vel Reges, vel Iudices statuebant; quo significabant Sapientiam, vel Regibus, & Magistratibus fore pernecessariam; & sapientes solos Reges esse debere. Commendat lib. 3. de falsa sapientia, cap. 21. illam Platonis sententiam Lactantius: beatas ciuitates futuras fuisse, si aut philosophi regnarent,

Magistratus instruit Sapientia.

Stoici.

Plato. Clemens Alex. Cicero. Sapiens solus Rex.

Philo.

Clemens Alex.

Lactantius. Platonis sententia.

rent, aut Reges philosophatentur, quod est idem ac dicere; si ad sapientiam capessendam sese exercerent, & instituerent.

Est hoc tandem præcedentibus subiiciendum assertum, non debere dubitari, librum hunc Sapientiæ Hebraicè primùm scriptum, sicut & ceteros Salomonis, cùm ipsius factus sit, vt suo loco probauimus, qui Hebraicè scripsit, vti fuit locutus: ac tunc, vt ait Isidorus lib. 1. de Officiis, cap. 12. hoc opus Hebræi (vt quidam sapientium meminit) inter canonicas Scripturas recipiebant. attamen postquam in Græcam linguam translatus est, nusquam apparuit; quapropter ab Hebræis non est in canonem relatus: est autem ab Ecclesia Christi receptus, quòd magnam illi parit auctoritatem. Accidit enim huic libro, quod libris Baruch, & Ecclesiastici, qui cùm Hebraicè primùm scripti fuerint, postquam in alienam Græcorum linguam transierunt, suam amiserunt: & idcirco Iudæi, qui tanta cura ceteros conseruare studuerunt, hos neglexerunt. Videtur sanè Septuaginta virorum interpretationem redolere; iuxta quam nonnullæ in hoc libro referuntur historiæ. Sapiētiæ liber Hebraicè scriptus.

His vtcumque in limine cognitis à Sapientiæ discipulis, qui ad eius fores vigilant, & pulsant, iam ad eius intima adyta vocati ingrediamur.

Illud pium lectorem, ac Sapientiæ studiosum præmonitum volo, consueuisse nos textum vulgati paraphrasi quadam elucidare; in hoc tamen libro pro paraphrasi nouam è Græco translationem adiecisse, vt nonnullam inter vtramque diuersitatem à multis non sine admiratione animaduersam, & explicemus, & ratione reddita ad eundem sensum respicere ostendamus. Admonitio.

SAPIEN



SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT PRIMVM.

VETVS.

1. *Diligite iustitiam 2. qui iudicatis terram: 3. Sentite de Domino in bonitate, 4. & in simplicitate cordis quærite illum.*

5. *Quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum: 6. apparet autem eis, qui fidem habent in illum:*

7. *Peruersæ enim cogitationes separant à Deo: 8. probata autem virtus corripit insipientes.*

9. *Quoniam in maleuolam animam non introibit Sapientia, 10. nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

11. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, 12. & corripietur à superueniente iniquitate.*

13. *Be*

NOVA.

Diligite iustitiam qui iudicatis terram, sentite de Domino in bonitate, atque in simplicitate cordis quærite illum.

Quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum: patefit autem non diffidentibus illi.

Peruersæ enim cogitationes separant à Deo: tentata autem potentia (eius) arguit insipientes.

Quoniam in maleficam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore obærato peccato.

Sanctus enim Spiritus disciplinæ fugit quod fictum est, & recedit à cogitationibus stultis, & perspicitur adueniente iniquitate.

Huma

13. *Benignus est enim spiritus sapientiæ, & non liberabit maledicum à labiis suis:* 14. *quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, & linguæ eius auditor.*

15. *Quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarum:* 16. *& hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.*

17. *Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium.*

18. *In cogitationibus enim impij interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius.*

19. *Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur.*

20. *Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit;* 21. *os autem, quod mentitur, occidit animam.*

22. *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ: neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum.*

23. *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.*

Humanus enim est spiritus Sapientiæ, neque innocentem habebit blasphemum à labiis suis, cùm renum ipsius testis sit Deus, & cordis ipsius inspector verus, & linguæ auditor.

Etenim spiritus Domini replet orbem terrarum, & continens omnia cognitionem habet vocis.

Quapropter loquens iniusta nũquam sanè latebit, neque præteribit ipsum redarguens iudicium.

Nam in consilia impij inquisitio fiet; sermonum autem ipsius rumor ad Dominum deferetur, ad redargutionem iniquitatum eius.

Quoniam auris indignationis audit omnia; & rumor fremituum non absconditur.

Cauete inutilem murmurationem, & à maledicentia parcite linguæ, quoniam sermo obscurus impunitus non abibit; os verò mentiens animam interimit.

Ne expetatis mortem in errore vitæ vestræ: neque operibus manuum vestrarum exitiũ vobis accersatis.

Deus enim mortem non fecit, neque viuorum interitu delectatur.

24. *Creauit enim, vt essent, omnia: & sanabiles fecit nationes orbis terrarum:* 25. *& non est in illis medicamentum exterminij,* 26. *nec inferorum regnum in terra.*	Quippe qui, omnia vt essent, creauit, & salutares origines mundi, necest in eis pharmacum exitiosum, nec inferorum regnum in terra.
27. *Iustitia enim perpetua est, & immortalis.*	Iustitia autem immortalis est.
28. *Impij autem manibus, & verbis accersierunt illam:* 29. *& æstimantes illam amicam defluxerunt,* 30. *& sponsiones posuerunt ad illam:* 31. *quoniam digni sunt, qui sint ex parte eius.*	Impij verò manibus, ac verbis accersiuerunt illam, & contabuerunt eam amicam arbitrati,& cum ea fœdus inierunt, planè digni, qui illius sint participes.

ARGVMENTVM.

Inuitat Sapiens terræ quotquot sunt rectores ad Sapientiam capessendam, ea lege seruata, vt synceros, ac simplices se illi præstent auditores, cùm nihil sit, quod magis oderit magister Sapientiæ Deus, quàm cor simulatum, os obmurmurans, & opera iniusta, quibus homines mortem, quam Deus nequaquam fecit, sibi ipsi accersierunt.

COMMENTARIVS.

1. *Diligite iustitiam.* Quoniam cum Regibus loquitur, & rerumpublicarum Magistratibus videri posset alicui de iustitia propriè accepta diligenda sermonem institui, quam Anaxarchus, apud Plutarchum in comment. ad principem indoctum, assessorem Iouis esse, Deorúmque asseruit. siquidem prisci loqui ad hunc modum solebant, citra iustitiam dominari ne Iouem quidem posse rectè. At virtutem vniuersam intelligit, quæ cum Sapientia coniuncta est, & sine ea, si vera est, non inuenitur; imò eo nomine ad Sapientiam amplectendam hortatur rectores orbis. vt cap. 6. 10. *Ad vos ergo,* inquit, *Reges, sunt hi sermones mei, vt discatis Sapientiam, & non excidatis.* vnde quidam hoc loco pro, *diligite iustitiam,* vertit, *diligite sapientiam,* qua princeps efficitur cuncta ordinantis simulacrum Dei: qui non Phidiam requirat fingentem, vt ait eo loco Plutarchus, nec Polycletum, vel Myronem, sed semetipse ad effigiem Dei per virtutem componat,

[Margin: Anaxarchus. Plutarchus. Iustitia Iouis assessor. Iustitia, pro virtute. Princeps simulacrum Dei. Plutarchus.]

ponat, & moliatur omnium signorum visu iucundissimum, atque augustissimum. Qualem cœlo Solem Deus supra modum venustam illigauit sui effigiem: eiusmodi enim in vrbibus simulacrum, & lumen est princeps, qui religiosus iustitiam colat, id est, Dei sermonem obtineat mente. Sol orbis princeps.

2. *Qui iudicatis terram.* Rectores, ac Reges hac periphrasi vocat ex cap. 6. 10. per synecdochen, vno præcipuo officio iudicandi, seu componendi lites, & cuius parti rem suam lata sententia adiudicandi, accepto pro toto genere administrandi rempublicam. Terram autem metonymicῶs accipit pro incolentibus terram; quasi dixerit, Rectores hominum, à quibus pendet totius populi salus, diligite virtutem, & sapientiam sectamini, de qua mihi sermo instituitur: & actiones vestras, iuxta præcepta illius, ad pietatem componite. Regum exhortatio.

3. *Sentite de Domino.* Sapientiæ præceptorem, & magistrum Dominum ob oculos ponit, vt ad studium eius inuitet. Est autem omnium maximum, & primum instituendis pueris adiumentum magistrum inuenisse. Præceptor pueris quærendus est vita probata, moribus inculpatis, & rerum vsu excellentissimus, quando fons, & radix est probitatis, recta imbutum esse institutione. Atque vt adiungunt plantis agricolæ pedamenta, ita iusti magistri affigunt pueris, quo mores horum recti pullulascant, accuratas præceptiones, & præscriptiones, vt docet Plut. lib. de instituendis pueris. Primus discendi ardor nobilitas est magistri. quid nobilius Dei verbo? quid inculpatius? quid sapientius? cuius verba vita æterna sunt, cuius præceptiones salutiferæ, & præscriptiones sapientiam adferunt. huius excellentiam magistri sub nomine pædagogi prosecutus est eruditissimè Clemens Alexandrinus in tribus libris, nec nostræ potestatis est, eam pro dignitate explicare. quare à tanto onere portando supersedemus. Nunc tantùm discipuli conditiones, quas magister in ipso desiderat, consideremus. Præceptor qualis. Probitatis fons, recta institutio. Plutarchus. Clem. Alex.

Sentite de Domino in bonitate. Hæc est prima instituendi pueri ad sapientiam conditio, vt præceptorem magni faciat, & in bonitate sentiat de illo. Idcirco pueri, ac infantes vocantur, qui auditores futuri sunt huius scholæ, vt ostendit latè Clemens lib. 1. Pædagog. cap. 1. qui propterea inscij natura sunt, nam *stultitia colligata est in corde pueri*, Prou. 22. 15. Est autem inscitia res mala, temerariáque, vt inquit Philo in lib. *Quis rerum diuinarum heres sit*: cuius primum remedium est auditoris silentium; secundum attentio ad ea, quæ auditu digna sunt; iuxta illud, *Tace, & audi*: quod non solùm linguæ silentium postulat, & auditum aurium, sed vtrumque ab anima exigit. Nam multi aures non mentem afferunt in auditorium; ipsi foris interim vagantur, & multa de multis apud seipsos agitant, quæ præstaret ad tempus missa facere. Idcirco Pythagoras quinquennale silentium suis auditoribus indicebat, vt toti ab ore magistri penderent à sensibus abstracti. Et Conditio prima pueri discentis. Clem. Alex. Inscitia pueri. Philo.

Plato. Philosophia quid. Clem. Alex.

Plato philosophiam mortis commentationem definiebat, quòd à visu, & cæteris sensibus alienatum, Deique cognitioni tantùm intentum philosophum Sapientiæ auditorem postularet, vt docet Clemens in 5. Stromatum. Oportet autem addiscentem credere, vt dixit Aristoteles; & nullis probationibus postulatis contentum esse illo Pythagoræ auditorum dicto, *ipse dixit*, multò meliùs; nam indoctos decet silentium. Cùm enim discendæ sapientiæ gratia veniamus, inquit Lactantius lib. 3. de falsa sapientia, cap. 7. qui possimus iudicare qui nondum sapere cœperimus, nisi quis præstò adsit Academicus, qui nos pallio retrahat, ac vetet cuiquam credere: nec tamen afferat ipse, quod sequamur. Idcirco opus est auditorem sapientiæ tanquam puerum, imò infantem, qui fari nesciat, se totum magistro tradere erudiendum, ei vt omni digno fide fidem præstando. Hoc est, *Sentite de Domino in bonitate*. Vbi Græcum verbum φρονήσατε, quod vulgatus vertit, *sentite*, & Hierony. in 55. Isaiæ, *sapite*, ad iudicium pertinet, sed magis ad affectum: nam est ita affici alicui rei, vt omnes curas, cogitationes, & animum in eam intendas vi quadam, & acrimonia ingenij. Vnde ex eo verbo Paulus ad Rom. 8. & sæpe aliàs phronisma deducit; & prudentiam, seu sapientiam carnis, vel spiritus vulgatus transfert: hoc est, studium, & vim tam intelligentiæ, quàm affectus inuestigandi, experendi, & comparandi quæ sunt commoda carni, aut spiritui. *Sentite* ergo, *de Domino in bonitate*, idem erit quod, studete mente probas de Domino Sapientiæ datore opiniones, eóque dignas cogitationes concipite, & voluntate ita illi afficiamini, vt bono, ac beneuolo animo erga eum sitis. Et quia voluntas bona efficit vt bene sentias, & bonam habeas de illo, quem amas, existimationem: cùm *charitas omnia credat, omnia speret, omnia sustineat*, vt ait Paulus 1. ad Cor. 13. hinc fiet, vt qui bono animo sit erga Dominum Sapientiæ largitorem, quæcunque excellentia credat de illo, confidat illi in omnibus, etiam difficillimis, sustineat eum; etiam si mala inferat. Itaque sentiet de eo in bonitate, dum illi tanquam optimo parenti se credit; tãquam omnipotenti, qui possit ad summum sapientiæ fastigium euehere; & tãquam omniscienti, qui sciat eius vtilitati prospicere. Huc enim tendit hæc parænesis, vt suadeat, Domino sapientiæ præceptori fidere; ne ex diffidentia, fide in magistrum abiecta, falsis adhæreat vel deceptoribus, vel opinionibus, existimans Dominum sapientiam postulantibus vel subuenire non posse; aut nescire præceptiones salutares tradere; aut certè nolle. Quæ cogitare de Deo optimo maximo, summè est contumeliosum, & ipsi homini exitiosum. Hunc esse prædictorum verborum sensum, ex rationibus, quas Sapiens subiicit, constabit.

Aristoteles. Pythagoras Silentiũ indoctorum est. Lactantius. Verbi Græci significatum. Hieronymus. Prudentia carnis vel spiritus. Paulus. Discipulus fidat magistro.

4. *Et in simplicitate cordis quærite illum.* Ex eadem bonitate, seu bona existimatione Domini, quam concipit accedens ad seruitutem Dei, & ad veram sapientiam addiscẽdam, nascitur, vt integra voluntate, & corde

corde fyncero quærat illum, eique se ad pietatem totum informandum tradat;non aliter quàm pueri bonæ indolis, qui pædagogi curæ, & institutioni bene subiecti, simplici mente absque vllo dolo illi adhærent.Est autem hæc discipulorum Domini iocunda conditio; nam *cum simplicibus sermocinatio eius,& abominatur omnem illusorem*, Prou. 3.32.Simplicitas duplicitati opponitur,quæ aliud ostendit exteriùs, & aliud habet in corde; & ideo simulatè quærit Dominum, & deceptoriè,exteriùs se ouem simulans,& discipulum Sapientiæ verbis, & factis ostentans; in corde autem est lupus rapax, & mentem aliò diuertit. Nam populus est labiis Deum honorans, cor autem eius longè est ab eo;nec illi se credit.Ille ergo simplici corde quærit virtutem,sapientiam, & eius auctorem Dominum, qui toto corde, vero, & integro, vno oculo respiciente, quærit, ita vt exteriùs agat, quod cor intendit interiùs;& non tantùm ceram faui largitur Deo, nempe quod apparet hominibus, sed etiam mel, scilicet quod in corde fingitur Deo. Hoc est enim syncerum cor,quod non diuidit mel à cera, sed vtrumque in Domino quærendo insumit. Ille verò duplici corde quærit, qui diuiso corde:nam exteriùs ostēdit se quærere sapientiam, & interiùs prætendit stultitiam voluptatis, aut commoditatis. Et dum indicat aliis se quærere quæ sunt Iesu Christi, quærit quæ sua sunt:& duobus respicit oculis. Vnde efficitur, vt nequaquam Deo se credat, nequaquam illi fidat,sed partim Deo,partim idolo, & rei, quàm concupiscit, tribuit, & quidem potissimam:nam ceram Deo, sibi autem mel assumit cordis;atque inde etiam euenit,vt frigidè quærat Deum,& inconstanter; nam leuis est, & inconstans malitia, mater duplicitatis; & sæpe mutatur non in melius, sed in aliud,vt aduertit Seneca lib. 6. epistol. in epistola 47. At constans, & feruens bonitas, quæ parit simplicitatem confidentem; *qui* enim *ambulat simpliciter, ambulat confidenter*. Prou. 10. 9. Hac ratione contra incredulos, & diffidentes solere loqui Scripturam,ex his manifestabitur.Ecclesiastici 1. 36.dicitur:*Non sis incredulus timori Domini,& ne accesseris ad eum duplici corde*.Hoc est,confide à Domino protegendum,quòd timeas eum, & opem ab eo postulatus ne accesseris nutabundus in fide illius, partim confidens te petraturum,& partim diffidens. & cap. 2.15. *Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo,& ideo non protegentur ab eo:nam qui timēt Dominum, non erunt incredibiles*, hoc est, increduli, vel diffidentes. Hi dicuntur Osee 10. 2.diuisum habere cor. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt*. Qui videlicet Deo verò vnà cum simulacris adhærebant, ac fidebant. Dicuntur etiam ingredi duabus viis, & claudicare; vt Elias 3. Reg. 18. *Vsquequo*,inquit,*claudicatis in duas partes:si Dominus est Deus;sequimini eum;si autem Baal,sequimini illum*. Vt gentes Samaritanæ 4 .Reg. quæ metu leonum cultum Domino præstabant, & nihilominus diis suis simul seruiebant. Dicuntur quoque à Iacobo in sua canonica,

Simplicitas in discipulo. Duplicitatis vitium.

Syncerum quid.

Malitia inconstās est. Seneca.

Cor duplex quid.

 nica,

nica, cap. 1. 6. inconstâtes. *Si quis, ait, indiget sapiētia, postulet à Deo: postulet autē in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur. Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.* quia videlicet caret anchora spei, seu fiduciæ, qua cor hominis affigitur Deo; quemadmodum nauis anchora terræ affixa firmatur, ne à ventis, huc illúcque circumferatur. Præmittit autem hanc exhortationem Salomon, quò Regibus persuadeat firma fide, & integro corde quærere Deum, eiúsque sapientiam implorare, & virtuti, ac pietati se totos dedere; quemadmodum ipse cap. 7. affirmat quæsiuisse, & postulasse, & obtinuisse.

Vir inconstans.

Deus quî quærendus.

5. *Quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum.* Aut, vt legit Hieronymus in 8. Zachariæ: *Appropinquat Dominus iis, qui non tentant illum.* Rationem reddit eius, quod dictum est, Dominum simplici corde, & syncero animo quærendum, ac maximè fideli credendo absque dubitatione vlla quòd possit, sciat, velítque largiri quod postulatur. Nam qui accedunt ad eum diffisi, potiùs exploraturi eius potentiam, sapiētiam, & bonitatem, quòd de ea dubitent, vel non habeant illam compertam, hi tentant Deum, & grauissimè delinquunt; & non solùm non inuenient quod quærunt, sed tāquam Deo contumeliosi, longiùs repellentur. Est autem tentare idem quod explorare, & experimentum sumere, vt id, quod occultum est, & incertum, innotescat, vt cùm magister interrogando, & disputando tentat discipulum quantum profecerit. Sic Deus tentat homines, vt eorum virtus, non ipsi, cui omnia sunt aperta, sed aliis nota sit. Ita dicitur Tobiæ 2. 12. *Hanc autem tentationem cæcitatis ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob.* Tum etiam vt suæ ipsi imbecillitatis conscij, quam ignorabant ceruicem deprimant, quemadmodum Nume. 21. immissis serpentibus tentati sunt Iudæi, vt dolore correpti Deo se submitterent. Dicitur prætetea in Scriptura homo tentare Deum, idque cum magno scelere, vel verbis quidem postulando aliquid à Deo, quo exploret an possit, vel sciat, vel velit illud facere. Qua ratione Israëlitæ in Psalmo. 77. 18. *tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis: & malè locuti sunt de Deo. Dixerunt, nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Quia non crediderunt in eo, nec sperauerunt in salutari eius.* Aut factis, cùm quis eo animo aliquid facit, quod sine Deo fieri nequit, vt exploret Dei potentiam, scientiam, bonitatem, aut fidelitatem, num stet promissis, vt si quis in apertum se proiiciat periculum, vt experiatur an eum seruet Deus ostendendo suam potentiam, scientiam, vel bonitatem. Qua ratione diabolus excitabat Christum, Matth. 4. tentare Deum, eiúsque potentiam, & fidelitatem, qua promiserat, *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis*; cùm posset ille sine miraculo famem depellere, & de pinna-

Tentare, quid.

Homo quî tentet Deū verbis, aut factis.

pinnaculo via consueta descendere; nullaque vel necessitas, vel vtilitas intercederet illa miracula faciendi. Ita qui fide hæsitans postulat à Deo sapientiam, vel quidpiam aliud, cùm dubius accedet an possit illam tribuere, vel sciat, vel adeò bonus, vt velit, vel ita fidelis, vt præstet promissionem suam, tentat Deum, & exploraturus accedit excellentiam eius; magis quàm impetraturus, quod ingentem Deo contumeliam infert. Propterea rectè admonuit Iacobus, vt *postulet in fide nihil hæsitans*; & Ecclesiasticus cap. 18. 20. *Ante orationem*, inquit, *prapara animam tuam, & noli esse quasi homo tentans Deum.* quia videlicet non præparauit fide non hæsitante, & firma. Idem ergo est simplici corde quærere Deum, illique per omnia fidenti, ac credenti, quod non tentante, animo explorandi, ac propterea dubio. Et qui hoc corde petit, accipit, qui hoc animo quærit, inuenit, & pulsanti aperitur. Simplex cor non tentat.

Apparet autem eis qui fidem habent in illum. Vel iis, qui non sunt ei 6.
increduli, vt legit Hierony. in 55. Isaiæ, & in 8. Zachariæ. Est autem
epexægesis frequens in Scriptura, dum obscurè dictum statim clarius reddit. Quod ergo dixerat; Non inuenitur ab his, qui tentant illum, explicat hoc hemistichio, *Apparet*, seu *manifestat se iis, qui fidem habent in illum.* Vnde idem est, sentire de Domino in bonitate, & simplici corde quærere illum, non tentare, ac fidem habere in ipsum. Quia verò particula Græca δὲ, & Latina, *autem*, diuersitatem denotat sententiarum, quæ hîc nulla est, Interpretes accipiunt pro coniunctione, &, dicentes, & patefit, vel manifestat se eis, qui illi non diffidunt; quemadmodum Christus dixit Ioan. 14. 2. *Et manifestabo ei meipsum.* Ostēdit faciem Hieronymus. Cor fidens.

Peruersa enim cogitationes separant à Deo. Rationem reddit præce- 7.
dentis sententiæ. Idcirco inquiens, Deus celat se, nec se manifestat illis, qui sua diffidentia tentāt illum, quia prauæ, ac peruersæ cogitationes, quales sunt explorantium Dei conditiones, ac propterea dubitantium vtrùm possit illis subuenire, vtrùm bonus, vt velit, vtrùm ita misericors, vt suam misericordiam exerciturus sit in eos, qui malorum onere premuntur: denique vtrùm ita liberalis, & beneuolus, vt largiturus sit illis sapientiam, & iustitiam, tamquā illi maximè contumeliosæ, magnum statuunt interstitium inter Deum, & hominem, & longissimè eum à Deo optimo, & maximo repellunt. Diffidentis cogitatio contumeliosa Deo

Probata autem virtus corripit insipientes. Virtutem vno consensu 8.
interpretes ferè omnes accipiūt pro opposita vitio, quæ Græcè dicitur ἀρετὴ, quòd illa multis rationibus probata, & fortis ostensa, apta ad corripiendum insipientes. Roborat hanc intelligentiam Isidorus, qui de vi animi in via Dei bene exercitata explicat. Sed quorsum modo hic de virtute immisceretur ad corripiendum accommodata? Virtus ergo hoc loco idē est quod Dei potētia: nam Græcè est, δύναμις, vnde dynastæ dicuntur potentes; & dynastice potentatus. & vulgatus est hoc nomen virtutis nomine explicare non infrequenter. Atque Virtus, pro potentia.

ita

ita rectè dicetur: *Probata autem Dei potentia corripit vel arguit insipientes.* Potestque duplicem habere sensum. Potentia Dei probata, & spectata multis exemplis, & experimentis in superioribus ætatibus, in quantis scilicet occasionibus subuenerit periclitantibus, quàm potenter ac mirabiliter eos eripuerit. Cui rei comprobandæ faciæ deseruiunt historiæ. Arguit insipientiæ eos, qui Deo non fidunt. Nam diffidentes, & incredulos vocat hîc meritò insipientes. Est & alter sensus commodior rei qua de agitur. Dei potentia dum probatur ac tentatur ab his, qui ex infidelitate dubij accedunt an præstare possit quod petunt, corripit ipsos diffidentes vt insipientes, dum non tantùm non impetrant quod postulant, sed supplicio immisso ipsam Dei potentiam aduersam, vlciscentemque experiuntur, qui negabant misericordem. Ita accidit populo Israëlitico in deserto, cùm dubitaret an posset Deus illis parare mensam in deserto. Psalmo 77. 21. *Ideo*, ait, *audiuit Dominus, & distulit, & ignis accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israel. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos: & occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit.* Non solùm ergo fugit eos Deus, qui diffidunt, ac dubitant de potentia illius, aut de aliis eius proprietatibus, imò dum ita tentatur, ac probatur, suam ipsam potentiam exerit, & bonitatem, & misericordiam abscondit quasi vlciscentem se de eiusmodi insipientibus probatoribus, quos in sua miseria prætermittit.

Prior sensus.

Posterior verior.

9. *Quoniam in maleuolam animam non introibit Sapientia.* Græcum nomen *κακότεχνον*, malorum artificem, inuentricem, seu fabricatricem significat, vt Paulus ad Roma. 1. 30. vocauit *inuentores malorum*. Reddit prædictorum vlteriorem rationem. Deus non conuersatur cum diffidentibus, nec vnquam illis se præbet, imò fugit eos, & grauiter punit, quoniam in anima malitiosa, malefica, quæ malum moliatur ac fabricetur, non dignum paratur sapientiæ domicilium. Nam homo, qui accedit ad Deum sapientiam quæsiturus, & ab eo exoraturus, vt probet illum an eam dare possit, sciat, aut velit, malitiosè accedit, & malum molitur Deo, contumeliamque illi infert, quasi impotenti, nescienti, aut maleuolo, & immisericordi, & eo ipso ineptum se reddit sapientiæ capessendæ; quæ non patietur non solùm in eo permanere, sed nec pedem in illum immittere: quia non potest simul esse sapientia cum insipientia peccati. Vnde ait:

Sapientia quæ fugiat.

10. *Nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Græcè, in corpore obærato peccato, aut ære peccati obstricto, atque implicato, sumpta metaphora à debitoribus, qui sunt implicati atque oppressi ære alieno; qua ratione Paulus ad Rom. 7. 30. se dixit venundatum sub peccato. Vsurpat autem corpus pro homine per synecdochen; & in singulari legitur in omnibus Græcis codicibus, *ἁμαρτίας, peccato*; vulgatus autem ad vitandam cacophoniam per pluralem vertit, *peccatis*. Neque

Diffidentia Deo contraria cur.

loquitur

loquitur in vniuersum de peccatis ex malitia siue carnalibus, siue spi-
ritualibus, quæ alioqui summè obstant Sapientiæ inducendæ, vt pu-
tant communiter expositores; sed de peccato diffidentiæ, ex malitia,
aut ex arte, vel studiosè tentantium Deum. Nam totus est sapiens in
refellenda diffidentia inquirentium Sapientiam. Ait ergo, in homine
huiusmodi peccatorum generi obnoxio, quæ potissimùm opponun-
tur disciplinæ Sapientiæ, ei locum non dari, nec in eum aditum ad
Sapiẽtiam patere, quæ eiusmodi fictiones summè fugit. ideo adiicitur,

Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum. Spiritus sanctus 11.
disciplinæ, Hebraismus est, pro Spiritus, hoc est, Deus: nam Spiritus
est Deus instruens, informans, aut tradens disciplinam sapientiæ. fugit
dolum, legit Hierony. in 63. Isaiæ, id est, quod fictum est, dolosum, aut Hierony-
simulatum in homine, nempe quod opponitur simplicitati, integrita- mus.
ti, ac veritati. Illum enim, qui accedit ad Sapientiæ gymnasium ficto
animo, tentandi potiùs, quàm ex veritate, & simplicitate, discendi
gratia, vt euadat sapiens, & in virtute perfectus, non instruet Spiritus
sanctus informator, ac magister sapientiæ, eiusque gymnasij dignus
moderator.

Et auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. hoc est, migra-
bit, recedet, eripiet se Spiritus disciplinæ ab eiusmodi, vt ibi legit
Hieronymus, stultis cogitationibus, & imprudentibus. Statim Hierony-
enim ac animaduertit in discipulo animum ancipitem, ac diffi- mus.
dentem, & adnitentem magis tentare magistrum, emigtat inde, &
terra, marique longiùs recedit; non aliter ac auis dum sentit laqueum
euolat in altum; & fera dum animaduertit muscipulam prosilit; &
hostis dum videt insidias effugit, & eò timet redire vnde recesserat. Diffidentia
Est enim summè infensa illi Spiritui veritatis, & simplicitatis amatori infensa
eiusmodi fictio, ac diffidentia; & tantùm se adspici patitur ab oculis Deo.
columbarum.

Et corripietur à superueniente iniquitate. Suppositum verbi, *corri-* 12.
pietur, expositores communiter assignant hominem fictum, qui à
suo scelere corripietur, in quod labi permittetur propter suam fictio-
nem. Sed verius est suppositum esse, Spiritum sanctum disciplinæ. Ver-
bum autem Græcum ἐλέγχειν, significat vel arguere, demonstrare,
seu argumento conuincere, vel coërcere, refellere, aut reprimere. nec
est in Græco præpositio, *à*, cùm dicitur, *à superueniente iniquitate.* Et Sensus ve-
erit sensus, cùm aduenit iniquitas in hominem, tunc Spiritus sanctus rus prior.
arguitur, declaratur, perspicitur, cognoscitúrve. Quia sicut

Degeneres animos timor arguit, Virgilius.

vt Poëta dixit 4. Aeneidos, ita iniquitas superueniens arguit, vel de-
clarat spiritum, qui in homine est, verúsne sit, an fictus, quia statim se
profert, seseq́; exerit resistendo iniquitati: & ita perspicitur, vt cernitur Posterior
virtus in periculo. Est alter sensus verior & conformior præcedenti verior.

sententiæ. Spiritus sanctus disciplinæ statim ac senserit iniquitatẽ fictionis,& tẽtationis diffidẽtis ingredi in cor hominis,cõfutabitur,reprimetur, ac refelletur,& quasi probro affectus cũ mœrore abscedet, iuxta illam Pauli phrasim ad Ephe.4.30. *Nolite cõtristare Spiritum sanctum*:quem sensum vulgatus significauit verbo,*corripietur*.nam corripere propriè celeriter rapere est, vt ostendit illud Virgilij 1. Aeneidos:

Virgilius.

—*arcumq; manu, celeresq; sagittas*

Corripit.———

Accepto ergo futuro pro præsẽti ex cõsuetudine linguæ Hebrææ,erit hic totius versus sẽsus:Spiritus sãctus disciplinæ institutor fugit quod videt fictum in discipulo, & abscedit à cogitationibus eiusmodi dolosis,& celeriter corripit sese ab animo eius, mox vt animaduertit similẽ iniquitatem sese in illum insinuare. His variis dicendi modis ostendit Salomon odium,quo spiritus sapientiæ insectatur discipulos,qui tentandi gratia ad eum accedunt,magis quàm simpliciter discendi.Nam est ornamentum vbique adolescenti silentiũ securum, vt dixit Plutarchus in libro de audiendo; qui tribuat dicenti commendationẽ candidè,verbis verò fidẽ religiosè,dictionisque,& actionis declamantium beneuolum se, & simplicem præstet auditorem: quales se præstabant Pythagoræ in audiendo discipulo, quinquennali obligati silentio.

Discipulus sapientiæ qualis.

Plutarchus.

Silentium Pythagoræ.

13. *Benignus est enim Spiritus sapientia, & non liberabit maledicum à labiis suis.* φιλάνθρωπος, hoc est, humanus,aut amator hominum est Spiritus.σοφία sapientia in nominandi casu legunt codices Complutensis, Regius, & Vaticanus. Ita quoque Augustinus libro ad Consentium de mendacio ,cap.16.*Humanus est enim*, inquit,*Spiritus sapientia*. Verùm ceteri commodiùs cum vulgato legunt in genitiuo σοφίας sapientiæ. Inducit rursus Salomon Sapientiæ instructorem Spiritum sese efferentem, & acriter inuehentem in infidum auditorem, qui non contentus interna sua diffidentia, vlteriùs progressus formam induat increduli Academici,qui ad omnia obstrepit , omnia dubitat, omnia tenebris obruit,ac disputationibus,& contentionibus incerta reddit, in sapientiam insurgit, obscura tradit documenta, inutiles præceptiones clamat, præceptorem insequitur maledictis ,quasi nesciat rationem reddere de sapientia sua: denique interturbat omnia sapientiæ hostis infensus. Contra hunc ergo ita Sapientiæ spiritus insurgit. Quòd si vltrà progrediaris ad maledicentiam in Deum, vt non contentus prauè de illo cogitasse,tuas rursus cogitationes sermone maledico manifestes, impotentem illum, inscium,maleuolum, aut immisericordem inclamans, scias te meritò ab eo supplicio afficiendum. Quia Spiritus Sapientiæ,licèt sit hominum amantissimus, & in deliciis habeat cum illis agere,& se illis communicare:at tam graui odio prosequitur huiusmodi cogitationes, & maximè maledicentiam, & diuinæ maiestatis detractionem , vt nequaquã maledicum liberum à culpa labiis suis cõmissa patiatur abire, quin illum puniat grauissimè.

Augustinus.

Academici auditoris mos.

Græcè

Græcè dicitur, Neque innocentem habebit blaſphemum à labijs ſuis, hoc eſt, non relinquet impunitum tamquam inſontem, vel innocentem, blaſphemum illum, & contumelioſum in Deum, qui audet ea loqui, quibus Dei gloria, eiuſque potentia, & bonitas extenuatur, & obſcuratur: quinimò graues luet pœnas propter blaſphemias, quas labiis effutiit ſuis. Pœna maledici.

Quoniam renum illius teſtis eſt Deus. Hanc rationem adiicit, vt excu- 14.
ſationem refellat, quam infideles illi blaſphemi poſſent cauſari, aſſerentes nihil eſſe timendum, quòd Deo nulla ſit de homine cura, nulla prouidentia; vt illi apud Iob. 22.14. qui dicebant: *Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat.* Ait ergo, Non relinquet impunitum Deus eiuſmodi blaſphemum, nec celari ei poterit, quia adeò perſpecta ſunt omnia quantumcunque intima hominis Deo, vt concupiſcentiarum eius, & affectuum, qui ſedem habent in renibus, teſtis ſit ipſe Deus, qui cùm iudex ſederit pro tribunali, ſuomet teſtimonio tamquam omni exceptione digniſſimo, ſententiam feret.

Et cordis illius ſcrutator. Græcè ἐπίσκοπος, id eſt, inſpector cogitationum, quæ prodeunt ex corde. *Omnia enim nuda ſunt, & aperta oculis Dei Epiſcopi animarum noſtrarum,* ad Hebræ. 4.13. Diximus de his loquendi formis ſuper vndecimum Ieremiæ. *Et linguæ eius auditor.* inſtrumentum, nempe linguam accepit pro verbis per eam prolatis, per metonymiam. Nullum enim verbum eſt, quod Deum prætereat, non minùs quàm interna cogitatio. Quare ex hac parte non effugiet Dei manus quicunque maledicus. Deum nil latet.

Quoniam Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Confirmat 15.
quod dixerat, nihil celari poſſe Deo quantumuis intimum, & abſconditum; quia Spiritus Domini orbem replet vniuerſum, & omnia ſunt Deo plena. Siquidem, vt rectè dixit Athenagoras in oratio. de Reſurrectione mortuorum, nihil neque terreſtrium, neque cæleſtium rerum cura, & prouidentia deſtitutum eſt; ſed in omnia æquè, tum quæ in aperto ſunt, tum quæ latent, in magna item, & parua penetrat creatoris ſolicitudo. Nam Deus, vt ait Philo lib. 2. Allegoriarum legis, implet omnia, penetrat omnia, nihil omnino relinquens ſeipſo vacuum; & quem locum occupabis, in quo non ſit Deus? itaque nemo poteſt ſe ab eo abſcondere. Athenagor. Philo.

Et hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis. Græciſmum 16.
ſeruauit, vt ſæpe aliàs: nam genus Græci nominis πνεῦμα, quod neutrum eſt, retinuit. Latinè dicendum erat, Et hic, qui continet omnia, nempe, Spiritus, vt legit Auguſtinus in Speculo, c. 2. de Symbolo ad Catechum. c. 4. & Interpres Origenis in 7. libro epiſtolæ ad Roma. cap. 9. qui continet, ſuſtentat, & conſeruat omnia, & ſine quo ſtatim in nihilum abirent, ſcientiam, vel clariùs cognitionem vocis habet. Auguſtinus.

hoc est, non potest non cognoscere hominis orationem, & sermonem quantumuis occultum. Nam qui plantauit aurem non audiet? Quare non conuenit rei qua de agitur sensus ille, Spiritum sanctum repleuisse vniuersum orbem supernarum rerum cognitione; *& hoc quod continet omnia*, nempe mundum ipsum, cuius ambitu continentur omnia, *scientiam vocis* habere, id est, magistri vices gerere ad inducendum nos in Dei laudes, iuxta illud Psalmi 18. 2. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Qui sensus sub illis verbis non continetur de Dei cognitione prolatis, qua percipit discipuli maledici maledicta, & probra: vt versus sequens satis ostendit. Accommodauit hæc verba Ecclesia aduentui Spiritus sancti in die Pentecostes super Apostolos: *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto*; & is ipse, qui cōtinet omnia, communicauit illis; vel is, nempe homo, qui omnes rerum continet gradus, consecutus est scientiam vocis, nempe varia genera linguarum: nam *cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*: dedit quoque intelligentiam vocum sanctarum Scripturarum. Qui de Spiritu sancto Patres hunc locum intellexêre, ex eo eius probant diuinitatem simul & immensitatem.

Sensus de mundo improprius.

17. *Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere.* Concludit ex ratione præmissa certum statui hominem impia in Deum effutientem, ei celari non posse. Quare, ait, qui loquitur iniusta, numquam sanè latebit; ac si dicat: Ne existimet qui loquitur de Deo quæ illi minimè conueniunt, nihil esse verendum, quòd Deus sua cognoscat maledicta: cùm ex ratione prædicta satis colligatur, certum nullo modo posse latere Deum.

Nec præteriet illum iudicium corripiens; vel redarguens, aut castigans, non abibit impunitus ex iudicio diuino, in quo redarguuntur, & puniuntur peccatores.

18. *In cogitationibus enim impij interrogatio erit.* Rationem adiicit cur impius non sit abiturus impunitus ex diuino iudicio. Quia, inquit, in consilia impij inquisitio fiet, vel quæstio habebitur de prauis impij consiliis, seu de improbis, & perplexis impij cogitationibus: nam διαβούλιον aliquando significat improbum, & perplexum consilium. Vulgatus solet, sicut verbum, interrogarē, pro inquirere, aut examinare, vsurpare, vt Psalmo 10. v. 5. 6. *Palpebræ eius interrogant*, hoc est, explorant, vel examinant, *filios hominum. Dominus interrogat*, id est, examinat, *iustum, & impium*. Ita nomine interrogationis vtitur pro quæstione seu interrogatione iudiciali, vt Ecclesiastici 16. 22. *Et interrogatio omnium in consummatione erit.* hoc est, ergo de cogitationibus impij interrogatio erit; cogitationes impij inquirentur, & examinabuntur.

Interrogatio quid.

Sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. id est, Rumor, & fama sermonum eius deferetur ad Deum, vt delicta eius coarguantur, corripiantur, & puniantur. Itaque

& im

& impij cogitationes, & sermones à Deo examinabuntur, & expendentur, vt plectantur iuxta malitiam suam.

Quoniam auris zeli audit omnia. Nullus sermonum impij occultatur Deo, quia auris, quæ tanta cura, & solicitudine zelat salutem hominum, nihil potest negligere, quod in eis non obseruet, & inspiciat. vel potiùs, quia auris zelosa, indignabunda, quæ indignatur qualibet culpa, & sceleratis impiorum verbis offenditur, prouocatur, & exacerbatur, nihil præterit, quod non auscultet, & audiat, instar hominis suspiciosi, qui in angulis, & in obscuris locis auscultat an de re sua agatur. 19.

Suspiciosi conditio.

Et tumultus murmurationũ non abscondetur. Nomen γογγυσμῶν, quod hîc vertitur, *murmurationum*, propriè est tumultus seu rumor sonuum vehementium, & asperorum, vt sunt grunnitus, & fremitus, quo verbo, vnde id nomen deriuatur, vsus est Paulus 1. ad Corint. 10. v. 10. cùm dixit, *Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt*, id est, grunnierunt, *& perierunt ab exterminatore.* Nam sui murmuris grauissimas pœnas dederunt, vt dicitur Numer. 14. 29. *Omnes, qui murmurastis contra me, non intrabitis terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam vobis.* Est autem eiusmodi murmur, seu grunnitus propriè, seruorum pigrorum. Ait ergo. Rumor contumeliosarum vocum, & querelarum impiorum, quibus ipsi secum inuicem Deum accusant, eiúsque aures, etiam si tantùm mussitent, vehementer feriunt, atque offendunt, instar grunnituum porcorum, quibus hominum aures offenduntur, non abscondetur, pro, non absconditur, vel occultatur Deo. Ponitur enim & hoc loco futurum pro præsenti, quemadmodum legit Augustinus in libro de Essentia diuinitatis.

Grunnitus seruorum.

Augustinus.

20. *Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest.* Ne igitur incidatis in manus Domini, cuius aures vestra murmuratione offendistis, cauete eam tamquam inutilem, vel abstinete vos ab eiusmodi contra Deum murmuratione, fremitu, seu grunnitu inutili. Inutilem dixit murmurationem, seu quæ nihil prodest, per Miosin, pro, maximè noxiam, & quam grauissimo supplicio solet vlcisci Deus, vt vltus est Numero. 11. in loco incensionis, & in sepulcris concupiscentiæ, & sæpe aliàs. *Et à detractione*, quæ denigrat famam absentis, hoc est, à maledicentia, & contumeliosa oratione, quæ alio nomine dicitur blasphemia, qua Dei læditis maiestatem, *parcite linguæ*, seu continete linguam: vel continete vos à verbis blasphemis, & contumeliosis in Deum. Nam de hac murmuratione est hîc sermo.

Miosis.

Quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit. Sermo obscurus, id est, occultus, clàm licèt prolatus, vacuus à pœna, vel impunitus non abibit, per Miosim, sed multis onustus suppliciis, & calamitatibus: nam impiæ orationis pœna comes erit.

Miosis.

21. *Os autem, quod mentitur, occidit animam.* Os mentiens in Deum,

eiúsque detrahens potentiæ, aut bonitati, animam interimit. Itaque non euadet pœnam, quantumuis occulté mentiatur, sed graui scelere irretit animam ad interitum æternum. Sic Augustinus lib. de mendacio ad Consentium, cap. 6. & libro de natura, & gratia contra Pelagianos, cap. 15. Quòd si velis hîc sermonem esse de animæ interitu, acceptæ pro vita, quia sibi adimit vitam blasphemus, vel est causa cur à Deo vita illi adimatur, ob suam blasphemiam, & omni exitio subiiciatur: non omnino aberrabis. Non quòd mortis animæ in veteri Testamento non fiat mentio, vt quibusdam videri potuit. Nam dixit Augustinus libr. 13. de Ciuit. Dei, cap. 23. Cùm Deus, & dicendo, *Adam, vbi es*, mortem significauerit animæ, quæ facta est illo deserente: & cetera inferiùs repetenda. Cùm enim mors animæ sit separatio animæ à Deo (sicut mors corporis, separatio animæ à corpore) per quam anima obnoxia fit æterno interitui, addicitúrque æternis cruciatibus: & in veteri Testamento illius mortis animæ factam mentionem constet ex his, quæ dicta sunt versu 7. peruersas cogitationes separare à Deo, & si nulla fiat tam aperta mentio mortis secundæ, de qua in fine huius capitis redibit sermo, intelligi hic locus posset de morte animæ. Sed maximè de morte corporis, seu quouis exitio à Deo immisso, quòd in sequentibus de sola morte corporis agatur, ex hoc loco sumpta occasione. Scitum est enim quærere animam aut occidere, pro occidi, aut quæri hominem in Scriptura vsurpari. Nam Genes. 37. 22. dicitur, *Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem*. & Exod. 12. 15. *Peribit anima eius de Israël*. Nume. 25. 10 *Moriatur anima mea morte iustorum*. Deuter. 19. 6. *Et percutiat animam eius, qui non est reus mortis*. & 22. 26. *Et occidit animam eius*. Quibus in locis, anima, pro homo, dicitur percuti, aut occidi. Manebat autem graue supplicium hominem blasphemum, & maledicentem Deo: nam morti, seu lapidationi ex lege subiacebat, Leuit. 24. 11. & Deus ipse ærumnis ingentibus, & calamitatibus affligebat. Vnde verè hîc dicitur, hominem eiusmodi se in exitium coniecisse, & suæ vitæ interitum adduxisse.

Augustinus.

Anima, pro vita.

Augustinus.

Mors animæ.

Anima, pro vita.

Maledici pœna.

22. *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ*. Verbum Græcum ζηλοῦτε, quod interpres solet verbo zelare, aut æmulari transferre, vt Psalmo 36. 1. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem*, est vehementer diligere, & cupidè aliquid affectare. Igitur cùm dixisset, os in Deum mentiens suæ vitæ mortem moliri, aut sibi mortem afferre, dehortatur nunc ab ea ipsa ratione viuendi, quæ certam affert perniciem: qualis est illorum hominum, qui cupidè faciunt ea, quæ certam apportant mortem: hi enim ex consequenti dicuntur zelare mortem, seu cupidè eam sectari. Ait itaque: Ne magna æmulatione, & zelo, ne vehementi desiderio experatis, ingeniíque studio quæratis, ac persequamini rationem vitæ à via recta deerrantem, remotam

Zelare quid.

motam à timore Dei,& à disciplina Spiritus sancti, quam certa mortis pernicies comitatur; ne eodem zelo, desiderio, studióque videamini mortem ipsam vobis accersere. *Neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum.* Hæc sententia explicat præcedentem, nempe, Neque per opera vestra, vel, neque operibus vestris exitium vobis attrahatis,vel adducaris. Aut ne lotis,vt aiũt, manibus in ipsum exitium vos coniiciatis,in Deum maledicta iacientes. Præpositio, in, dum dicit,in errore,& in operibus,superfluit per Hebraismum.

Deus mortem non fecit,nec lætatur in perditione viuorum. Ne arbitremini,inquit,Deum vestro interitu,malóque lætari,quando vos afficit supplicio; sed vos ipsos mortem vobis accersere vestris sceleribus: compertum esto vobis, ac persuasum, mortem non esse creatam à Deo,cùm inuidia diaboli mors introierit in orbem terrarum: neque delectari ipsum perditione, seu interitu viuorum: Deus enim prima intentione ad vitam,& bonum creauit hominem. at quia ipse sponte peccauit,consecuta est pœna mortis culpam, quam Deus instituit ad puniendum hominem peccatorem, vt inquit Paulus ad Roma. 5. 12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerant.* 23.

Creauit enim, vt essent, omnia. quippe qui omnia creauit vt essent, non vt in nihilum redigerentur:non ergo ipse creauit mortem.Rectè probat mortem non fuisse creatam à Deo:nam creatoris officium est ex nihilo educere omnia ad esse; at per mortem deperdunt id quod habent esse,ergo Deus creator bonus mortem non fecit.At quia mors boni creaturæ priuatio est,ex consequenti Deus rectus Iudex creaturam, quæ Deum priuauit bono suo per peccatum, priuauit ipsam bono vitæ suæ per mortem. Sic igitur mortem non creauit vt esset, tamquam bonum aliquod, sed vt esset pœna culpæ. 24.

Deus mortis factor qui.

Et sanabiles fecit nationes orbis terrarũ. Interpretes Hugo,Lyra,Dionysius cũ ceteris,intelligunt hîc factos homines præditos libero arbitrio,vt sanari possent; cùm reuera non sit hîc sermo de animæ salute cõsequenda:Græcè enim in recto leguntur hæc nomina,& salutares generationes mũdi,vt legit Hieronymus in 12.Zachariæ.Accepit autem vulgatus sanabiles, pro salutares, seu salutiferæ, vt sanare solet aliquando pro saluare vsurpare.& nationes pro rebus natis in mundo.& est sensus,& res omnes natæ,aut productæ in mundo salutiferæ sunt:nam tales creauit Deus,vt essent homini salubres. Vel accipit geneses,vel nationes pro natales,origines,vel ortus mundi,quemadmodum Genes. 2.4 dictum est, *Hæ sunt generationes cæli, & terræ,* hoc est,hæ sunt natales,seu dies natalitij,quibus in lucem editi sunt cæli, & terra. & erit sensus, Mundus initio ita creatus fuit, vt nihil in eo esset mali. Nam *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Gene.1.31.

Hieronym.

Natales mundi.

Et

25. *Et non est in illis medicamentum exterminij.* Græcè, & non est in eis pharmacum exitij. Hieronymus in 12. Zachariæ legit, & non erit eis venenum mortiferum. Græcum nomen φάρμακον, pharmacum,& Latinum medicamentum, vt etiam venenum, medium vocabulum est, quod tam pro toxico, quàm pro salutifero medicamento potest accipi. Ita Caius Iureconsultus in l. qui venenum, ff. de verborum significatione, asseruit, cùm dixit: Qui venenum dicit, adiicere debet an malum, an bonum sit. Nam & medicamenta venena sunt, quia eo nomine omne continetur, quod naturam eius, cui adhibitum sit, mutat. Cùm id apud nos venenum appellamus, Græci φάρμακον dicunt; apud illos quoque tam medicamenta, quàm quæ nocent, hoc nomine continentur. Vnde adiectione alterius nominis admonet nos summus apud eos Poëtarum Homerus, qui sic ait, φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. Hæc ille. Sic etiam de veneno affirmat Gellius lib. 12. Noctium Atticarum, cap. 9. quamuis vsu factum est, vt pro medicamento mortifero vsurpetur. Igitur Interpretes exponunt hunc locum, nullum esse hominibus medicamentum in terra, quo euadant mortem corporis, & animæ, quia hoc Dei munus est. Verùm sensus germanus est, in rebus creatis nullum fuisse factum venenum exitiosum, aut mortiferum. Vel in mundi originibus, atque natalibus nullum fuit malum mortiferum; siquidem omnes fuere, vt dixerat, salutares. Sed percontaberis forsitan, qua ratione hoc verum comprobetur, nullam creaturam veneficam aut cum veneno factam fuisse, cùm serpenti omnis generis venenum naturale fuerit, & herbæ nonnullæ natura sua noceant, animalia quoque aliqua morsu, aut percussione inficiant corpora? At inficiari non debemus, Deum in mundi conditione, rebus singulis suas condonasse naturas, suas indidisse virtutes, & facultates. Sed vt cætera, quæ homini natura noxia erant, in felici illo Paradisi statu singulari Dei prouidentia repressa sunt, potentiáque cohibita, cohibenda pariter omni tempore, quo status ille felicissimus permansisset: ita & serpentes cohibiti ne erumperent in odium aduersùs hominem, & ne nocendi studio, atque conatu infundendi venenum ei insidiarẽtur, arbores quoque, herbæ & alia quæque animalia ita à Deo temperata sunt, vt nequaquam homini nocerent, nec homo ea exhorresceret. At postquam homo in Deum peccauit, sublata illa singulari Dei protectione, omnia libera relicta sunt, & naturæ suæ reddita, vt tanquam in hostem, in hominem insurgerent, eisque insidiarentur, & nocere conarentur; ac si ex eo tempore bellum indictum fuerit, & publicatum inter animalia noxia, & res alias veneficas, & hominem, contra quem armauit se orbis terrarum. Nec propterea damnanda natura, quòd cum vtilibus etiam perniciosa generarit: nam quæ tibi inutilia, perniciosáque videntur, vsibus aliis proficua sunt, & tibi ipsi alio tempore salubria,

Hieronymus.

Pharmacũ, mediũ vocabulum.

Caius.

Homerus.

Gellius.

Sensus verus.

Quæstio.

Deus quî venefica fecit.

Hominis status felix.

Hominis statum infelicẽ pœna secuta.

Natura nõ damnanda.

re salubria, vt ostendit rectè Ambrosius lib. 3. in Hexameron, cap. 9. & lib. 6. cap. 6. Quemadmodum ergo Deus in principio mortē non fecit, sed singulari beneficio illam aliàs homini naturalem ab homine propulsabat, & arcebat, ita & omnia, quæ ei mortem, exitiúmque afferre possent, immisso veneno, continebat, & temperabat, donec per peccatum aditus morti patuit, & iis quæ mortem illi aduehe rent, & hoc est, non fuisse in vlla creatura in initio, medicamentum exitij, quod exitium, interitúmque homini afferre posset; quamuis esset quidem medicamentum salutare, & innoxium. Ambrosius.

Nec inferorum regnum in terra. Græcè dicitur iocundiùs, Nec Orci, vel inferi regia, seu palatium in terra. Hunc locum sunt qui ita explicent, vt mortis regiam inferorum ima loca existiment, quasi dixerit Sapiens; Mors in mundum non est inuecta à Deo, quinimò, si quid ille ad mortem pertinens in mundo constituit, in viscera abdidit terræ; vbi amplissimum quoddam fabricauit sepulcrum, quod æternæ morti damnatos exciperet, quod regia mortis, seu palatium meritò appellatur: *vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, vt dixit Iob cap. 10. 21. Sed quid quod Sapiens non dicit: Nec mortis regnum, seu regia in terra, sed inferorum regia: non enim de mortis regia loquitur, sed inferorum: nam mortis regia domus potiùs dicitur sepulcrum, quod est omni mortali constitutum domicilium, vt dixit Iob cap. 30. 23. *Scio quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti*; & cap. 17. 13. *Si sustinuero*, inquit, *infernus domus mea est, & in tenebris straui lectulum meum. Putredini dixi, Pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus*; vt intelligatur loqui de sepulcro. Psalmo 48. 12. *Et sepulcra eorum domus illorum in æternum.* Illud verius præsenti loco explicando videri, egregia quadam hypotyposi describi à Salomone inferni dominatum in omnes homines super terram habitantes, à tempore, quo in Adam peccauerunt. Sicut enim ex quo peccauit Adam, peccatum suum regnum erexit in mundo, *& mors* quoque *regnauit ab Adam vsque ad Mosem*, vt ait Paulus ad Roma. 5. 12. ita etiam regnauit infernus: nam quemadmodum peccatum dicitur regnare in mundo, quia omnes obnoxij peccato nascuntur; & mors itidem, quia omnes morti obstricti sunt, sicab Adam vsque ad Christum omnes infernis tenebris obnoxij decedebant, cùm nemini tunc aditus pateret in cælum; ita infernus suum imperium exercebat in homines media morte, vt hac forma loquendi Ioannes Apocal. 6. 8. inuitatur vt videat. *Et ecce*, ait, *equus pallidus: & qui sedebat super eum nomen illi mors, & infernus sequebatur eum, & data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ.*

16. Sēsus prior. Regia mortis apud inferos. Refutatur. Regia mortis sepulcrum. Sensus verus. Infernus dominatus homini per mortem.

Erat quoque Ethnicis huius rei non inconcinna adumbratio

Inferorũ regnũ quod Poëtis. Tertullianus. Plato. Iouis tribunal. Plutarchus.

adcò communis, vt & Philosophi, & Poëtæ, infernorum regnum non semel descripserint. Tertullianus lib. de anima, cap. 54. inquit, Inferos Plato velut gremium terræ describit in Phædone, quò omnes labes mundialium sordium confluunt: tribunal constitutum à Ioue ad homines decedentes iudicandos describit in Gorgia latè, quem refert Plutar. in oratione cõsolatoria ad Apollonium, vbi multos alios Græcos affert Poëtas, quibus & Latinus Poëta in li. 6. Æneidos suffragatur. Inferorum regnum, quod suum in terram extendebat imperium, Pluto, seu Orcus obtinuit, ᾅδης alio nomine appellatus, quasi ἀειδὴς, quòd oculis non pateat, propter obscuritatem, & colore vacet, vt Plutarchus existimat in lib. de Adulatoris, & amici discordia; & lib. de primo frigido. Nam illo in loco sic ait: At qui sortem obtinet diuersam, siue Deus is est, siue dæmon, ᾅδην, id est, Orcum appellant, quòd mortui in locum tenebrosum, & obscurum demigremus, ad densæ noctis, somnique inertis regem; nempe ad Plutonis ædes, vt ait Lucianus in Dialogo de luctu. Hunc in homines terram incolentes exercuisse potestatem ostendit in primis nomen Orcus, quod Festus ab vrgendo dictum putat, quòd ad mortem homines vrgeat. Deinde Plutarchus in lib. de Iside, & Osiride, ad finem, sic loquens: Et hoc, quod huius seculi sacerdotes obiter cum reuerentia, & religiosè subindicant, Deum hunc imperium, & regnum in mortuos habere; neque diuersum esse ab eo, qui apud Græcos ᾅδης, id est, Orcus, & Pluto dicitur; vulgus quod ignorat quî id verum sit, obturbat, suspicans in, & sub terra, vbi defunctorum corpora delitescere videntur, sacrosanctum reuera Osirim domicilium habere. At hoc loco, qui à nobis explicatur, Græcum hoc nomen ponitur, cùm dicatur, ἐν δὲ ᾅδου βασίλειον, in terra, hoc est, Nec Hadu, Orci, Ditis, Plutonis, aut Osiridis regia in terra. Perstat in probando Deum in prima hominis conditione mortem non fecisse, sed ipsum peccando in mundum eam inuexisse; quod alia iocunda periphrasi id ostendit, infernus quidem locus, vbi ignis ardet æternus, primùm quidem diabolo paratus est, & Angelis eius, vt dixit Christus Matth. 25. 41. & necdũ cùm homo in prima sua iustitia perseuerabat, potestatem vllam ᾅδης, seu princeps, aut rex inferni exercebat ad mortem. At postquã peccauit, & morti, & diabolo principi mortis, & infernorum regi sese subiecit. Vnde ex eo tempore ᾅδης, Orcus, Pluto, seu certè diabolus suam regiam constituit in terra, & homines suæ subdidit potestati: iustitia enim liberum eum faciebat, sicut à peccati iure, sic & à mortis, infernique reatu.

Pluto inferni rex. ᾅδης cur dictus. Plutarchus. Lucianus. Festus. Orcus ab vrgendo. Osiris. Infernus homini cœpit dominari per culpam. Iustitia liberhomo.

27. *Iustitia enim perpetua est, & immortalis.* In Græcis ferè omnibus codicibus, Regio etiam & Vaticano, coniunctio, *enim*, rationalis ponitur, cùm in solo Cõplutensi, aduerbium diuersitatis δὲ, *autem*, adiiciatur. Vnúmque nomen ἀθάνατος, sine morte, aut immortalis, du-

plici

plici exposuit vulgatus, cùm Græcè tantùm dicatur: Iustitia enim immortalis est. Reddit rationem Sapiens eius quod dixerat, Deum in principio non fuisse mortis auctorem, nec fuisse in prima mundi creatione, venenum malúmve aliud, quod homini exitium, vel mortem inferret, nec inferni rectorem in eum suam ostendisse potestatem; quia videlicet iustitia, quam seruat Deus, dum tribuit rebus iuxta insitam naturam, quod illis proprium est, ad earum perpetuitatem; vel iustitia, eadem quæ virtus, ex se perpetuitatem inducens. Veriùs iustitia, in qua creati sunt homines, quæ non sinebat possessorem suum venire sub mortis imperium, sed perpetuæ vitæ illi causa erat, nisi ille se decipi, atque in barathrum peccati coniici pateretur. Iustitia seruabat à morte.

Impij autem manibus, & verbis accersierunt illam. Non iustitiam, quæ fœminei generis est, etiám Græcis δικαιοσύνη, sed mortem, quæ est masculini generis θάνατος, quam refert masculinum relatiuum αὐτὸν, dixerat in hominibus à Deo creatis nullam fuisse mortis necessariam causam, imò verò fuisse iustitiam immortalitatis effectricem. Declarat modò id quod quæri posset, vndénam homines mortem incurrissent? Inde, respondet, quòd à iustitia, in qua creati fuerunt ad iniustitiam reciderint, & tum iam iniustitiæ dediti, adeò celeriter indiuulsa comes adfuit illi mors, ac si manibus, & voce eam adsciuissent, aduocassent, seu accersiuissent, per illius transgressionem præcepti Gen. 2.17. *In quocunque die comederis, morte morieris.* 28. Mortem impij adsciuerunt.

Et æstimantes illam amicam, defluxerunt. Vel illam amicam arbitrati contabuerunt: ardenti eius scilicet amore, & cupidine, eo modo, quo suprà dixerat v.12. *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ.* Potest & hac ratione accipi. Arbitrati non sibi nocituram accersitam mortem propter illam Serpentis promissionem, *Nequaquam moriemini*, aliter accidisse experti sunt, quàm putarant: nam continuo mortis stimulo puncti tabescere, atque in modum labentis vndæ ad mortem defluere, ac properare cœperunt, atque sic tandem perierunt. Vel defluxerunt, id est, ad fluxam, instabilémque iniustitiam, mandatum transgressi, à iustitiæ stabilitate transierunt. Sed primus sensus verus, & rei, qua de agitur, magis consonus: nam ostendit, quanta cupiditate mortem quasi amicam ad se traxerunt, & pacto inito illi adhæserunt. In eo autem amicam mortem sunt arbitrati, quòd existimarent cum ea omnia consummari, atque finiri: & nihil post eam calamitatis superesse, & ideo defluxerunt, in vitia quæque præcipites euntes. 29. Mors amica finis omnium.

Et sponsiones posuerunt ad illam. Vel fœdus inierũt cum ea, tanquam cum socia, & amica, quæ ipsos non tangat, & ita securi viuant, quasi nunquam morituri, aut certè morte suaui. Sed verius, iuxta præcedentem sententiam, fœdus cum ea inierunt, diligentes ea, quæ morti coniuncta sunt, eamque afferunt: nam iniquitati adhærere statuerunt. Vel cum serpente mortis præductore, & falso pollicitatore, *Eritis si-*

cui Dij, scientes bonum, & malum, fœdus percutientes, à Dei mandato recesserunt, mortique quasi cum ea confœderati, sese addixerũt: nam

Fœdus impiorum. secuti, vt diximus, eam sententiam, quòd omnia cum morte finiantur, secum inuicem pacti sunt voluptati indulgendum, & violentiam in omnes exercendam, vt in tertio capite dicent.

31. *Quoniam digni sunt qui sint ex parte eius.* Græcè, quoniam digni sunt partis illius esse, id est, qui mortem accersierũt, & cum ea fœdus inierunt, digni sunt certè, qui illius sint participes, & morte moriantur, vt illis fuerat Dominus comminatus. Etenim quàm certo impij

Peccatum, malorum fons. suis actionibus iniquis sibi mortem apportent, manifestius est, quàm vt oporteat explicari: quos enim morbos, quàm turpes, putridos, & ad mortem ducentes, libidinosi, & luxuriæ mancipia non incurrunt? quibus necibus, qui iracundia concitati, lites mouent, rixas & contentiones, non sunt subiecti? Quid de inuidis dicendum? qui seipsos interimunt, tabe se inficiunt, dentibus suis se corrodunt, & miserè pereunt: hi omnes cum ceteris operibus suis, ac verbis mortem accersunt, quasi amicam, quod cum voluptate, & cupiditatis satietate coniuncta sit; & cum illa fœdus inierunt, quasi cum dilecta sponsa, nihil malum existimantes, quod voluptatem comitetur, aut insequatur. digni qui non solùm corpoream mortem, sed æternam incurrant. Existimant Hugo, Lyra, & Dionysius, ceterique nonnulli interpretes, illis verbis, *quoniam digni sunt qui sint ex parte eius*, mortem æternam intelligi. Sanè, inquiunt, morte sunt æterna digni, in quam tandem de-

Augustinus. uenient, vt in æternum puniantur. At Augustino lib. 13. de ciuita. Dei, cap. 23. visum est in vniuersum nullã factam fuisse in veteri Testamento mortis æternæ mentionem. Cùm Deus, inquit, & dicendo, *Adam vbi es?* mortem significauerit animæ, quæ facta est, illo deserente: & dicendo, *Terra es, & in terram ibis*, mortem significauerit cor-

Mortis secundæ nulla mentio in lege. poris, quæ fit anima decedente, propterea de morte secunda nihil dixisse credendum est, quia occultam esse voluit propter dispensationem Testamenti noui, vbi secunda mors apertissimè declaratur. Verùm multa sunt, quæ in veteri Scriptura locum damnatorum non ob-

Facta certè. scurè tradunt, sub nomine Gehinnon, Topheth, aut Seol, vt probat optimè Genebrardus lib. 3. de Trinita in expositione Symboli Athanasij num. 38. Nam ethnici vetusti eius loci multam mentionem fecerunt; cur illius meminisse priscos Synagogæ patres inficiabimur? Nihilominus hoc loco non de æterna morte, sed de morte corporis,

De morte corporis est sermo. quæ per peccatum in mundum inuecta est, sermonem institui, & quæ præcesserunt, & quæ sequuntur manifestant: nam de ea morte constanter locutus est Sapiens, quam dixerat Deum nõ fecisse: & de qua falsa ratione, quòd post mortẽ corporis nulla sit futura vita, atq; adeò nec mors æterna, sibi inuicem improbi persuadẽt, genio indulgere, & de futuro nullam curã gerere: nec de præmio, aut supplicio solicitari.

SAPIEN



SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT II.

VETVS.

1. *Dixerunt enim cogi-
tantes apud ſe non
rectè: 2. exiguum,
& cum tædio eſt tē-
pus noſtrum. 3. Et non eſt re-
frigerium in fine hominis, &
non eſt, qui agnitus ſit reuerſus
ab inferis.*
4. *Quia ex nihilo nati ſu-
mus, & poſt hoc erimus tanquã
non fuerimus: quoniam* 5. *fu-
mus flatus eſt in naribus noſtris:*
6. *& ſermo ſcintilla ad com-
mouendum cor noſtrum.*
7. *Qua extincta, cinis erit
corpus noſtrum, & ſpiritus dif-
fundetur tanquã mollis aër,* 8.
*& tranſibit vita noſtra tanquã
veſtigium nubis, & ſicut nebu-
la diſſoluetur, quæ fugata eſt à
radiis Solis, & à calore illius ag-
grauata.*
9. *Et nomen noſtrum obli-
uionem accipiet per tempus, &
nemo memoriam habebit ope-
rum noſtrorum.*

10. *Vm*

NOVA.

Dixerunt enim intra ſe cogitantes non rectè: exigua eſt, & moleſta vita noſtra, nec eſt remedium contra obitum hominis, nec eſt agnitus qui redierit ex inferno.

Quia temerè nati ſumus, & poſthac erimus quaſi non fuerimus: quoniam fumus eſt ſpiritus in naribus noſtris: & ſermo ſcintilla in motu cordis noſtri.

Qua extincta, cinis euadet corpus noſtrum, & ſpiritus quaſi mollis aër diffluet, & nomẽ noſtrum obliuioni mandabitur in tempore, nec quiſquam geſtorum noſtrorum memoriam vſurpabit, ſed ſicut veſtigiũ nubis præteribit vita noſtra, & quaſi nebula à radiis Solis profligata, eiuſque calore compreſſa, diſſoluetur.

10. *Vmbræ enim transitus est tempus nostrum,* 11. *& non est reuersio finis nostri:* 12. *quoniam consignata est, & nemo reuertitur.*

Vmbræ enim transitus instar est tempus nostrum, nec est reuocatio pedum à morte, quoniam consignata est; nec inde quisquā reuertitur.

13. *Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter.*

Adeste igitur, & bonis fruamur pręsētibus, & creatura vtamur sicut adolescē-tia studiosè.

14. *Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis.*

Vino pretioso, & vnguentis nos repleamus; neque prætereat nos flos aëris.

15. *Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.*

Coronemur rosarum calyculis priusquam marcescant.

16. *Nemo nostrûm exors sit luxuriæ nostræ: vbique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.*

Nemo nostrûm expers sit nostræ petulantiæ: vbique signa lætitiæ relinquamus: quoniam hæc portio nostra est, hæc hæreditas nostra.

17. *Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ; nec veterani reuereamur canos multi temporis.*

Opprimamus pauperem iustum, nec parcamus viduæ, nec senis reuereamur canos longæuos.

18. *Sit autem fortitudo nostra lex iustitiæ: quod enim infirmum est, inutile inuenitur.*

Vires nostræ sint lex iustitiæ: quoniam quod imbecillum est, inutile deprehenditur.

19. *Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis,* 20. *& contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & infamat in nos peccata disciplinæ nostræ.*

Insidiemur ergo iusto, quoniam incommodus est nobis, operibúsque nostris aduersatur, & exprobrat nobis peccata legis, delictáque nostræ disciplinæ cum infamia nostra diuulgat.

21. *Promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat.*

22. *Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum.*

23. *Grauis est nobis, etiam ad videndum; quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ eius.*

24. *Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris tanquam ab immunditiis,* 25. *& præfert nouissima iustorum, & gloriatur patrem se habere Deum.*

26. *Videamus ergo si sermones illius veri sunt; & tentemus quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt nouissima illius.*

Si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum.

27. *Contumelia & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius.*

28. *Morte turpissima condemnemus eum, erit enim ei respectus ex sermonibus illius.*

29. *Hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum.*

30. *Et nescierunt Sacramenta Dei, neque mercedem sperauerunt*

Profitetur se habere cognitionem Dei, ac seipsum Filium Dei nominat.

Factus est nobis ad redargutionem cogitationum nostrarum.

Grauis est nobis, etiam vel aspectus, quoniam dissimilis est aliorum vita illius, & diuersæ vitæ eius rationes.

Quasi spurij existimati sumus ab eo, & abstinet à viis nostris quasi à quibusdam immunditiis; beatum prædicat exitum iustorum, Deúmque Patrem iactitat.

Videamus an verba eius vera sint, & experiemur ea, quæ in eius exitu erunt.

Nam si iustus est Filius Dei, suscipiet illum, atque eum de manu aduersariorum liberabit.

Contumelia & tormento eum torqueamus, vt ita cognoscamus modestiam eius, & iudicemus patientiã eius.

Morte infami eum condemnemus, erit enim eius visitatio ex ipsius sermonibus.

Hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim illos malitia ipsorum.

Neque Dei cognouerunt mysteria, nec mercedẽ sancta

runt iustitiæ, neque iudicauerunt honorem animarum sanctarum.	ctitatis sperauerunt, nec iudicarunt futurum præmium animarum inculpatarum.
31. *Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.*	Quoniam Deus creauit hominem ad immortalitatem, & ad imaginem suæ proprietatis fecit eum.
32. *Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarũ.*	Inuidia autẽ diaboli mors introiuit in mundum.
33. *Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.*	Eámque experiuntur, qui sunt à parte eius.

ARGVMENTVM.

Alterum hominum genus, tanquam penitus ineptum à sua repellit disciplina Sapientiæ præceptor; qui quòd opinentur omnia cum morte finiri, studio sapientiæ despecto, voluptati esse indulgendum definiant, & iustum quemque eis aduersantem de medio tollendum. Sanè ignorantes hominem à Deo creatum ad immortalitatem, mortem verò diaboli inuidia in mundum inuectam, quam eius sectatores experiuntur.

COMMENTARIVS.

1. DIxerunt enim cogitantes apud se non rectè. Rationalem particulam. *enim*, adiecit, qua ostendit reddi rationem eius, quod dictum est, cupidè ab impiis mortem accersitam, & fœdus cum ea initum, dignis, qui omnino perirent. Atque hinc sumpta occasione disputationem aggreditur contra illud alterum genus hominum impiorum, qui sapientiæ disciplinam nihili ducunt, vt voluptati dent operam, & in primis rationem eorum multis similibus conflatam præmittit, qua ducti impiæ opinioni adhæserunt, vt postea eam refellat. Est autem ratio, seu syllogismus, quem inter se inuicem formabant, huiusmodi: Omnia nostra, anima etiam ipsa, cum morte finiuntur, & nihil est futurum, quod nos solicitet, ergo vitæ præsentis bonum curandum, & soli indulgendum voluptati, etiam si ad eam potiundam vis sit aliis inferenda. In hoc barathrum impij corruerunt ab ipsa deuicti, possessique voluptate. Nam dum eam, quam possident, renuunt deserere, quo securiùs ei adhæreſcant, impunitatem sibi promittunt; & na

[Margin: In voluptarios inuehitur. — Ratio impiorum. — Voluptas malorum quorum fons.]

& naturæ ſuæ, eiúſque auctori parant inſidias, immortalitatis gloriam ſibi denegantes, & Deo humanarum rerum curam, & cognitionem eripientes. Quæ calliditas omnes hæreticos occupauit, & hæc omnes voluptarios impietas; *qui euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*, vt ad Rom.1. dixit Paulus, *quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt*, ad Philip.3.19. Et ſanè ferè nulla ætas fuit, in qua non fuerint aliqui reperti, etiam ex populo Dei, qui prædicto ſyllogiſmo non ſibi perſuaſerint vitam voluptariam amplectendam, & ex eius amore impiam illam opinionem ſui quoad animam interitus, & Dei incuriam non ſuſceperint, vel mente quoque, vel factis; cùm ſint multi, qui dicunt ſe noſſe Deum, factis autem negant, ita viuentes, ac ſi anima interiret. Sic vitam traduxiſſe Caim impium oſtendit Ioſephus lib.1. Antiq. cap.3. nam in fide illum defeciſſe docet Philo in libro, Quòd deterior potiori inſidietur; & Ambroſius lib. de Caim, & Abel, cap.9. Deinde omnes poſteros Caim, qui voluptatibus & rapinis dediti corruperant vias ſuas; tum deinde Nembroth tyrannum, qui Deo bellum, quaſi impotenti indixit. Multi erant tempore Iob, qui putabant Deo res humanas non fuiſſe curæ, *Qui dicebant Deo, recede à nobis, & quaſi nihil poſſet facere omnipotens, æſtimabant eum*. Iob. 21.17. Dauid quoque in hos inſipientes inuectus Pſal. 13. ita cecinit: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus: corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis*, &c. Et Salomon filius eius in 3. cap. Eccleſiaſtes v. 19. impiorum ſententiam, de animi hominis interitu, ſic enarrat: *Vnus interitus eſt hominis, & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio: ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur: ſimiliter ſpirant omnia: & nihil habet homo iumento amplius. Quis nouit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?* Poſt hos manifeſta Samaritanorum hæreſis exorta eſt in Samaria, inducta in populum Iſraëlem ab his gentibus, quas Salmanaſar rex Aſſyriorum, deſtructo regno Iſraël anno 6. Ezechiæ, adduxit in Samariam, & cum idolis ſuis Deum terræ colebant, vt dicitur 4. Reg. 17.24. Hi enim cũ morte omnia finiri putabant, nec vllam mortuorum credebant reſurrectionem; vt notant Epiphanius hæreſi 9. Philaſtrius hæreſi 7. & Damaſcenus lib. de hæreſibus. Quam promouit Manaſſes gener Sanabalat ad 6. annum Alexandri magni, ad Olymp. 112. vt colligitur ex Ioſepho 11. Antiq. cap.8. Demum Sadoc, & Baiethos diſcipuli viri Catholici Antigoni Sochæi, qui fuit diſcipulus Simonis iuſti ſummi Pontificis, de quo loquitur Ieſus Syrach Eccleſiaſtici 50. cap. eam hæreſim reuocarunt, & inſtaurarũt, quæ à Sadoc dicta eſt Sadducæorum, ſub Ionathæ Machabæi Pôtificatu, quem cœpit anno 153. Seleucidarum, quo occiſus eſt Iudas 1. Mach. 9. Atque ita aſſerit Ioſephus lib. 13. Antiq. cap. 9. ad annum 4. Olymp. 155. & V. C. 198. Hi enim animam aſſerebant mortalem, negabántque mortuorum reſurrectionem, vt ſcribit Ioſe-

Voluptas animi interitũ, & Dei incuriam ſuadet.

Caim impius. Ioſephus. Philo. Ambroſius. Nembroth.

Prouidentiam negãtes.

Samaritanorum hæreſis. Reſurrectionem negabant. Epiphanius. Philaſtrius. Damaſcenus. Manaſſes hæreticus. Ioſephus. Sadoc. Baiethos. Ieſus Syrach. Sadducæorum hæreſis. Ioſephus.

F phus

phus lib. Antiq. 18. cap.2. & lib. 2. de bello Iudaico, cap. 7. Epiphanius hæresi 14. Philastrius hæresi 5. & Damascenus in lib. de hæresibus, & contra hos locutus est Christus Matth. 22. v. 13. Marci 12. 18. & Lucæ 20. 27. & confutauit eo testimonio Exod. 3. 6. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob; nõ est Deus mortuorũ, sed viuorum.*

Epiphanius. Philastrius. Damascenus.

Philosophi voluptatij. Democritus. Eusebius. Plutarchus. Epicurus. Gellius.

Ex Græcis Philosophis hanc opinionem primus in scholas inuexit Democritus, qui florebat Olymp. 69. & mortuus est Olymp. 94. vt refert Eusebius in Chronico. Sic asserit Plutarchus lib. 4. de Placitis Philosophorum, cap. 7. anno 354. V. C. Post eum Epicurus celebriorem fecit, vt ait ibi Plutarchus, ad annum 4. Olymp. 112. hoc est, V.C. 426. auctore Eusebio; quamuis Gellius lib. 17. Noctium Atticarum, cap. 21. in annum V.C. 470. referat: qui propterea summum hominis bonum in animi voluptate constituit, vt omnes affirmant. Hi ergo sunt impij, qui fertilibus rationibus secum inuicem collatis, dixerunt non rectè, animum hominis cum morte corporis interire.

2. *Exiguum, & cum tædio est tempus nostrum.* Aut breuis est, & molesta vita nostra. Duo ponunt ad rationem stabiliendam humanæ vitæ communia epitheta, quæ duas eius notissimas, ac celebratissimas conditiones manifestant; sed quarum vna alteri commoda est, & adhibet medicinam: nam cùm molesta sit, breuitas efficit, vt molestia sit breuis, ac exigua; atque ita licèt molestia vitæ malum afferat breuitas, quod eam extenuet, ac minuat, tanquam bonum à Deo homini datum, amplectenda est, & commendanda. Multa, eáque admodum præclara, Poëtæ, ac Philosophi de humanæ vitæ breuitate, ac molestia tradiderunt, quæ longum esset recensere. Non grauabor tamen vnum, aut alterum referre; illud ex Seneca in epistol. 100. libri 16. epistolarum. Hoc, inquit, quod inter primum diem, & vltimum iacet, varium, & incertum est. Si molestias æstimas, etiam puero longum, si velocitatem, etiam seni angustum. Nil non lubricum, & fallax, & omni tempestate mobilius. Iactantur cuncta, & in contrarium transeunt, & in tanta volutatione rerum humanarum, nil cuiquam nisi mors, certum. Tamen de eo queruntur omnes, in quo vno nemo decipitur. Sed puer decessit. Nondum dico meliùs agi cum eo, qui vita defungitur. Ad eum transeamus, qui consenuit, quando vincit infantem? Propone profundi temporis vastitatem, & vniuersum complectere: deinde hoc, quod ætatem vocamus humanam, compara vniuersè. videbis quàm exiguum sit quod optamus, quod extendimus. ex hoc quantum lacrymæ, quantum solicitudines occupant, quantum mors, antequam veniat optata, quantum valetudo, quantum timor, quantum teneri, aut rudes, aut inutiles anni. Dimidium ex hoc edormitur. Adiice labores, luctus, pericula, & intelliges etiam in longissima vita minimum esse quod viuitur. Alterum addamus ex Aristotele, quem refert Stobæus, dicente: Quidnam est homo? Imbecillitatis exemplum,

Vitæ molestia breuis.

Seneca. De vitæ breuitate sententia.

Aristotelis de homine sententia.

exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, inuidiæ, & calamitatis trutina: reliquum verò pituita, & bilis.

Et non est refrigerium in fine hominis. Græcè, & non est curatio, vel medela in obitu hominis, hoc est, contra obitum hominis. Nulla enim curatione, nullo remedio potest quis morti subtrahi aduenienti, cùm sit ineuitabilis. Nam quisquis aliquem queritur mortuum esse, queritur hominem fuisse, vt dixit eo loco Seneca. Nemo etiam, vt habetur Psalm. 48.8. fratrem suum vlla ratione redimere potest, quin moriatur, nec impetrare vitam longiorem pecuniis. 3. Mors ineuitabilis. Homo hominem non redimet.

Et non est qui agnitus sit reuersus ab inferis. Vt scilicet ex eo cognosceremus aliam esse vitam: hoc enim volunt impij sibi persuadere, non esse futuram aliam post hanc vitam, quam traducant, qui ex hac emigrant ad inferos. Breuis ergo, & exigua est vita, quæ morte ineuitabili finitur. est autem vel ex hoc molestissima, quòd refeit acùm sit calamitatibus, alia non superfit vita, in qua molestias huius vitæ effugiat. Vitæ molestia vnde.

Quatuor assumunt impij, vt suam postea falsam colligant opinionem; tria & cipiis etiam concessa vtpote vera, nempe vitam humanam breuem esse; esse molestiis plenam; mortem quoque esse incultabilem. quæ cùm multis in locis Scriptura fateatur, tum maximè apud Iob. 14. 1. ita ait: ***Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miseriis.*** & v. 5. ***Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.*** Quartum addunt, quod dubium est, & indiget explicatione. Nec est agnitus, qui redierit ex inferno. Quod piorum est axioma, si ex communi lege accipiatur, neminem, qui iam decesserit, resumpsisse corpus, & mortalem hanc vitam iterum traduxisse. nàm ita Iob accepit cap. 7. 7. *Memento*, inquiens, ***quia ventus est vita mea, & non reuertetur oculus meus; vt videas bona: nec aspiciet me visus hominis. sicut consumitur nubes, & pertransit: sic qui descenderit ad inferos non ascendet. Nec reuertetur vltrà in domum suam, neque cognoscet eum ampliùs locus eius.*** & nihilominus ex peculiari Dei munere nouimus & diuina fide, & humana, mltos surrexisse, & multis quoque apparuisse. Plutarchus in fine libri de sera Numinis vindicta, ad probandam animi hominis immortalitatem, adducit admirandam Solei Tespesij resurrectionem, & transmutationem, eiusque de iis, quæ in alia vita adspexisset, relationem, tam quæ ad improborum supplicia, quàm quæ ad proborum præmia attinent. At impij eam sententiam impiè intelligunt, vt colligi potest ex conglobatis similibus, & multiplicibus rationibus, quas ad eam comprobandam subiiciunt: nempe, nihil hominis superesse post mortem, siquidem post hominis obitum, nulla ad nos deducta est de eo cognitio, nulla de eius viuendi ratione memoria; sed in omnimoda obliuione est, quasi omnia quæ sunt, ho- Quatuor impiorum principia. Tria vera. Quartum verum cõmuni lege. Resurrectio multorum. Plutarchus. Solei Tespesij resurrectio. Impia intelligentia.

mini perspecta sint, nihilque esse possit, quod ipse ignorauerit.

4. *Quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus.* Reddit rationem eius, quod dixerant impij, non esse inferos, nec esse posse, cùm nullus eorum, qui decesserunt, redierit ad nos certos de ea re faciendos. *Quia ex nihilo nati sumus.* Pro, *ex nihilo*, est Græca dictio αὐτοσχεδίως, quæ idem est, quod vltrò, temere, casu, fortuitò, absque vlla Dei prouidentia, aut consilio. Quæ fuit multorum opinio Philosophorum, Democriti, Chrysippi, Epicuri, eorúmque sectatorum, qui omnia casu, aut necessitate quadam, quam himarmenem vocabant, fieri dixerunt, absque vllo Dei consilio & prouidentia: cùm ex libro Genesis pateat, quanto cum consilio creauerit hominem Deus ad imaginem, & similitudinem suam, eúmque omni creaturæ præfecerit, tanquam digniorem, & excellentiorem, & ipsa se diuina prouidentia multis argumentis prodit; vt valde sint impij, qui Deum à mundi gubernatione repellunt. Si ergo, inquiunt, casu, aut necessitate ipsa nati sumus, non vllo Dei consilio nostras res curantis, sequitur casu, aut necessitate quadam mortem nobis accidere, non Dei consilio, ac proinde nihil nostri superesse, quod Deo curæ sit; sed eodem prorsus modo in nihilum redigemur, quo eramus antequã fuissemus nati. Verùm errant toto cælo, cùm ex nihilo natus sit homo, sed Dei summo consilio, & certa prouidentia, gubernetur, & obeat, & post animæ à corpore separationem, in Dei ipsius potestate sit, vt iuxta vitæ illius merita, vel præmio afficiat, vel supplicio; vt sapientissimi viri libris etiam confectis aduersùs Philosophos longo sermone, & disertis rationibus comprobarunt.

Casu omnia facta sentientes.

Refutatur.

5. *Fumus flatus est in naribus nostris.* Animæ nostræ vis, quæ est flatus, seu spiratio in naribus, vel è naribus nostris emissa, nihil est aliud quàm quidam fumus, qui statim dissipatus euanescit. Fuit multorum Philosophorum placitum, Animam hominis aëream esse, sic Pythagoræ asseclæ, vt refert Plutar. lib. 4. de placitis Philosophorum, cap. 3. Spiritum calidum Stoici putauerunt. Heraclitus humorum respirationem, quæ quia in naribus maximè apparet, vnde Isa. 2. 22. *Cauete ab homine, cuius spiritus*, vel flatus, *in naribus eius est*, idcirco flatum narium animam vocauerunt. Quemadmodum Herodotus hominum animum in auribus dixit habitare, quòd bonis auditis corpus recreetur, contrà malis ad iram concitetur. Sicut ergo fumi euanescentis nihil superest; ita flatus seu respirationis nihil post mortem reliquum est, ac proinde anima cum corpore perit. At si respirationem animam esse negemus, & nihil aliud esse nisi indicem præsentis animæ corpus inhabitantis, quæ separata ea à corpore, desinit esse, anima permanente, impiorum tota corruet oratio.

Anima aërea. Pythagoras Plutarchus. Stoici. Heraclitus. Flatus narium, anima. Herodotus. Animus in auribus cur. Refutatio.

6. *Et sermo scintilla ad commouendum cor nostrum.* Græcè, & ὁ λόγος scintilla in motu cordis nostri. In quibusdam Græcis codicibus pro ὁ λόγος,

ὁ λόγος, legitur αὖγος parua, seu modica scintilla in motu cordis nostri, vel dum mouetur cor nostrum; vt sit sensus. Spiritus nihil aliud est, quàm quidā naturalis calor, tamdiu durans, quamdiu durat motus cordis nostri: vel qua mouetur, & viuit cor nostrum. Verùm omnes veriores, & correctiores codices habent λόγος, quod nomen, si pro ratione acciperetur, hic sensus optimus eliceretur. Dixerat: spiritus in naribus nostris nihil aliud est, quàm fumus, addit modò, & ratio, seu anima, qua homines sumus rationis participes, nihil aliud est quàm scintilla in motu cordis nostri, aut in corde nostro moto consurgens, & emicans; insinuatur Stoicorum sententia multò ante eorum ætatem palàm facta, asserentium animam esse calidum spiritum, vt Plutarchus refert lib. 4. de Placitis Philosophorum, cap. 3. tum Heracliti, qui, vt asserit Aristoteles lib. 1. de Anima, cap. 2. sentiebat, animam esse calidam exhalationem semper fluentem è corde, cùm in eo vigeat natiui caloris officina; in eoque procreentur spiritus vitales; sine quorum ope nec vllus motus fieri, nec vlla sensuum functio obiri potest. Sed si nomen λόγος pro sermone seu oratione accipiamus, vt accepit vulgatus cum aliis Interpretibus, ita primùm exponemus cum Iansenio: Vita nostra nihil aliud est quàm igniculus viuax in corde nostro existens, quod cùm mouetur, à se emittit, iaculaturque scintillas, nempe verba, quæ loquimur; & fumum, nempe spirationem, quam per nares spiramus: non aliter quàm excitus ignis scintillas euomit, & fumum. Commodiùs tamen ad lectionem vulgati sic exponemus, & sermo oris nostri, index vitæ nostræ, est veluti scintilla aut exhalatio calida excita, quæ permouet ipsum cor, & viuere ostendit, facileque extinguitur. Siue ergo animam aërem, seu flatum esse asseras, vt Diogenes, & Pythagorei asseruerunt, siue igneam exhalationem, seu calidum spiritum, vt Heraclitus, sanè statim euanescit, vt fumus, & vt exhalatio quælibet dissipatur. Et hoc est quod subiicitur:

Lectionis ratio.

Anima quid.
Stoicorum sententia.
Plutarchus.
Heracliti sententia.
Aristoteles.
Cor caloris & spirituum officina.
Sēsus prior.

Vita ignis cordis.

Sensus posterior.
Sermo, scintilla cordis.

Qua extincta, cinis erit corpus nostrum. Relatiuum, *qua*, in Græco masculini generis est ὧ, & tam sermonem, quàm scintillam referre potest, cùm vtrumque sit etiam generis masculini. Si scintillam referat, erit sensus: Qua scintilla extincta, nempe naturali calore, vel calida exhalatione, sermone indicata, in cinerem redigitur corpus nostrum. Si sermonem, vt aliqui ex Interpretibus referre volunt, ita exponetur: Qua scintilla, nempe sermone, qui est veluti scintilla cordis commoti, vel qua sermonis, vel loquendi facultate nobis erepta, in cinerem redigitur corpus nostrum, id est, extinctum, & sine vita manebit: conseruata enim metaphora, quia extincto igni manet cinis; sic extincto animo, & sermonis scintilla ex illo emicante, corpus dicitur incinerari, aut redigi in cinerem. Aliàs autem igneam animam putauerunt Philosophi, & Hebræi hominem אִישׁ is, vocauerunt ab

Corporis extincti index.

אש ignis, qui animum notent igneum; sicut אדם Adam, terreum notat corpus.

Et spiritus diffundetur tanquam mollis aër. Hoc est, quasi laxus, mollis, & liquidus aër diffluet, & in aëra euanescet. Huic hemistichio subiiciuntur in omnibus Græcis codicibus verba illa quarti versus [*Et nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum*:] quæ, vt melius sermones cohærerent, eo in loco à vulgato collocata sunt.

Quòd si obiicias, hanc impiorum sententiam, similibus piorum, ac sacrorum Auctorum dictis confirmari: siquidem Iob cap. 7. 7. dixit, *Memento quòd ventus est vita mea, & non reuertetur oculus meus, vt videat bona.* & Dauid Psalmo 101.4. cecinit, *Defecerunt sicut fumus dies mei.* & v. 11. *Dies mei sicut vmbra declinauerunt, & ego sicut fœnum arui.* & Iacobus in 4. cap. suæ epistolæ, v. 15. *Quæ est,* ait, *vita vestra? vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Quæ sententia in locis aliis facilè inuenietur. Respondetur, nequaquam confirmari, cùm Scriptura de vitæ nostræ corporeæ loquatur breuitate. Impij verò eandem volunt corpori, & animę vitam tribuere, vnaque vtramque finiri, quò animi deprimant dignitatem, & mortalem faciant eum, qui ad immortalitatem creatus est. Si verò ad spiritus vtilitatem conuertamus hunc impiorum sermonem, cùm in corde hominis diuini caloris officinam constituerit Spiritus sanctus: nam, vt ait Paulus ad Rom. 5. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* & 1. ad Cor. 1. 22. *Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*; & inde, tanquam ex fonte, in omnes humanas actiones deriuatur calor spiritualis, qui tanquam scintilla quædam emicat in verbis, in factis, & in cogitationibus. Vnde Dauid Psalm. 38. 4. inquit, *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis.* & Lucæ 24. 22. Discipuli dicebant, *Nonne cor nostrum ardens erat, dum loqueretur nobis in via?* Certò constabit, scintilla cordis extincta, spiritum hominis simul extingui, & in nihilum redigi: siquidem sine charitate, quæ vita est animæ, ipsa friget, & omnes facultates in tempore sunt, & omnes actiones viuaci calore destituuntur: & spiritus tanquam mollis quidam aër diffluit, & in varia vitia se diffundit, non habens calorem, quo retineatur.

Discrimen sententiæ impiorum, & piorum.

Officina charitatis, cor.

Charitas emicat in omni actione.

Animę charitate destitutæ mors.

8. *Et transibit vita nostra tanquam vestigium nubis.* Multis, iisque elegantibus formis, ac similitudinibus explicant impij vitæ ereptæ obliuionem. Vt Iob quoque cap. 7. 9. *Sicut consumitur nubes, & pertransit: sic qui descenderit ad inferos, non ascendet.* Quo significant, humanam vitam nubi meritò comparari, quæ cùm non sit aliud quàm vapor humidus calore Solis è terra eductus, & per aërem extensus, rectè vitam hominis adumbrat, quæ vanitate plena cùm sit, & instar aëtei vaporis se extendat, Solem ipsum sua magnitudine videtur obumbrare,

Vita nubi similis.

brate, & oculos inspicientium decipere, & tandem in nihilum flatu disiicitur,& euanescit: nam *in imagine pertransit homo.* Psal.38.7. *Et sicut nubecula dissoluetur, quæ fugata est à radiis Solis, & à calore illius aggrauata*; hoc est, sicut nubecula, quæ profligata est, seu perpulsa radiis Solis, & eiusdem calore compressa, & consumpta, dissipabitur. Ozeas cap.13.3. similibus comparationibus vsus est. *Erunt quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus præteriens, sicut puluis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario.* Similiter enim transit vita hominis fluxa, & momentanea, vti folia æstiuo tempore prouenientia, & mox emarcescentia. Vita quibus cōparetur.

Et nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus. Vel in tempore, hoc est, progressu temporis; cuius vetustate obliterantur omnia. *Et nulla erit operum nostrorum memoria.* Nullus enim hominum fidus est amicus tumulo, & tempus obscurat omnia, & obliuione inuoluit, vt dixit Euripides. Etsi impiorum memoria aliqua sit apud posteros; sed illaudabilis, inutilis, & vituperationis plena. Aut certè id agunt impij, vt doceant, extincto cum corpore spiritu, nomen quoque tandem extinctum iri, cùm in memoria æterna sit iustus futurus. 9.

Vmbræ enim transitus est tempus nostrum. id est, instat vmbræ transeuntis est spatium vitæ nostræ, vel vita nostra; vt Psalmo 143.4. *Homo vanitati similis factus est; dies eius sicut vmbra prætereunt*, & Pindarus, homo, dixit, vmbræ est somnium. Superiectione vsus sanè quàm illustri, inquit Plutar. oratio. consolat. ad Apollonium, & præstanti, vitam mortalium declarauit. Quid námque vmbra debilius? At huius somnium ne explicare quidem alius dilucidè queat, totum vmbræ robur corporis obiectus est; ita vita tota ex alio pendens, quasi illius vmbra existit. 10. Vita, vmbra Plutarchus.

Et non est reuersio finis nostri. Ἀναποδισμὸς impedimentum solet significare, vt verbū vnde deducitur impedire: & ita codex Complutensis legit hic, & non est impedimentum finis nostri; hoc est, nemo est, qui possit impedire, seu auertere finem seu mortem nostram. Sed commodiùs Interpretes accipiunt pro retrogressione, seu reuocatione, aut reductione pedum: vt Ecclesiastici 48,26. verbum transtulit vulgatus, *In diebus ipsius retrò redijt Sol.* & ita è Græco sic legemus, & non est reductio, aut reuocatio pedum à morte, hoc est, non est reditus à morte ad vitam. vel, non datur à mortis obitu pedem referre. Similiter locuti sunt Poëtæ; Homerus Iliad.9. 11. A morte ad vitam non est reditus. Homerus.

Obnoxij prædæ sunt boues, & pinguia pecora,
Et tripodes acquiri possunt, & equorum flauicoma capita:
At hominis anima vt redeat neque per prædam,
Nec aliter capi potest, vbi semel emigrauerit è vallo dentium, & Philetas: Philetas.
Iter feci ad inferos,

Per

Virgilius. *Per quod nullus retrorsum viator redit.* & Virgilius:
—facilis descensus Auerni,
Sed reuocare gradum, superásque euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

12. *Quoniam consignata est, & nemo reuertitur.* Consignata cum fine concordat, aliquando fœminei generis. & quia frequentiùs masculini est, ceteri Interpretes, consignatus est, transferunt, vt legit Paulinus in ep stol. 12. ad Alethium; seu obsignatus est finis noster. Sumpta metaphora ab iis, quæ vt rata, firmáque habeantur, obsignantur. Finis noster, inquit, seu mors nostra, tanquam definita, & certò ineuitabilis, & à qua nullus speretur reditus, Dei sententia irreuocabili, tanquam sigillo obsignata est: nam *Statutum est hominibus semel mori*, ad Hebræos 9. 27. Nisi mauis sumptam metaphoram à sigillo custodiente, vt quemadmodum quæ custodita volumus, & conseruata signari solent: vt Darius os foueæ, in quam Daniel coniectus fuit, lapide occlusum suo optimatúmque annulo obsignauit. Daniel. 6. 17. Et Iudæi Christi sepulcrum obsignarunt, quasi nūquam redituri, Matth. 27. 66. ita mors obsignata dicatur, & custodita, adeò vt necessitas moriendi nequeat ampliùs immutari, nec vllus reditus ad vitam dari, sed verum perseueret illud Psalmi 48. 12. *Sepulcra eorum domus illorum in æternum.*

Paulinus.

Mors obsignata.

13. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt.* Hoc est, bonis præsentibus. Ex errore suo, multis modis repetito, quòd omnia pereant cum morte, concludunt impij, auidissimè voluptatem, & omnem turpitudinem consectandam, neque de futuro statu curandum. Ita versibus Vlyssis apud Alcinoum detenti, in Homero Odyss. 1. quos affert Plutarchus in libro de Homero, seductus Epicurus, voluptatem summum esse bonum statuit: eámque virtuti, quæ mentis bonum est, impiè præposuit. Sic videlicet impij ex veris positionibus impiè colligunt: at pij salutariùs, *tempus breue est, ergo qui habent vxores tanquam non habentes sint*, 1. ad Cor. 7. 29. ergo omnia huius mundi despicienda.

Impia impiorum collectio.
Plutarchus.
Epicurus.

Et vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Aduerbium ὡς, quidam Interpretes accipiunt pro, *simul ac*, vel pro, *vtique*, *maximè*, ad hunc sensum communiorem, potiamur rebus huius mundi, quæ in nostra sunt potestate, & nostri sunt iuris, simul ac sumus, vel maximè dum sumus in iuuentute; dum per adolescentiam licet, quæ potiundis voluptatibus ætas idonea est. Alij accipiunt pro nota similitudinis. Vtamur creatura vti in iuuentute, videlicet, est, vel tanquam in adolescentia existentem, ne sinamus præterire creaturam, dum viget, floret, dum in sua est adolescentia, antequam senio confecta marcescat, quin ea fruamur. Aduerbium autem σπουδαίως, idem est quod gnauiter, studiosè, nempe, vt in eam perfruitionem toto studio, ac cupiditate incumbatur. Et hic sensus potior est, tum quia impij non tantùm adolescentiam suam, sed & vitam vniuersam, senio quoque mi-

Studium voluptatis quantum impiis.

serè

ferè confectam, voluptati capiendæ dicauêre, antequam morte repel-
lantur; tum quia ex sequentibus constabit impios sese excitare, ac in-
uitare, vt omni studio, & cupiditate præripiant creaturam omnem,
dum viget, florétque; ne per negligentiam, quidpiam voluptatis, quod
capi possit, eorum auiditatem effugiat, prætereat, aut insciis elabatur.
Quod si homines, & Christiani homines, qui diuinis præceptis, mi-
nis, precibus, consilio, pollicitis, exemplis ob oculos positis, cùm ho- Voluptas
rum, qui per libidinem grauissima naufragia fecerunt, tum illorum, quàm ea-
qui ex continentia laudem, & gloriam insignem compatauêre, arcen- uenda.
tur, & refrænantur, tam auidè in voluptatem præcipites eunt; quid si
impunè voluptati se dederent? quid si licitè, & honestè? quid si vt sum-
mum bonum expetenda esset? quàm auidè omnes vires contende-
rent, ne vnquam elaberetur è manibus, ne summum bonum, omnium
malorum sentinam, labi paterentur, & perirent?

Vino precioso, & vnguentis nos impleamus. Enumerant omnia, quæ 14.
delicias afferunt, & voluptatem generant, qualia sunt vina preciosa,
& vnguentorũ diuersa genera, quæ in lautis conuiuiis adhibebantur.
Et non prætereat nos flos temporis. ἀέρος aëris, vel auræ vitalis, vt alij Flos tẽporis
transferunt. Posset putari debere legi, ἔαρος, veris, cùm facilis fuerit li- quis.
terarum transpositio, & hortentur se ad fruendum florido vere. Rectè
vulgatus, *flos temporis*, vertit, vt legit Ambrosius sermo. 8. in Psalmum Ambrosius.
118. & codex Vaticanus; sicut alij, *flos vitæ, aut ætatis*, verterunt: nam
aërem, quo viuimus, pro tempore vitæ acceperunt, vt sit sensus: Non
prætereat nos flos vitæ, nempe adolescentia, quin deliciis, quæ ei
conueniunt ætati, perfruamur. Sed arbitror per florem temporis, aut
vitæ potiùs debere accipi quicquid in tempore deliciosum, floridúm-
que offendatur, ne scilicet vlla occasio labi sinatur, nulla opportuni-
tas prætereatur, in qua voluptate frui concedatur: siquidem etiam
Senibus voluptas, summum bonum est, quam ne ampliùs senescant,
insequuntur. Nam, vt dixit quidam,

Nequitia est, quæ te non sinit esse senem, Ouid. Fast. 1.

quam quærunt in rebus aliis, dum vino precioso, & vnguentis se
repleri optant, & rosis coronari, dum vigent, etiam senes. quamuis in
adolescentia auiditas voluptatis viuidior sit, sicut modestia in senibus;
nisi consuetudo improba pueros eos reddiderit.

Coronemus nos rosis antequam marcescant. Græcè, coronemur rosa-
rum calyculis. Est autem καλυξ, vt Hierony. super locum Isaiæ 25. *flo-* 15. Calyx quid.
rebit quasi lilium, & significantiùs Aquila, *sicut calyx*: tumens rosa, nec- Hieronym.
dum foliis dilatatis. Sunt ergo calyces, seu calyculi, inuolucra florum,
quibus dehiscentibus in sua se rosæ, aliique flores pandunt. Idcirco
autem rosis coronari oblectat, vt in conuiuiis viu fiebat, non quòd
futuræ memoriæ ex odore rectè factorum perseuerante signum sit:
nam propterea corona ex rosis sacra Musis fuit, vt docet Plutar. lib. 2. Rosa coro-
nari cur.

Plutarchus. Quæstio.conuiual. cap. 1. cùm suprà impij illi doluerint,quòd nemo futurus sit, qui meminerit operum eorum. Non quòd defunctorum statum referat,in quem tam celeriter vita commutata sit,vnde manibus inferis in sepulcris rosæ offerebantur: nam post mortem quicquam permanere negant.Non causa medicinæ, quo vini euaporationes, & grauedines in conuiuiis epori suo suffitu coronæ ex rosis, ex capite,quasi ex arce repellant,& sistant, aduersùs crapulam,vt eo loco ait Plutarchus: nam hoc modestorum est, non voluptariorum. Igitur rosis se coronant,quòd Veneri dicatæ sint,& amorem,gratiámque concilient,ad captandam voluptatem valde idoneam. Vel certè quoniam rosa breuitatis, ac imbecillitatis vitæ symbolum est: nam quòd excitatissimi odoris sit,citissimè marcescit, vt dixit eo loco Plutar.& Horat.lib.2.Carmi.ode 3. Huc vina,ait,& vnguenta,& nimiùm breuis flores amœnæ ferre iube rosæ.& Basilius homil.11.in Hexameron. Transitoria, inquit, ac breuis momenti vernorum florum gratia adhuc desiderantes destituit. Tum etiam breuitatis voluptatis, quæ citò transit,vt breuissimè rosa marcescit,impij illi sertis rosarum se coronari voluêre; ne hac breui voluptatis captandæ occasio præteriret, & momentanea vita,fluxaque voluptas, non gustata fugeret.Quam celerem curam, & præmissam diligentiam præripiendi voluptatem, ne è manibus elaberetur, significarunt, cùm non rosis, sed rosarum calyculis,adhuc circumseptis spinis se coronarunt. Nam idcirco rosam spinis sepiuit Deus, ne vita breuis, & oblectatio fluxa nisi per pungentes spinas captanti tribueretur, quæ enim vitæ ratio est, quæ oblectatio sine curarum stimulis, sine periculis, sine timore, vt rectè Ambrosius lib.3.Hexame.cap.11.philosophatur,& Basilius homil.5.& 11.in Hexameron,& in epistol.149.Impij igitur omnia pericula superanda arbitrantur, omnia adeunda, quo voluptate perfruantur; & opportunè complectenda,etiam cùm pungit suis spinis,ne prætereat, & inanes permaneant,summo suo bono priuati.

[Marginal notes: Rosa contra crapulam valet. — Rosa Veneri apta. — Rosa breuitatis symbolum. — Plutarchus. — Horatius. — Basilius. — Rosa sine spinis non capitur. — Ambrosius. — Basilius.]

Ille verò sensus etsi iocundus,qui à quibusdam verbis prædictis adiicitur, non adeò verus est, vt is sit communi præferendus, per rosas puellulas virgines intelligentibus, quibus per summam voluptatem redimiri optant impij: aiunt enim, Coronemus nos rosarum calyculis,seu vasculis: hoc est,virginum amplexu foueamur, antequam decorem ætatis,floremque deponant. Nam pudoris,ac virginitatis symbolum rosam esse, præter profanos, qui id insinuant, affirmat Hieronymus in epistola 8. ad Demetriadem,cap.5.& Ioel.3.in illa verba, *Et fons de domo Domini*.in verbis extremis.

[Marginal notes: Sensus reiectus. — Rosa virginitatis symbolum. — Hieronymus.]

Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. aut quod non peruadat. Nullus locus amœnior,in quo lætitiæ, ac voluptati non vacemus. hæc sententia in nullo codice Græco reperitur,bene tamen in scriptis antiquissimis,& ferè in vulgatis omnibus;quare existimandum

est

est, codicem Græcum inuentum fuisse à vulgato interprete, ex quo eam transtulit.

16. *Nemo nostrûm exors sit luxuria nostra. Nostrûm*, legunt omnes Græci codices, & vulgati; correctiores expositores tamen huius loci ὑμῶν, *vestrûm*, legi volunt, quasi non contenti impij sua voluptate, ad illius complementum, alios sibi socios adhibere curent. Et hac voluntate viam parant ad tenuentes opprimendos, vt mox ostendent. Pro *luxuria*, Græcè legimus ἀγερωχίας, quod nomen non libidinis voluptatem, si quidem luxuria omnium voluptatum, deliciarumque vsus est immodicus, significat, sed petulantiam dissolutam, insolentem intemperantiam, & strenuitatem, ac fortitudinem in conquirendis voluptatibus, & superandis impedimentis. Ostendunt igitur hac sententia voluptarij suam diligentiam & audacem strenuitatem, qua vbique signa lætitiæ velint relinquere.

Strenuitas voluptariorum.

Socios si adsciscunt.

Vbique relinquamus signa lætitiæ. vel liberalitatis. Participes faciamus omnes huius nostri gaudij, ita vt neminem offendamus, quem non allexerimus ad captandam nobiscum voluptatem: nec locum adeamus, in quo non inueniamus occasionem nos lætificandi, & nostræ lætitiæ signa, seu vestigia relinquamus, quibus inspectis, in notitiam veniant prætereuntes nostri gaudij, nostrorum conuiuiorum, ludorum, & similium oblectationum.

Quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors. hoc est, Nibil aliud referemus fructus ex hac vita, cùm nullum in alia vita speremus. Hanc impiorum cohortationem breui Isaias proloquio cap. 22.13. comprehendit, & Paulus 1. ad Cor. 15.32. *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Nam qui diuturniorem vitam morti successuram spetant, habentes quibus alantur, & induantur, parum de hac vita curant, futuram inquirentes.

Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec veterani reuereamur annos multi temporis. Græcè, Nec senis reuereamur canos 17. longæuos, vel annosos, qui sunt indices ætatis longæ, ac diuturnæ, summæque testes senectutis. Ex illo vno principio, quòd animus hominis cum corpore extinguatur, in illud barathrum se proiiciunt impij nullam virtutis habendam rationem, sed voluptatem commodáque sectanda; atque adeò eos, qui iusti sunt, & sancti, iniustos existimandos, miseros quoque, & impotentes sua potentia opprimendos. Sunt autem tria hominum genera, ad quos se opprimendos cohortantur; pauperes, quibus debetur miseratio; viduæ, quibus præsidium; senes, quibus reuerentia defertur; vt frequentissimè docet nos Scriptura sacra. Hanc vesanam collectionem, & persuasionem elegáter, vt alia, sic ponit ante oculos Lactantius Firmianus de falsa Sapientia, lib. 3. cap. 17. dum Epicuri sapientiam refellit. Verùm ille, inquit, impunitatem vitiis suis spopondit: fuit enim turpissimæ voluptatis asser-

Voluptariorum crudelitas.

Tria miserorum genera.

Lactantius.

tor, cuius capiendæ causa nasci hominem putauit. Quis, cùm hoc affirmari audiat, vitiis, & sceleribus abstineat? Nam si perituræ sunt animæ, appetamus diuitias, vt omnes suauitates capere possimus. Quæ si nobis desunt, ab iis, qui habēt, auferamus clàm, dolo, vi. Voluptatibus igitur quomodo possumus seruiamus: breui enim tempore nulli erimus omnino. Ergo nullum diem, nullum denique temporis punctum fluere nobis sine voluptate patiamur, ne quia ipsi quandoque perituri sumus, id ipsum, quod viximus, pereat. hoc ille licèt non dicit verbo, re tamen ipsa docet. Nam cùm disputat omnia sapientem sua causa facere, ad vtilitatem suam refert omnia, quæ agit. Itaque qui audit hæc flagitia, nec boni quicquam faciendum putabit; quoniam benefacere ad vtilitatem spectat alienam: nec à scelere abstinendum, quia maleficio præda coniuncta est. Archipyrata quisquam, vel latronum ductor, si suos ad grassandum cohortetur, quo alio sermone vti potest, quàm vt eadem dicat, quæ dicit Epicurus? Deos nihil curare, non ira, non gratia tangi: inferorum pœnas non esse metuendas, quòd animæ post mortem occidant, nec vlli omnino sint inferi. voluptatem esse maximum bonum: nullam esse humanam societatem, sibi quemque consulere; neminem esse, qui alterum diligat nisi sua causa. Hæc ille. Quæ quàm verè consequantur ex dicto principio, impiorum vita plus satis nobis ostendit. Nam inprimis de Caim ita asserit Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 3. Cęterùm tantùm abfuit, vt hac castigatione in melius vitam mutauerit, vt peior etiam sit factus, suis voluptatibus, vel cum aliorum iniuria indulgens: & facultates domesticas per vim, ac rapinam accumulans, accitis vndecunque latrociniorum, & nequitiæ sociis, magister illis ad facinorosam vitam est effectus. De Sadducæis similiter loquitur præsertim lib. 2. de Bello Iudaico, cap 7. Nam inter se feris moribus discrepabant, & conuersatio circa exteros inhumana: eam enim vitam degunt hi, cuius imaginem depingit Seneca lib. 7. de Beneficiis, 27. capite.

Vtilitatis causa facienda omnia dixit Epicurus. *Scelus omne patrandum.* *Epicuri oratio.* *Impiā sententiam sequitur impia vita.* *Caim vita.* *Iosephus.* *Sadducæorum vita.* *Iosephus.* *Seneca.*

18. *Sit autem fortitudo nostra lex iustitiæ.* Pro lege iustitiæ volumus habere robur corporis, tyrannidem, & potentiam: in viribus ius ponimus: id licitum æquúmque ducimus, quod est in armis, vt Callicles apud Platonem in Gorgia.

Ius in armis. *Plato.*

Quod enim infirmum est, inutile esse inuenitur. vel, deprehenditur: imbecillitas enim maximis patet iniuriis. Describuntur optimè horum flagitia, & supplicia Iob. 20 & 21.

19. *Circumueniamus ergo iustū, quoniam inutilis est nobis.* Græcè dicitur, insidiemur autem iusto, quoniam incommodus est nobis. Sed coniunctio, δὲ, *autem*, habet hîc vim inferendi, aut hortandi, & pro *ergo*, aut *igitur*, accipiunt omnes ferè Interpretes. Nomen verò δύσχρηστος, quod versum est *inutilis*, ampliorem habet significationem: est enim incommodus, qui obsit, & obsistat, & nolit conniuere: nam statim dicitur,

citur, *contrarius est*, seu *aduersatur operibus nostris. Insuauis* legunt nonnulli ex Patribus iam referendi, vt Cyprianus, Lactantius, Augustinus. Locum hunc tanquam insigne quoddam vaticinium de odio Pharisæorum aduersùs Christum, & de illius causis referunt, Tertullia. lib. 3. aduersùs Marcio. cap. 22. vbi legit, *Auferamus iustum, quia inutilis est nobis*, & lib. de patientia, cap. 5. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos, cap. 14. Clemens Alex. lib. 5. Stromat. c. 6. Lactantius lib. 4. de vera Sapientia, cap. 16 Cyrillus in c. 58. Isaiæ. Tum etiam Ambrosius lib. 2. officio. c. 7. & Hierony. in 3. Isaiæ, qui legunt, *Alligemus iustum, quia inutilis est nobis*. vt habent Isaiæ 3. Septuaginta. & Augustinus lib. 17. de ciuit. Dei, cap 20. ac Isidor. lib. 1. de officiis, c. 12. & commentatores de Christo ferè exponunt. Verùm Salomonem in vniuersum graphicè depingere impiorum animum, & capitale odium, quo accensi sunt aduersùs quemque iustum, eúmque persequuntur, asserunt Hugo, Lyra, Iansenius, & nonnulli alij expositores, quorum nos tanquam magis cohærentem explanationem sequemur. Id quod verissimè videmus completum in odio, & audacia impiissimorum Iudæorum contra Christum, hominum iustissimum, atque Angelorum omnium iustissimum, & sanctissimum. Nam si odium Caim in Abel adeò fuit acerbum Gen. 4. vt eum occiderit, *quia opera eius mala erant, fratris autem iusta*, vt dixit Ioan in epistto. sua 1. cap. 3. 12. & nefandorum illorum, qui iustum Loth aspectu, & auditu, iniuria afficiebant, & iniquis operibus cruciabant, vt ait Petrus 2. epistola, cap. 2. 7. ex Genesi 19. 25. Esau etiam profanus, vt vocat Apostolus ad Hebræ. 12. tanto odio prosecutus est fratrem Iacob virum innocentem, & sanctum, vt etiam de illo occidendo cogitauerit. Gen. 27. quod ipsum verum inuenimus in odio fratrum contra Ioseph Gen. 37. Achab impiissimi contra Eliam 3. Reg. 18. & contra Michæam 3. Reg. vlt. Iudæorum aduersùs Isaiam, vt refert Hierony. in 1. cap. illius, qui sectus, & occisus est ab impio Rege Manasse, vt scribit B. Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei, cap 24. & infinitorum aliorum. At nullum fuit vnquam odium acerbius, atque funestius, atque Pharisæorum in Christum, quòd eorum vitia insectaretur. Cùm ergo Spiritus sanctus generatim disseratur in hoc loco de odio, quo omnes impij iustos prosequantur, peculiariter tamen loquitur de odio Pharisæorum in Christum eiúsq; causis, vt diximus.

Tertullian. Cyprianus. Clem. Alex. Lactantius. Cyrillus. Ambrosius. Hieronym. Augustin. Isidorus. De Christo.

De quocumque iusto.

Odium impiorum in pios.

Isaias sectus. Hieronym. Augustin. Odium in Christum.

Et contrarius est operibus nostris. vel factis nostris aduersatur. *Et improperat nobis peccata legis*. hoc est, exprobrat nobis peccata in legem Dei commissa, vt communiter exponunt Doctores. At veriùs de peccatis alij intelligunt ex ea lege profectis, de qua dixerat, *Sit fortitudo nostra lex iustitia*. Exprobrat, inquit, nobis delicta crudelitatis plena, ex lege hac profecta, nempe ex potentia illorum, ac violentia, qua omnes opprimunt, omnes pessundant. Constat autem hic sensus verus ex sequenti sententia.

Peccata legis quæ.

Et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. nempe ea maleficia diffamat, hoc est, cum infamia nostra euulgat, ac celebrat, quæ à ratione, & consuetudine vitæ, quam instituimus, proficiscuntur; vel, vt volunt alij, obiicit nobis peccata, quæ ob neglectum disciplinæ in nobis deprehendit. Ita aduersùs iustum conspirant impij, quòd verbo, & exemplo eis suam impiam viuendi rationem exprobret, vt accidit Noë, & Ieremiæ, & Christo ipsi, qui Pharisæis, & aliis suas traditiones, & hypocrisim obiiciebat sæpe, & impias cordis cogitationes detegebat, & mandatorum Dei, id est, eius disciplinæ despectum, & idcirco coniurarunt *aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius*, Psalmo 2. *& vt vituli circumdederunt eum, vt tauri pingues obsederunt eum : aperuerunt super eum os suum sicut leo rapiens, & rugiens*. Psalmo 21.

Reprehensio infensū facit iustum.

21. *Promittit se scientiam Dei habere*. Prædicat, seu profitetur se veram Dei cognitionem habere, quæ est scientia Sanctorum, informans hominem ad verum Deo cultum exhibendum, & omni pietate colendum; quam vtique habuit Christus, & docuit ex potestate.

Et filium Dei se nominat. sic omnes transferunt, quamuis in Græco legamus, παῖδα κυρίου, puerum, seu seruum Domini, qua ratione omnes iusti, & Prophetæ se Dei seruos nuncupabant. Sed Christus præcipuè se Dei Filium nominabat, vti erat, vt Pater suus gloriabundus nominarat super Iordane Matth. 3. 17. & in monte Tabor, c. 17. 5. vnde impij Iudæi Matth. 27. 42. ita insultabant ei: *Confidit in Deo, liberet nunc, si vult, eum : dixit enim quia filius Dei sum*.

Christus Dei filius.

22. *Factus est nobis in traductionem cogitationū nostrarum*. εἰς ἔλεγχον, in redargutionem: nam coram iusto intimæ impiorum cogitationes redarguuntur, & malæ esse, & contra legem deteguntur; qua phrasi dixit Ioannes cap. 3. 10. *Et non venit ad lucem, vt non redarguantur opera eius*. & Paulus ad Ephes. 5. 13. *Omnia autem, quæ redarguuntur, à lumine proferuntur, vel manifestantur*. Solet vulgatus traducere, vsurpare, pro, in publicum ducere, aut proferre, aut omnibus reprehendendum exponere. Est ergo iustus lux mundi; non solùm quòd sua iustitia tanquam luce Solis illustrem faciat mundum, & ad virtutem inducat; sed quia virtus eius, ac iustitia coram impiis tanquam lux quædam proposita, eorum malefacta manifestet, & oculis omnium palàm faciat : quin impio ipsi inuito licèt, detegit suarum cogitationum turpitudinem, & prauitatem : easque malas esse reipsa iudicat, iuxta aliam versionē dicentem: *Hic cogitationum nostrarum iudex exstitit*. Idcirco impius, *qui malè agit, odit lucem*, iustum videlicet ipsum, qui oculos illius perstringit, & offendit. Ideo subditur,

Traducere quid. Lux mundi iustus.

23. *Grauis est nobis etiam ad videndum*. vel cùm aspicitur, aspicere illum, inquiunt, graue est nobis : nam est in vultu piorum auctoritas, & reuerentia, qua offenduntur impij. & ratio huius est,

Quoniam dissimilis est aliis, pro aliorum, *vita illius*; non consonat vita iusti cum vita aliorum.

Differentia vitæ, odij causa.

Et

Et immutatæ ſunt viæ eius. Hoc eſt, differentes, ac diuerſæ ſunt vitæ rationes, & diſcrepantes ab aliis, quibus ita adhæret, vt mutari non poſſit, vel adduci, vt paululùm mutet ſuam viuendi rationem, & conniueat, aut morem gerat aliis. Grauis fuit Abel Caino; grauis Iacob Eſau; grauis ſuis fratribus Ioſeph, *neque rectis oculis aſpiciebat Saul Dauidem.* 1. Reg. 18. 9. vt neque Iudæi Chriſtum, quòd vita diſſimili illorum viuendi rationem coarguerent, & improbam eſſe manifeſtarent. Nam vel ob hoc Iacob & Eſau, Iſaac & Iſmaël diſſidebant; & Nero Senatorem Thraſeam virum optimum, videre non poterat, quouſque eum ſuſtulit de medio, vt refert Tacitus 16. Annalium. Thraſeas. Tacitus.

24. *Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo.* Græcè in ſpurium. Hoc eſt, vt res quædam ſpuria, & adulterina, nempe vt adulterini, & ſeparati à communione filiorum Dei, quique nugis, as rebus leuiculis vacare ſoleant, exiſtimati ſumus ab illo. Se filium Dei iactitat, & nos filios ex adulterio natos, quòd ſimus ex patre diabolo orti.

Et abſtinet ſe à viis noſtris, tanquam ab immunditiis. Hoc eſt, refugit ab inſtitutis, rationibúſque vitæ noſtræ, quaſi à quibuſdam inquinamentis, ſeu ſpurcitiis. Vias vocant Græci inſtituta, ſeu vitæ rationes bonas, vel malas. Hanc formam ſecutus Moyſes Numer. 16. 26. dixit ad turbam: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Et Gregorius Nazian. in oratione in laudem Baſilij, ſic ait: Nec cum flagitioſiſſimis ſodalium conſuetudinem habebamus, ſed cum optimis, & honeſtiſſimis: nec cum pugnaciſſimis, ſed cum tranquilliſſimis, iiſque quorum conſuetudo magnos fructus afferebat: illud exploratum habentes, multò faciliùs vitium contrahi, quàm virtutem communicari: quemadmodum faciliùs quoque morbus contrahitur, quàm ſanitas impertitur. Viæ inſtituta viuendi. Conſuetudo cauenda impiorum. Gregorius Naz. Vitium faciliùs contrahitur.

25. *Et præfert nouiſſima iuſtorum.* Græcè, beatificat extrema iuſtorum. Hoc eſt, beatum dicit exitum iuſtorum. Vt facit Eccleſiaſticus à cap. 44. laudans viros glorioſos Iſraël, de quibus ait ver. 14. *Quorum corpora in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum vixit in generationem, & generationem.* Pſalm. 115. 15. *Precioſa*, dicitur, *in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.* & Apocal. 14. 13. *Vox è cœlo audita eſt, Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Rationem affert Nazian. orat. in funere patris, quia mors, quæ non ſolùm nos à præſentibus malis vindicat, verùm ad ſupernam quoque vitam ſæpe traducit, an ſcio, ait, an propriè mors appellari queat, vtpote nomine magis, quàm re formidabilis: vna vita eſt oculos ad vitam coniectos habere, vna mors peccatum; animæ enim eſt interitus. Iuſtorum mors precioſa. Gregor. Naz. Peccatum, mors.

Et gloriatur Patrem ſe habere Deum. vt Chriſtus Ioan. 8. 54. *Eſt Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus noſter eſt, & non cognouiſtis eum:* cùm tamen impij glorientur ſe patrem habere diabolum. O

quanta

quanta gloria, patrem habere Deum, & cum eo omnia bona.

26. *Videamus ergo si sermones illius veri sunt.* Videlicet quibus iactat se esse Filium Dei.

Et tentemus quæ ventura sunt illi. Græcè, & experiamur quæ in euentu, seu in exitu eius, supple, erunt. hoc est, Videamus quomodo exitus, atque euentus eius sit orationi responsurus. Vt, scilicet, à Deo Patre suo eripiatur de aduersariorum manibus; vt dicitur in sequenti versu.

Et sciemus quæ erunt nouissima illius. Hæc verba in nullo codice Græco modò leguntur, nec in Cypriano, vel Lactantio; legit tamen Augustinus cum vulgato, qui ea addidisse videtur, vt explicatiùs ostenderet quæ dicta erant de exitu iusti: nam exitus acta probant.

Augustinus. Exitus inspiciendus.

Si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum. Græcè, Si enim iustus est Filius Dei, suscipiet eum, vel opitulabitur illi, vt legit quoque Augustinus lib. 17. de Ciuit. Dei, cap. 22. & de manibus aduersariorum eripiet.

Augustinus.

27. *Contumelia, & tormento*, vel, *contumeliis & tormentis*, vt Lactantius legit, *interrogemus eum*, seu exploremus, examinemus, probemúsve eum, aut torqueamus eum. Nam crux ignominiosa est, & cruciat.

Lactantius.

Vt sciamus reuerentiam eius. ἐπιείκειαν, modestiam eius sic Paulus ad Philip. 4. 5. τὸ ἐπιεικὲς, *modestia vestra sit omnibus hominibus.* Huiusmodi vocauit Christus Matth. 5. 5. mites, seu mansuetos. Mansuetudinem ergo intelligit, quæ hominem mirè facit reuerendum, & omnibus amabilem. *Vt sciamus*, inquit, *mansuetudinem eius.*

Mansuetudo reuerendum facit.

Et probemus patientiam illius; id est, malorum tolerantiam, & perpessionem. His duobus modis, contumelia, & tormento, filij Dei in hoc mundo exercentur, opprobrio videlicet, & cruciamento. Ait enim 1. ad Timoth. 4. 10. Paulus: *In hoc & laboramus seu persecutionem patimur, & maledicimur, seu probris afficimur, quoniam speramus in Deo viuente.* Rectè autem ad probandam iusti iustitiam, patientiam eius explorant: nam, vt dixit Paulus ad Rom. 5. 3. *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem*: &, vt ait Iacobus cap. 1. 4. *Patientia opus perfectum habet.* Patientia ergo est, quæ ostendit perfectam, & in summo fastigio collocatam iusti iustitiam, ac summam virtutem.

Pij duobus exercentur.

Patientia, iustitiæ probatio.

28. *Morte turpissima condemnemus eum.* Græcè, morte turpi, vel infami, nempe ignominioso mortis genere, in quo cruciatus cum ignominia coniungatur. *Erit enim ei respectus ex sermonibus illius.* Ad verbum, eius inspectio erit ex ipsius sermonibus; hoc est, vt locutus est, ita visitatio eius erit, ita visitabitur, vel explorabitur, vt videamus an patientia eius, & constantia ipsius respondeat orationi. Tractabitur iuxta dicta sua, vel dum affligetur à nobis, considerabimus, & inspiciemus qui sit, vel per ironiam, Deus respiciet illum, scilicet, vt prædicabat. Quàm verè autem hæc fuerint impleta in Christo, ex cap. 26. & 27.

26.&c. 27.Matthæi satis constat,vbi illudentes Scribæ,& Pharisæi dicebant: *Confidit in Deo, liberet nunc eum si vult: dixit enim, quia filius Dei sum.*

Hæc cogitauerunt,& errauerunt: hoc est, hæc cogitantes in grauissimos semetipsos præcipitauerunt errores: excæcauit enim illos malitia eorum: non enim ex animi perturbatione,aut ex ignorantia,sed ex industria,ac scientes errabant; tantam autem affert menti cæcitatem hæc malitia,vt dicat Iob 34.25. Eliæ. *Nouit enim opera eorum, & idcirco inducet noctem, & conterentur. Quasi impios percussit eos in loco videntium. Qui quasi de industria recesserunt ab eo,& omnes vias eius intelligere noluerunt;* vbi Gregorius lib.25. Moral c.11. accommodat illa Christi verba Matth.22.13. *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores:* tunc, ait, coactus in tenebras exteriores mittitur, quia nunc in interioribus cæcatur voluntariè. 29. Cæcitas impiorum.

Et nescierunt sacramenta Dei. Græcè,mysteria Dei,vt vulgatus sæpe Latinè reliquit,sæpe etiam nomine sacramẽti transtulit, vt Tobiæ 12. 7. *Etenim sacramentum,* pro mysterium,*regis abscondere bonum est.*& in nouo Testamento frequentissimè,ad Ephes. 1.9. *Vt notum faceret Sacramentum,* pro mysterium *voluntatis suæ*, & c.3.3. *notum mihi factum est sacramentum,* pro mysterium,*in mysterio.* Sunt autem mysteria, arcana,à quibus,quòd diuini quidpiam continere putarentur, tanquam prophanus populus arceretur illis verbis, 30. Mysterium quid.

Procul hinc,procul esse prophani.

Soli mystæ, vti sacrorum discipuli, mysteriis initiati ad ea admittebantur,sed indicto silentio,ne cui manifestarent. Ideo Tertullia. in Apologetico c.7. dixit, cùm vel ex forma, omnibus mysteriis silentij fides debeatur;cùm semper etiam impiæ initiationes arceant prophanos, & arbitros caueant. Idcircò Harpocrates in aditu collocabatur, simulachrũ id erat, quod digito labiis impresso admonere videretur, vt silentium fieret,auctore etiam Augustino lib.18 de ciuit.Dei,cap.5. Eam ob rem inhumanis his,quia indigni erant,quibus,soluto silentio, reserarentur,celata sunt mysteria Dei, quæ discipulis, & mystis, seu initiatis reuelare solita est Sapientia, iuxta illud Psalmi 24.14. *Arcanum Domini timentibus eum,& testamentum ipsius, vt manifestetur illis.* Prou. 3.32. *Abominatio Domini est omnis illusor, & cum rectis secretum eius.* & Christus Lucæ 10.21. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à Sapientibus,& prudentibus,& reuelasti ea paruulis.* Tertullianus. Silentium in mysteriis. Harpocrates in aditu. Augustinus. Cui mysteria patent.

Nescierunt igitur mysteria Dei, res sanctiores in vniuersum quidã intelligunt. Alij diuina oracula, quæ in scripturis diuinis continentur: Nam duorum, quæ hic dicit ignota impiis, & mysteria Dei, & præmium sanctitatis,de hoc cùm agat cap. 3 de illis agit in residuo huius capitis;cùm refert,ex orbis conditione,hominem creatum ad immortalitatem,Deo similem,at quòd interea id euenisse diaboli inuidia;& Mysteria oracula despiciebant.

ministrorum eius, qui iustos perire satagunt, hæc, inquit, oracula nescierunt, sed despexerunt potiùs, & illis illuserunt, vt consueuere oraculis illudere Epicurei, vt refert Plutarchus lib. de oraculorum defectu, vnde nullam de Deo, nullam de eius cultu rationem habendam colligebant, apud eundem in lib. contra Epicuri sententiam. Aliis videri posset per mysteria significari sacrificia variis, ac absconditis peracta cæremoniis, diis notis: nam iusti, dum ab impiis vti carnificibus occiduntur, gratissima Deo fiunt sacrificia, & holocausta, etsi impij ipsi id ignorent, arbitrantes, iustis nihil superesse boni, nihil spei apud Deum, sed ipsos omnino perire. Verius aliis, explicatiusque videtur mysteriorum Dei nomine significari Dei arcana consilia, quæ cùm homines lateant impios, piis hominibus, tanquam initiatis referantur, in quibus vnum, & maximè reconditum est, & quod pios ipsos aliquando perturbet, conniuere Deum, ac permittere iustos potestati impiorum, vt ærumnis conficiant, affligant, crucient, & interficiant; quasi nulla Deo sit cura de illis, cùm tamen gaudium, salus, vita immortalis, & innumera bona sub illis recondita malis claudantur, quæ impios latent, nescientes mysteria Dei. Nam quemadmodum sub ignominia crucis Christi multa latebat gloria, & sub morte eius immortalitas, vnde & Paulus ad Galat. 6. 14. *Mihi*, ait, *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: nam in ea est salus, vita, & resurrectio nostra.* Et si esset gentibus stultitia, imò discipuli huius doctrinæ tyrones Christum ab ea retrahebant, cùm ascendens Ierosolymam Lucæ. 19. 34. dicebat, *ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, &c.* & tamen latens mysterium *ipsi nihil intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.* ita impij in iustos crudeles, eos vt sibi aduersantes de medio tollebant, quasi nihil superesset boni, aut mali, & nesciebant arcana Dei consilia, permittentis iustos occidi, non quasi perituros, sed quasi in æternum victuros: nam adeò curæ sunt illi, vt licèt manibus impiorum permittat, non eiiciat tamen è manu sua; siquidem *iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos cruciatus* vllus, *visi sunt oculis insipientium mori*, Dei consilia nescientium, *ipsi autem sunt in pace*, & immortalitate perfruentur: nam à Deo creatus est ad immortalitatem homo; peccato autem inuecta mors est, diabolo adigente, cum ministris eius.

Mysteria, sacrificia.

Sensus verus.

Mysteria in cruce latentia.

Iustorum mors ignota impiis.

Nec mercedem sperauerunt iustitiæ ὁσιότητος sanctitatis: nam qui vitam post mortem negat animorum; nec remunerationem pro religiosis in Deum officiis sperat; nec pro eorum despectu timet supplicium, quæ duo si aufetas, Deum tibi eripis, & omne virtutis studium reiicis.

Spem & metum tollunt impij.

Nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum. Græcè, præmium animarum inculpatarum, vel irreprehensibilium. Nam Paulus ad Philip.

Philip. 2. 15. hoc nomine vſus, fideles appellat irreprehenſibiles. Ait ergo. Nec rationem habuerunt præmij inculpatis animis propoſiti, vel quo afficiuntur animæ virtute præcellentes.

Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem. Græcè, ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, in integritate, in, ſumpto pro ad, integritatem, ad incorruptionem, ad immortalitatem, ad naturam non interituram. Vulgatus dixit, inexterminabilem, id eſt, qui non eſſet à vita exterminandus. Reddit autem rationem ſummæ cæcitatis, qua capti impij illi errauerant, dum nullam mercedem, nullumque præmium exiſtimabant manere iuſtos in futura vita, in qua oportet illos eſſe incorruptibiles, & immortales, vt gloria, & honore digno cumulentur, excæcati ſunt, inquit, dum ex errore immortalitatis, in tam profundum præcipitium deciderunt, cùm Deus ab initio creauerit hominem vt eſſet immortalis. 31.

Deus creauit hominē ad immortalem vitā.

Et ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Græcè, & imaginem ſuæ proprietatis fecit eum, hoc eſt, propriæ naturæ, vt ſicut ipſe eſt ſuapte natura immortalis, ita eadem homo gloria ornaretur, quæ cùm ſit propria ipſius Dei, ſingulari eius munere homini eſt communicata.

Vt intelligentiam dilucidiorem huius verſus habeamus duo dubia ſoluenda ſunt, ex quorum explicatione pendet vis argumenti, quo Sapiens inuehitur in impios illos, qui omnia cum corpore finiri exiſtimabant.

Dubium prius ſit vtrùm priora illa verba, Deus creauit hominem inexterminabilem, ſeu ad immortalitatem, ſint accipienda de corporis immortalitate, qualem habuit Adam in ſtatu innocentiæ, cùm inerat illi facultas, aut potentia ne vnquam moreretur, ſicut ne vnquam peccaret: an de animi hominis immortalitate, quæ illi à ſua prouenit natura? Exiſtimare poſſet quiſpiam ſermonem hic eſſe de humani animi immortalitate. Tum quia ſtatim ſubditur; *& ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum,* quod de hominis animo, non de corpore poſteriori dubio exponemus: tum quia Sapiens impiorum illam principem ſententiam præſenti refellere nititur; at illi aſſerebant animam cum corpore interire; ergo Salomon ſua ſententia illis ſe opponit, affirmans animam hominis cum corpore non interire, quòd Deus illum creauerit ad immortalitatem.

Quæſtio. De qua immortalitate ſit ſermo, corporis, an animi?

De animo loqui putatur.

Verumtamen certum debet eſt ſententiam hanc Salomonis de corporis immortalitate eſſe accipiendam, qualem habuiſſet homo ne moreretur, ſi non peccaſſet, in ſtatu innocentiæ. Idque inprimis conſtat, quia hic referri hiſtoriam conditionis hominis, in qua homo conditus in integritate, & incorruptione corporis, vt oſtendunt illa verba Geneſis. 2. 17. *De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris:* quod repetit Eua cap. 3. v. 3. in his autem verbis ſermonem eſſe de morte corporis commu-

De corpore veriùs.

nis habet sanctorum patrum intelligentia, quos retulimus lib. 2. Quæstionum in Genes. q. 13. & super caput. 5. episto. Pauli ad Roma. idque satis colligitur ex sententia, quam tulit Deus Gen. 3. 19. contra Adam iam sui præcepti transgressorem, scilicet, *in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* & Sapiens cap. 1. sap. 13. mortem corpoream intellexit, cùm dixit, *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum*, & Ecclesiasticus cap. 25. 33. *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* Denique Apostolus ad Roman. 5. 12. sic definit. *sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit.* Atque ita decernunt de morte corporis concilia Arausica. can. 1. Africanum cap. 76. & Tridentinum sessio. 5. in Decreto de peccato originali, vt iam tot, ac tantorum expositorum calculo, pœna adiecta à Deo, *morte morieris*; nemini liceat, nisi de morte corporis intelligere, cui ob peccatum homo obnoxius remansit. Vnde necesse est, & hunc Sapientis locum, in cuius expositione versamur, non nisi de incorruptione, seu immortalitate corporis intelligere siquidem id largitus est Deus corpori hominis, quo sua conditione carebat, vt non moreretur si non peccaret: cùm animę natura sua immortali, id beneficium non contulerit; quod ipsa non haberet.

Mors corpori pœna inflicta.

Dubium posterius est vtrùm illis verbis. *Ad imaginem similitudinis suæ fecit illum*, intelligendus sit homo ratione corporis, an ratione animi factus ad imaginem similitudinis Dei? Quia verò Sancti patres, & expositores multis, variisque modis intelligunt illa similia Genesis verba cap. 1. 26. *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, vt nos adduximus lib. 1. Quæstio. in Genesim q. 35. qui videri possent accommodari his Sapientiæ verbis. at omnes illi faciè refelluntur, si attendamus ad horum verborum proprietatem, quæ vix commentatiierunt illorum Geneseos. sic enim habent ex Græco. & imaginem propriæ, vel suæ proprietatis fecit eum. quod est, fecit hominem imaginem suæ propriæ naturæ, & substantiæ. Vnde colligitur hominem non dici factum imaginem illius formæ, quam assumpsit Deus in orbis conditione, vt cum homine sermonem confereret, vt putarunt Eugubinus, & Oleaster. Nec humanæ naturæ à filio Dei assumendæ, vt visum est Cæsario Nysseni fratri in 3. Dialogo Nec Ideæ, & protorypo hominis, ad cuius imaginem Philo asseruit in lib. de opificio Dei, & in lib. legis Allegoriarum, factum Adam. Nec filij Dei, qui est imago patris, vt dixerunt Origenes & Rupertus lib. 2. de Trinit. & operibus eius cap. 2. quia hoc loco Sapiens affirmat hominem factum imaginem diuinæ proprietatis.

Quæstio. vtrùm homo sit imago Dei animo, an corpore?

Homo qui sit imago. Varij modi loquendi.

Cæsarius. Philo. Origenes. Rupertus.

His præmissis dubitatur vtrùm homo dicatur factus imago diuinæ naturæ quoad corpus, an quoad animam tantùm? Audiani existimarun

Audianorũ hæresis.

Auguſtinus. Philaſtrius. Anthropomorphitæ. Epiphanius.

runt hominem factum imaginem Dei quoad corpus; quia putabant Deum corporeum eſſe, nec ſpecioſiorem ei formam affingi poſſe quàm humanam. Refert hanc hæreſim Auguſtinus ex Philaſtrio, lib. de hæreſibus ad Quodvult Deum cap. 76. quos ſecuti ſunt Anthropomorphitæ, quos Epiphanius, cæteríque patres tamquàm in re manifeſta errantes, confutant.

De corpore alij accipiunt. Ratio prima.

Alijs poſſet videri verba Sapientis, quæ explicamus, eſſe intelligenda de homine quoad corpus, quòd ſit imago Dei, non quidem, quòd exiſtiment Deum corporeum; ſed quod putent in homine quoad corpus etiam exprimi aliquam effigiem Dei, ſecundùm quam, habeat vitam corpoream perpetuam, & corpus immortale: & probatur vera hæc intelligentia; quia hoc loco Sapiens conatur refutare ſententiam impiorum aſſerentium omnia cum corporis morte perire. at nullo firmiori argumento ſe illi opponit quàm oſtendendo à Deo factum hominem immortalem etiam quoad corpus. Deinde quia in verbis præcedentibus, *Deus creauit hominem inexterminabilem.* de homine quoad corpus locutus eſt, ergo ſimiliter cùm ait, *& imaginem ſuæ proprietatis fecit illum*, de eius corpore loquitur; cuius interitum ſtatim diabolo attribuit & peccato, ne de Deo queratur genus humanum.

Ratio ſecũda.

Vera ſententia de animo. Baſilius. Ambroſius. Chryſoſtomus. Gregor. Nyſſe. Auguſtinus. Damaſcenus. Paulus. Plato. Euſebius.

Certum nihilominùs debet eſſe hominem à Deo factum imaginē diuinæ proprietatis, ſeu naturæ, non quoad corpus, ſed quoad mentem. Sic aſſerunt Sancti Patres communiter. Baſil. homil. 10. in Geneſim, Ambroſius lib. 6. exame. cap. 8. Chryſoſtomus ſuper Geneſim Gregorius Nyſſenus, homil. de creatione hominis. Auguſtinus. lib. 6. de Geneſi ad lite. c. 12. & 1. lib. de Geneſi contra Manichæos cap. 17. Damaſcenus lib. 2. fidei ortodo. cap. 12. & ceteri ſimiliter. Quin Apoſtolus ad Coloſ. 3. 9. ſatis id exprimit cùm ait, *expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, eum, qui renouatur in agnitionem, ſecundum imaginem eius, qui creauit illum.* Sed & diuinus Plato hanc veritatem ex Moſe deſumpſiſſe aſſerit. Euſebius lib. 11. de Præparat. Euangelica cap. 14. in Alcibiade, habemuſne, inquit, aliud melius, atque diuinius in anima quàm illud quod ſapit, atque intelligit? Nihil prorſus, hoc ergo illud eſt quod Deo ſimile eſt, & in lib. de Anima, concludens manifeſtum eſſe Deo animam ſimilem eſſe; addit, Nonne vt corpori conuenit mori, atque diſſolui, ſic animæ conueniet nunquam mori, atque diſſolui? & Porpyhrius in 1 ad Boëthum commendat rationem Platonis à ſimilitudine ductam, firmam, inquit, certámque rationem eam Plato putauit, quæ à ſimilitudine aliquorum vim accipit. Nam ſi Deo immortali ſimilis anima eſt, quomodo etiam ipſa, ſicut exemplar ſuum immortalis non erit?

Porphyrius.

Homo natura Deo ſimilis in ratione. Proprietates ſecutæ.

Eſt ergo homo factus imago proprietatis diuinæ, in eo, q̃ ſit rationis, & intellıgētię capax ſua natura, ſicut Deus eſt, licèt infinitis ſpacijs ab eo diſtet. Quã naturã ſtatim conſequuntur ſuę proprietates huiuſmodi,

modi, ex eo quòd homo secundum mentem sit intellectualis, sequitur in primis esse illum spiritualem, & incorporeum, deinde immortalem, prætetea intellectu, memoria, & voluntate, ac libero arbitrio præditum, quartò esse capacem sapientiæ, virtutis, diuinæ gratiæ, & æternæ felicitatis. Denique fit vt cunctis animantibus & dignitate præsit, & potestate dominetur. Vnde fit vt quia in homine sunt omnes gradus rerũ: nam est vt lapides, viuit vt stirpes, sentit vt animalia, intelligens est, vt Angeli, & Deus, sicut in Deo omnia sunt eminentiori quodam modo tamquam in magno mundo, sic in homine res omnes contineantur quasi in microcosmo paruo mundo.

Homo paruus mũdus.

Rationis Salomonis vis.

His ita constitutis Salomon ita impiorum illam opinionem refutat, vt nihil restet quod opponant. Vos dicitis, inquiens, animum cum corpore interire; ego contrà dico corpus cum animo immortale esse, quod probo ex historia conditionis hominis, in qua & homo quoad corpus factus est ad immortalitatem; & quoad animum factus est imago naturæ diuinæ: est igitur quoad animum natura immortalis sicut Deus, quamuis inferiori gradu, & quoad corpus factus immortalis sicut animus, cuius erat corpus. Quòd vero modo intereat id non ex Deo, sed ex diaboli promanauit inuidia, vt statim dicit.

32. *Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Respondet obiectioni, si Deus corpus hominis incorruptibile, & immortale cum eius animo condidit, vnde ergo prouenit vt intereat, quemadmodũ quotidie experimur? Respondet id ex inuidia diaboli euenisse malis nam dolens de aliena fœlicitate, astu suo protoparentẽ euertit, mortique subiecit. Nemo est ex patribus hunc locum attigentibus, qui inuidiæ diaboli non tribuat casum Adæ. Sed cui hominis bono inuiderit inter se decertant. Bernardus sermone 17. in Cantica existimat diabolum doluisse, ac inuidisse, quòd ad tantam dignitatem euexerit Deus hominem assumpta eius humanitate, vt socium illum sibi, & æqualem fecerit, qui erat inferior. Ambrosius lib. de Paradiso cap. 12. inuidisse ait diabolum quòd homo se inferior ad felicitatem illam eueheretur in cælo quam ipse perdiderat: & idcirco per serpentem illi est insidiatus.

Diaboli astu homo cùm cecidit, perdidit immortalitatem.

Cui bono inuidit diabolus.

Bernardus.

Ambrosius.

Complures alij putant inuidiam inde ortam, quòd doluisset hominem ad eam euectum dignitatem, vt fuerit factus imago Dei, sic Irenæus lib. 4. aduersus hæreses cap. 78. Tertullia. lib. de Patientia cap. 5. Cyprianus in libro de Bono patientiæ cap. 8. & in Epistola de Zelo, & Liuore cap. 2. Methodius sermo. de Resurrectione apud Epiphanium. Basilius homil. 11. de Inuidia, & homil. 21. in aliquot scripturæ locos. Prudentius in Hamartigenia, aduersus Marcionem post initium, versu. Inuentor vitij non est Deus. Angelus illud degener infami conceptum mente creauit. Gregor. Nyssenus oratio. Catechetica cap. 6. & in vita Mosis. Augustinus lib. 4. de Baptismo contra

Inuidit imagini Dei diabolus.

Irenæus.

Tertullianus.

Cyprianus.

Methodius.

Basilius.

Prudentius.

Gregor. Nysse.

Augustinus.

tra Donat. cap. 8. referens verba Cypriani in epistola de Zelo, & Liuore, & lib. 11. de Genesi ad literam cap. 14. & Chrysologus sermo. 48. Atque iidem ipsi ferè primum diaboli peccatum faciunt hanc inuidiam, qua hominis inuidit dignitati, quæ non potuit non ex propriæ excellentiæ oriri appetitu: vt dixit Augustinus. Chrysologus. Inuidia Angeli peccatum.

Quàm infensum malum inuidia sit multa nos docent: & in primis inuido est infensissimum, idcirco Philosophi hoc vitium iustum vocauerunt, quòd primum de ipso inuido pœnas sumat, vt rectè Nazianzenus orat. de cathedra Cõstantini, sic explicat. Vtinam ex hominum vita sublata, atque extincta esset inuidia, tabes possessorum, virus, ac rubigo eorum, qui ea exagitantur: sola ex omnibus animi perturbationibus æquissima simul, & iniquissima: illud quia bonis omnibus infesta est, hoc quia dominos suos exedit, & conficit. hæc Luciferum obscurauit; hæc Adamum de Paradiso expulit: hæc Sodomitas, Dathan, & Abiron, Salomonem, furciferum Iudam hinc Augustinus sermo. 1. Dominica 3. Quadragesimæ, inuidiam comparat cum vipera, sicut ærugo, inquit, ferrum, ita inuidia illam ipsam animam, in qua est, interimit, & consumit, & sicut aiunt, viperas dilacerato, & dirupto illo ipso materno vtero, in quo conceptæ sunt, nasci, ita & inuidiæ natura illam ipsam animam, à qua concepta est, consumit, & perdit, & quia superbus non potest non esse inuidus, vt ait idem sermo. 13. de verbis Domini secundum Ioannem, cùm inuidia superbiæ, quæ nescit esse sterilis, filia sit, ideo diabolus, qui est rex super omnes filios superbiæ Iob. 41. 25. continuò inuidit primiparentis felicitatem, illumque per mulierem, nos autem per ipsum euertit. Inuidię malum. Inuidum punit. Gregor. Nazian. Inuidia æquissima. Augustinus. Inuidia viperæ similis. Inuidia superbiæ filia.

Diaboli autẽ nomine Luciferum intelligi, qui Græcè diabolos, id est, calumniator, Hebraicè autem Sathan, quod est aduersarius, dicitur, constat ex illis Domini verbis Math. 25. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius,* & Apocal. 12. 9. *Proiectus est ille draco serpens antiquus, qui vocatur diabolus & Sathanas, & proiectus est in terram,* & 2. ad Cor. 12. 7. *datus est mihi Angelus Sathanæ, qui me colaphizet,* id est, dæmon minister, & satelles Sathanæ: nam Angeli Sathanæ dæmones appellantur. Vnde colligitur à Lucifero tentatum Adam veterem, & Christum nouissimum Adam, sed dissimili euentu: nam Matth. 4. caput eius contriuit Christus, vt fuerat prædictum Gene. 3. Lucifer, diabolus. Adam à Lucifero tentatus.

Imitantur autem illum, qui sunt ex parte eius. Verbum πειράζουσι recentiores omnes vertunt, experiuntur: nam verbum πειράζω hoc habet significatum; & cùm relatiuum αὐτὸν possit referre & diabolum, & θάνατον mortem, quæ in Græco masculini quoque generis est: illi mortem referre putant, ac vertunt, experiuntur autem eam, qui sunt partis illius, hoc est, qui Deo derelicto diaboli factionem sequuntur, incurrunt in mortem. Ergo idcirco homo, licèt ad incorruptionem 33. Sequaces diaboli mortem incurrunt. Prior sensus.

nem creatus, moritur, quia diaboli partes secutus est. Probat hunc sensum verum, quòd statim adiicitur sub particula diuersitatis: *Iustorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum.* Quasi dicat: illos, qui factionem diaboli sequuntur mors inuadit, at iustos, qui curæ Deo sunt, nullus attinget cruciatus. Verùm illud verbum tentare, seu explorare quoque significat, & inaniter conari, vt solent aues alis immaturis volare gestientes, vt vulgatus accepit, & codices Complutensis, Regius, & Vaticanus cum omnibus Patribus, apud quos relatiuum *αὐτὸν* refert diabolum, sic transferentes. Tentant autem illum, vel imitantur, aut conantur imitari illum, qui sunt à parte eius. Hoc est, Diabolus inuidia motus mortem inuexit in mundum, & protoparentes nostros interemit, & omnes, quotquot eius sequuntur factionem, conantur illum imitari, occidendo filios Dei, sicut ille occidit Adam, Deo filium charissimum. Sed frustrà id tentabunt, aut conabuntur; quia *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum.* Placuit hic sensus Patribus, Tertulliano lib. de bono patientiæ, cap. 5. Quod enim, inquit, ipsum Adam, & Euam morti immerserat, docuit & filium ab homicidio incipere. Cypriano in Epistol. de Zelo, & Liuore, dum, ait, Exinde inuidia grassatur in terris, dum liuore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum, qui zelat, imitatur; sicut scriptum est, *Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum qui sunt ex parte eius.* Hinc denique nouæ fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abel iustum Caim zelat iniustus. & quòd Esau fratri suo Iacob inimicus extitit, zelus fuit, & quòd Ioseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de æmulatione descendit. Saul quoque rex, vt Dauid odisset quid aliud quàm zeli stimulus prouocauit? & ne longum faciam singulos recensendo, Iudæi nonne inde perierunt, dum Christo malunt inuidere, quàm credere? In eadem sententia est Basilius homil. 11. de Inuidia, eadem ferè referens exempla. Quid principem malorum dæmonem ad bellum aduersùs hominem internecinum impulit? Nonne inuidia? Eadem & Caim visus est admittere primus diaboli discipulus, inuidiam, & cædem ab eo edoctus, quas & Paulus simul iunxit, inquiens, *Plenos inuidia, cæde.* Adde his Augustinum lib. 4. de Baptismo contra Donatistas, cap. 8. qui refert locum Cypriani. Rectè igitur hi filij diaboli vocantur, non natura, sed imitatione: sicut Dominus dixit Pharisæis Ioann. 8. 44. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio,* interfecto nimirum primo homine Adam; nam diabolus illi mortem propinauit; deinde occiso filio eius Abel; siquidem ipse fecit fratrem eius Caim in ipsum insurgere, cùm priùs illum ad inuidiam concitauisset. Atque hic verus, & genuinus sensus habendus est.

Posterior sensus verus.

Diaboli sequaces necem inuehunt.

Tertullianus.

Cyprianus.

Inuidorum exempla.

Basilius.

Augustinus.

Filij diaboli inuidi.

Quòd si percontetis quodnam genus mortis diabolus inuexit in orbem


orbem, violentúmne, an naturale, vel vtrumque? Respondeo vtrũque inuexisse, dum ad trangressionem Adam induxit, cui pœna mortis erat definita: mortalis enim factus est homo, & cuicumque obnoxius morti, qui priùs immortalis esse poterat. Quomodo igitur dices, imitantur illum filij eius, dum ex inuidia mortem inferunt violentam? Respondeo, extrema verba addita fuisse à Sapiente, vt illis percelleret impios, qui non contenti omni se voluptati tradidisse, beluarum instar, ad truculentam mortem iustis, filiisque Dei inferendam, audacter sese adigebant, vt patet à versu 10. vsque ad 20. quasi diceret: Deus hominem ad immortalitatem fecit, at diabolus inuidus illi mortem intentauit ad culpam inducens. Et hoc ipsum vos facitis, ô impij, qui filij eius estis, dum conamini iustos de medio tollere. Sed frustrà id tentatis, scilicet, ***quia iustorum animæ in manu Dei sunt.*** Quo arguméto videtur inuectus fuisse Christus Ioannis.8.44. in Scribas, & Pharisæos, qui necem illi parabant, cùm dixit: ***Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio.*** Vos ergo vt talis patris filij, Dei filij vultis esse interfectores, & Deicidæ: sed non cedet vobis prosperè, vt putatis.

Diabolus mortem omnem inuexit.

Filij diaboli mortem inferunt iustis.

Christi ratio.

I SAPIEN



SAPIENTIÆ SALOMONIS
CAPVT III.

VETVS.

1. *IVſtorum autem animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.*

2. *Viſi ſunt oculis inſipientium mori: & æſtimata eſt afflictio exitus illorum.*

3. *Et quod à nobis eſt iter exterminium: illi autem ſunt in pace.*

4. *Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt.*

5. *In paucis Vexati, in multis bene diſponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos ſe.*

6. *Tanquam aurum in fornace probauit illos,* 7. *& quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos,* 8. *& in tempore erit reſpectus illorum.*

Fulgebunt iuſti, 9. *& tanquā ſcintillæ in arundineto diſcurrēt.*

iudi

NOVA.

IVſtorum autem animæ in manu Dei, nec tanget illos cruciatus.

Viſi ſunt in oculis inſipientium mori:& exiſtimata eſt ærumna exitus illorum.

Et à nobis diſceſſus, contritio:Hi Verò ſunt in pace.

Etenim in conſpectu hominum ſi cruciētur,ſpes illorū plena eſt immortalitatis.

Paucis caſtigati, multis beneficiis afficientur: quoniam Deus tentauit eos, & ſe ipſo dignos inuenit.

Tanquam aurum in fornace probauit illos; & vt integram hoſtiam ſacrificij ſuſcepit: & in tempore viſitationis ſuæ ſplendeſcent.

Et vt ſcintillæ in ſtipula diſcurrent.

iudi

10. *Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, 11. & regnabit Dominus illorum in perpetuum.*

12. *Qui confidunt in illo, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. 13. quoniam donum, & pax est electis eius.*

14. *Impij autem secundùm quæ cogitauerunt correptionem habebunt: qui neglexerunt iustum, & à Domino recesserunt.*

15. *Sapientiam & disciplinam qui abiicit, infelix est: & vacua est spes illorum, & labores sine fructu; & inutilia opera eorum.*

16. *Mulieres eorum insensatæ sunt, & nequissimi filij eorũ.*

17. *Maledicta creatura eorum, quoniam felix est sterilis: & incoinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.*

18. *Et spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem; nec cogitauit aduersùs Deum nequissima, dabitur enim illi fidei donum electum, 19. & sors in templo Dei acceptissima.*

20. *Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ.*

Filij

Iudicabunt gentes, dominabunturque populis & regnabit in eis Dominus in perpetuum.

Qui confidunt in eo, intelligent veritatem, & fideles in charitate permanebunt in eo: quoniam gratia, & misericordia erga Sanctos eius, & ratio electorũ eius habebitur.

Impij verò sicut cogitarunt, luent pœnam, vt qui neglexerint iustum, & à Domino defecerint.

Nam qui sapientiam, disciplinámque pro nihilo ducit, miser est: spésque talium vana, & labores infructuosi, atque opera eorum inutilia.

Mulieres eorum insipientes, improbíque liberi eorũ.

Execrabilis progenies eorum: quoniam beata sterilis impollura: quæ non nouit thorum in delicto: in visitatione animarum fructum capiet.

Et Eunuchus, qui non operatus est manu iniquitatem, nec quidquam improbè contra Dominum cogitauit, dabitur enim ei gratia fidei electa, & sors in templo Domini pergrata.

Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & indecidua radix prudentiæ.

21. *Filij autem adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur.*	Filij autem adulterorum profani erunt, & ex illegitimo thoro semen abolebitur.
22. *Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore eorum nouissima senectus illorum.*	Siue enim diuturnæ sunt vitæ, nullo in pretio habebuntur, & ingloria in vltimis senectus illorum.
23. *Et si celeriùs defuncti fuerint, non habebunt spem; nec in die agnitionis allocationem.*	Siue celeriter ex vita decesserint, nullam habebunt spem, nec in die diiudicationis solatium.
24. *Nationis enim iniquæ iræ sunt consummationes.*	Generationis enim iniquæ diri sunt exitus.

ARGVMENTVM.

In truculentam impiorum aduersùs iustos mentem inuehitur Sapiens; ostendens inanem fore illorum conatum cùm licèt perimi videantur, at gloriosè viuant Deo: ipsos verò impios, qui sibi omnia ad metam euenire iactabant, & hic vitam ærumnosam agere, & futuram absque vllo solatio, simulque probat, & iustos præmium, & impios manere supplicium contrà ac putarant.

COMMENTARIVS.

1. Manus tutela. IVstorum autem animæ in manu Dei sunt. In manu hoc est, in patrocinio, in tutelà Dei sunt; ne putent impij, cùm morte corporis & ipsos perire, nec esse Deo curæ.

Et non tanget illos tormentum mortis. Genitiuus *mortis*, non est in Græco: nam tantùm legitur, *& non attinget eos cruciatus*; sed vulgatus, dum adiecit *mortis*, vt legit etiam Andreas Archiepiscopus Cæsareæ in Apoc. cap. 63. explicauit de quo cruciatu esset sermo, cùm iusti etiam crucientur, & intereant; de eo nempe qui mortifer sit, id est, qui iustos interimat, non corpore tantùm, sed etiam animo; quod, existimabant impij. Et ex subiectis sententiis constabit. Augustinus libr. 19. contra Faustum, capitul. 31. legit, *tormentum malitiæ* Sacramenta illa, seu abdita mysteria, ignota impiis

Andreas. (margin)

Augustinus. (margin)

impiis, de quibus præcedenti capite locutus est, versi. 22. explicat in hoc capite Sapiens: detegit enim bona, quæ calamitates, cruciarus, & mors iustorum afferunt, & quàm feliciùs obeant, quã impij viuant. Agnouerunt qui sapientiores fuerunt inter gentes vitam nec bonum, nec malum esse, boni, ac mali locum esse: in quo ad aleam luditur, & optandum, vt commodissima iacias, & iacta alea, iis quæ ceciderint, rectè vtendum. Si rectè iactus ceciderit, lucratus es, tuum est lucro rectè vti, sin malè, perdidisti, & tunc forte amissa, tuum quoque est æquo animo vti, nisi aleam perdere vis in dãnum certius. Sic ex Platone Plutarchus, in lib. de Tranquillitate, & serenitate animi, & Seneca epistol. 100. Alius quidam theatro vitam comparauit, in quo sæpius pessimi quique honoratissimum inter homines locum obtinent. Quapropter miserum iudicabant huic addictum vitæ, nisi mors cuiusque fortunam, aut potiùs vitæ rationem manifestaret, quasi animus è corpore liber ad Dei societatem transiret, vt dicemus: nam iustorum animæ non ita sunt à Deo neglectæ, vt impii existimant, qui se impunè posse gloriantur in eas insurgere, & vnà cum corpore interimere, Deo non curante; siquidem ita sunt in manu Dei ac tutela, vt nemo possit eas rapere de manu sua, vt dixit apud Ioannem cap. 10. 28.

Augusti-nus. Calamitas bonorum quæ bona eis apportet. Vita hominis alea. Plato. Plutarchus. Seneca. Vita, theatrum. Animæ iustorum curæ sunt Deo.

Celebre valdè fuit, & huic loco satis accommodum Anaxarchi dictum, tam Græcis, quàm Latinis, quod refert Laërtius lib. 9. de vita Philosophorum, & memorat Tullius in sua secunda Tusculana: qui cùm à Nicocreonte Cypri Tyranno iussus esset in pilam coniici saxeam, & malleis ferreis contundi: ille pœnæ suæ negligens, illud memorandum ingeminauit: Tunde, tunde Anaxarchi follem, seu vasculum; Anaxarchum enim non tundis. Quidni celebrassent iustorum fidelium tolerantiam, quorum vascula contunduntur, & corpora concutiuntur, ipsi verò intacti manent, vt pote qui in manu Dei sunt, Dei verò tabernaculo non appropinquat flagellum?

Anaxarchus. Laërtius. Tullius. Dictum memorãdum.

Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est. Afflictio Græcè κάκωσις, malitia, vt legũt Lucifer pro Athanasio, & Augustinus q. 143. 2.
in Exodum. Sed pro pœna, aut ærumna accipitur, vt solet accipi in Scriptura, vt cùm Math. 6. dixit Christus: *Sufficit diei malitia sua*, id est, afflictio, aut calamitas sua. Sic modò legemus, Existimata est malitia, vel ærumna exitus illorum. Sed est in his verbis Hebraismus, pro malitiosus, vel calamitosus, seu ærumnosus existimatus, habitusque est ab impijs exitus, seu obitus illorum.

Lucifer. Augustinus, malita, pro pœna.

Et quòd à nobis est iter, exterminium, Græcè, contritio. hoc est, & eorum à nobis profectio, seu discessus existimatus est esse quædam contritio, vel exitium, pro exitialis.

Illi autem sunt in pace. hoc est, cùm illi fruantur felicitate, seu sint felices, ac planè beati, Nam pax Hebræis omnem felicitatem significat.

Pax, felicitas.

Quæstio hoc loco sese offert non contemnenda. Num reuera sub

Quæstio.

Num regni cælorum sit mentio in veteri lege.

his verbis, *illi autem sunt in pace*, & similibus huius capitis, regnum cælorum intelligatur, an quicquam aliud?

Sententia negans. Chrysostomus.

Sententia multorum Patrum fuit, nullam in veteri lege factam mentionem regni cælorum. hoc enim proprium Euangelij esse, ac proinde nec sub dictis verbis illud intelligi consequitur, vt asserunt. Ita Chrysostomus homil. 4. in Marcum, in illa verba, *Prædicans Euangelium regni Dei*. Quantum in meo corde est, inquit, legens legem, legens Prophetas, legens Psalterium, nunquam regnum cælorum audiui nisi in Euangelio. Ante enim aduentum Saluatoris, & Euangelij charitatem, antequam Christus aperiret Paradisi ianuam cum latrone, omnium Sanctorum animæ ad inferos deducebantur. Idem asserit Moses Barcephas in Comment. de Paradiso, 1. cap. 11. loquens de Genesi Mosis. Hieronymus quoque lib. 1. aduersùs Pelagianos, versùs finem cap. 13. cum Pelagiano sermonem conferens, sic ait: Addis præterea regnum cælorum etiam in testamento veteri repromitti, ponisque testimonia de Apocryphis, cùm perspicuum sit, regnum cælorum primùm in Euangelio prædicari per Ioannem Baptistam, & Dominum Saluatorem, & Apostolos: lege Euangelia. Adde Augustinum lib. 19. contra Faustum, cap. 31. sic loquentem: Denique, quod non temere dixerim, nescio vtrùm quisquam in illis libris inuenit nomen regni cælorum, quod tam crebrò nominat Dominus. Demum Theophylactus in illa Lucæ verba cap. 16. *lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem*. Quoniam Prophetæ, & lex, inquit, mentionem non faciebant regni cælorum, meritò bona terræ promittebant imperfectioribus, & nihil virile, vel magnum intelligere valentibus. Et in illa verba capit. 17. *Interrogatus autem à Pharisæis quando venturum esset regnum Dei*. Nullus, ait, ex Doctoribus & Prophetis, qui superioribus temporibus fuerunt, eius mentionem fecit. Similiter loquitur super 3. caput Ioannis in illa verba: *sic Deus dilexit mundum*. Hæc est horum Patrum sententia, secundùm quam oportet modũ adinuenire, quo varia huius capitis de æterna felicitate dicta exponamus. Iuxta hanc sententiã omnia de regno cælorum, aut pace adducta testimonia, exponenda sunt de pace comparata post diuturnum vitæ bellum: nam quòd hanc pacem, & tranquillitatem adducat mors felicissimam, existimarunt vel ipsi Philosophi: nam mortem maximum dicebant malorum omnium remedium, & omnium mortalium portum, quòd malis incurabilibus medeatur, & nullus dolor sequatur mortuos, imò pace, tranquillitatéque perpetua fruantur, cùm iam sint extra aleam, & in æuum conquiescant. Rectè igitur dicitur, iustos esse in pace post vitæ pericula superata, post calamitates deuictas, post exantlatos labores, post ea denique quæ mortalem vitam comitantur mala repulsa, iam ampliùs nunquam sentienda. Nam vel ob hoc solum quòd finis malorum sit, meritò fœlicissima est mors habenda. At certè minis arcta, angustaque est

Moses Barcephas. Hieronymus. Augustinus. Theophylactus. Pax post bellum. Mors, malorum finis. Iusti in pace degunt ærumnis vitæ transactis.

hæc

hæc explicatio, cùm iustorum mortem spem immortalitatis, & pacis ingenerare satis in hoc libro dicatur,& ipsi Philosophi fateantur. Sententiæ huius reiectio.

Nihilominùs inficiari in primis potest nemo æternam vitam sub typis,& figuris temporalis felicitatis inuolutam,agnitam fuisse veteris legis patribus, quemadmodum & cetera fidei nostræ mysteria. Sic sentiunt Hieronymus in episto.129.ad Dardanum,& Augustinus lib. 19.contra Faustum,cap.31.& in epistola 120.ad Honoratum,de gratia noui Testamenti.cap.2.Vbi quando temporalem, inquit, felicitatem agebant,æternam,veram, & præferendam intelligebant, & istam ministrabant in mysterio, vt illam consequerentur in præmio. Constat hoc assertum, primùm Pauli auctoritate in epistola ad Hebræos, cap. 11.quem profert eo loco Hieronymus: nam de Abraham loquens ver.9.*Fide*,ait,*demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando, cum Isaac, & Iacob coheredibus repromissionis eiusdem: expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem:cuius artifex, & conditor Deus.* & ver.13. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus,sed à longè eas aspicientes, & salutantes,& confitentes quia peregrini, & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere; & si quidem illius meminissent, de qua exierunt,habebant vtique tempus reuertendi, nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem.Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: parauit enim illis ciuitatem.*Et concludit caput: *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur.*Et cap.12.22. de qua ciuitate loqueretur ostendens, subdit:*sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis.* Hinc iam perspicuum fit priscis illis patribus cælestem patriam creditam, & expectatam,& in spe eius labores pertulisse, & vitam transegisse.

Vita æterna sub typis nota olim. Hieronymus. Augustinus. Paulus

Profectò cùm Dauid canebat Ps.26.13. *Credo videre bona Domini in terra viuentium*; & Ps.41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*; & Ps. 85. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, &c.* & huius modi alia, mysticum etiam sensum ibi reconditum respiciebat,cælestem simul patriam desiderans. Sensus mysticus.

Secundò dicendum est, certam fuisse fidelibus illis fidem resurrectionis mortuorum:at quorsum resurrectionem credidissent, nisi ad vitam æternam ducentem? Ita asserit Augustinus loco citato contra Faustum, & Theodorus Abucara in lib.contra hæreses, Actio. 1. & constat Exodi.3. 6. *Dixit Deus, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* & Christus subsumpsit: *Non est Deus mortuorum,sed viuorum.* Math. 22. 32. Iob. 19. 25. *Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor* Augustinus. Theodorus.

bor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo. Isaiæ 26.19. *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere: quia ros lucis ros tuus.* Daniel 12.cap.1. *Et in tempore illo saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro, & multi de his, qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant semper: Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* & ver.12. *Beatus qui expectat, & peruenit vsque ad dies mille trecentos trigintaquinque. Tu autem vade ad præfinitum: & requiesces, & stabis in sorte tua in finem dierum.* & 2.Machab.7.9. dixit secundus ex septem fratribus. *Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis: sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* & quartus ver. 14. *Potius est ab hominibus morti datos spem expectare à Deo, iterum ab ipso resuscitandos: tibi enim resurrectio ad vitam non erit.* & v. 23. mater: *Sed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit origenem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges eius.* Manifesta fuit ergo, & certa in illa veteri Ecclesia fides resurrectionis, præmij quoque æterni, & supplicij. Ac iuxta hanc explicatam fidem locutus est Salomon in hoc libro Sapientiæ, quæcunque de iustorum præmio, & impiorum post mortem supplicio locutus est, vt explicabimus.

Certa de resurrectione fides fuit in lege.

Tertiò demum & hoc adiiciendum: nomen hoc regni cælorum nusquam reperiri in veteri lege, sed proprium esse noui testamenti; licèt res ipsa inueniatur, vt diximus. Hoc est, quod dixit Augustinus lib. 19. contra Faustum, cap. 31. Denique quod non temere dixerim, nescio vtrùm quisquam in illis libris inuenit nomen regni cælorum, quod tam crebrò nominat Dominus. Et inferiùs: Proinde testimoniis vitæ æternæ, & resurrectionis mortuorum abundat illa Scriptura: sed hoc nomen, id est, regnum cælorum de nullo inde loco mihi occurrit: hoc enim propriè pertinet ad reuelationem noui Testamenti: Quod ori eius etiam nominandum seruabatur, quem regem ad regendos, & sacerdotem ad sanctificandos fideles suos vniuersus ille apparatus veteris Testamenti parturiebat esse venturum. Sancti verò patres initio adducti, quatenus indicant nullam in veteri Testamento regni cælestis reipsa factam mentionem, intelligendi sunt locuti de crebra, & manifestiori regni cælestis prædicatione; quæ illi tempori seruata est, in quo per Christum fores ad patriam cælestem reseratæ sunt; quæ illuc vsque iustis omnibus veteris Testamenti occlusæ fuerunt.

Nomen regni cælorum ignotum veteri legi. Augustinus.

Christum regem lex parturiebat. Sancti qui intelligẽdi.

4. *Et si coram hominibus tormenta passi sunt.* hoc est, si in conspectu hominis crucientur, & torqueãtur, *spes illorum immortalitate plena est.* id est,

id est, spem tamen secum alunt plenam beatissimæ immortalitatis. Nam, vt dixit Paulus ad Roma. 5.3. *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* qualem habuit Iob, & fratres illi, quos paulò antè retulimus, & omnes Martyres.

In paucis vexati, in multis bene disponentur. Præpositio, *in*, superfluit more Hebræo. Paucis, inquit, castigati, aut correpti, multis ac magnis beneficiis afficiuntur, quoniam Deus probatos inuenit eos se dignos. dixit Apoc. 3. 4. Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. *Non* enim *sunt cõdignæ passiones huius temporis, quæ cum futura gloria comparentur*, vt dixit Paulus ad Roma. 8. 18. *& quod momentaneum est, & leue tribulationis nostræ supra modum æternum gloriæ pondus operatur*, vel parit nobis. 2. ad Cor. 4. 17. vt sic fideles iusti pro exiguis malis amplissima bona, & æterna gaudia adipiscantur. Profectò si vel solas Philosophorum rationes, quas ex communi sensu desumunt, penlitemus, intelligemus diem hominis cuiusque natalitium principium esse certaminum, & laborum multorum, viñ animi vincula, corpus carcerem, ac ligamentum, at mortem ab his omnibus liberationem, & è corporis custodia solutionem, & in meliorem statum mutationem. Sic enim vnus ex ipsis Themistius doctè philosophatus est. Quòd hæc vocabula, quibus hominẽ defunctum discedere, migrare, vel obiisse dicimus, nihil simpliciter graue, sed mutationem solum, & trãsitum insinuent, non est obscurum. Vbi autem ista mutatio è vita migrantibus & quorsum, & an deteriorem in statum, aut meliorem contingat, ex aliis nominibus consideremus. Primùm igitur videtur ipsum τοῦ θανάτου, id est mortis nomen hominem è vita migrantem non ad locum aliquem sub terram referre, sed extollere ἄνω εἰς θεὸν, hoc est, sursum ad diuinam sedem: sic enim probabile est, animam veluti à vinculo corporis, quod expirauit, solutam, tum demum verè respirantem, seque recreantem, Deo sociari, & ab eo pendere. Deinde morti oppositum τὴν γένεσιν, id est, generationem, contemplare quomodo contrarium quid indicat, nempe inclinationem quandã deorsum, & νεῦσιν ἐπὶ γῆν, id est, mutationem in terram, cùm rursum descendit illa pars, quæ moriente homine ascẽdit. vnde genethlium, hoc est natalitium diem vocant, ὡς ἀρχὴν γινομένην ἄθλων, id est, eo quòd principium sit certaminum, & laborum multorum. Sed potiùs ab altera parte, & manifestiùs hoc idem perspiciemus. Morientem enim solui dicunt, & mortem vocant solutionem, & corpus Græci δέμας nominant, tanquam anima ab eo hoc in loco, præter naturam δεδεμένη, id est, ligata sit. nihil enim vbi naturaliter versari solet vi aut vinculis, ibi retineri opus habet. Hinc & vocabulo à vi deducto vitam nominarunt. Græci autem βίον παρὰ τὴν βίαν. Quamobrem contrario violentiæ sensu defunctum quiescere vulgò dicunt, vt qui ab ingenti, & præter naturam necessitate

5. Iustorum præmium.

Mortis bonum.

Themistius.

Mors è vita in meliorem mutatio.

Mors sursum euehit.

Nasci homini quid afferat.

Corpus, ligamen animi.

Mors, animi solutio.

Cicero. ſitate liberatus ſit. Hactenus ille. Vnde Cicero, iuxta ſapientiorum
mentem.1.lib.Tuſcula.A malis,inquit,mors abducit, non à bonis, &
Mors quid. mots non eſt interitus omnia tollens,atque delens, ſed quædam quaſi migratio, commutatióque vitæ,quæ in claris viris, & fœminis dux
in cælum ſolet eſſe.

6. *Tanquam aurum in fornace probauit illos.* Metaphora eſt ab artificibus ſumpta,qui probant,& explorant aurum igni num purum ſit,&
Tentatio purificatio eſt. ſi quam impuritatem vilioris metalli repetiunt,purgant.Ita Deus tentationum igni purgat ſuos,vt Iob.cap.23.10. *Probauit me*, inquit *quaſi aurum,quod per ignem tranſit.*Et Angelus Tobiæ cap.12.13.dixit. *quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te.*& Dauid Pſalm. 25.
2.precabatur: *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.*& de ſuis amicis dicit Deus Zachar.13.9.*Et ducam tertiam partem per ignem,& vram eos ſicut vritur argentum,& probabo eos ſicut probatur aurum.*Denique Eccle.2.4. *In dolore ſuſtine, & in humilitate patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum, & argentum: homines verò receptibiles,vel commendabiles, in camino,ſeu fornace humiliationis.*

7. *Et quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos.*Ita legit Cyprianus in epiſtol.
Cyprianus. Lucifer. 81.& in lib.de laude Martyrij. Sed idem lib.de exhortatione Martyrum, & lib.3. Teſtimoniorum ad Quirinum cap.15.& Lucifer pro
Athanaſio legunt,*holocauſta hoſtia*; & conformiùs Græco:nam vbique
habetur, tanquam ὁλοκάρπωμα θυσίας *holocauſtum hoſtia*, vel, vt integram,ac ſolidam oblationem ſacrificij ſuſcepit eos. Eſt autem diſcrimen inter holocarpoma,& holocauſtoma,licèt vtrumque perfectam
Holocarpoma,quid. ſacrificij oblationem ſignificet; quòd holocarpoma oblatio erar, qua
frugum manipulus integer offerebatur; holocauſtoma,qua pecudes,
Holocauſtoma, quid. aut beſtiæ igne conſumebantur: nam id eſt totum combuſtum, vt
aiunt Hierony.in 57.cap.Iſaiæ, & Auguſtinus q.53.in lib.Iudicum, &
Hieronymus. B.Gregor.homil.21.in Ezechiel. pulchrè deſcribit eos, qui ſe totos,
perinde atque holocauſtum, Domino immolant. Deus ergo excepit
Gregorius. iuſtos tanquam frugum maturarum integram oblationem. Themi-
Themiſtius. ſtius apud Stobæum ſermo.120. mortis affectũ ſubire ſimile eſſe dixſt
Mors initiatio. initiationi in magnis aliquibus ſacris. Quocirca vt ipſa vocabula, ſic
etiam res inter ſe conſimiles ſunt τελευτᾷν enim mori eſt,τελεταὶ ſacra,
τελεῖσθαι initiari. Primùm errores vitam occupant, & diſcurſus fatigantes,ac veluti per tenebras itinera ſuſpecta,& inutilia fiunt.Deinde
finem vitæ nihil non graue ſuperuenit, horror,tremor, ſudor, ac ſtupor.Poſt mortem verò mirabilis quædam lux occurrit, aut loci puri,
& amœnà prata defunctos excipiunt,in quibus voces, choreæ,& venerabiles de rebus ſacris narrationes reſonant. Illic homo iam perfectus initiatus ſui iuris factus, & liber, coronatus obambulans ſacra
celebrat:& conuerſatur viris ſanctis,puriſque,prophanam in terra, &
impuram turbam inſpiciens,quæ in cœno,& caligine à ſeipſa conculcatur,

catur,& compellitur.Itaque iustos suos,se ipsos tanquam holocausta, vti sacerdotes sacrificantes, Deus in suo templo excipit. Vti sacerdotes excipit iustos Deus.

Et in tempore erit respectus illorum: Respectus,seu inspectio,hoc est, visitatio eorum vt cap.2.ver.20.&hoc cap.ver.13. *Habebit fructum in respectione animarum sanctarum*. Cum vulgato legunt Cyprianus in epistol.81.& in lib.de exhortatione Martyrum,& lib.3. Testimoniorum ad Quirinum,cap.15.& Lucifer. Sed omnes Græci codices ita legunt,ac distinguunt,*Et in tempore respectus seu visitationis suæ refulgebunt*.Coniunctio verò,& cùm apud Hebræos habeat quandoque inferendi vim,hoc loco Interpretes aliqui vertunt,*Itaque tempore visitationis suæ splendescent*.Atque iuxta Græcam lectionem præter recentiores alios,Complutensis,Regius,& Vaticanus codices legunt, eique lectioni potest vulgatus accommodari,si suppleatur relatiuum, *quo*: vt non semel suppleri aliàs solet in Scriptura, *Et in tempore*, quo *erit respectus eorum ,fulgebunt iusti* : hoc est, quando tempus visitationis ipsorum aduenerit, quo sunt diiudicandi, fulgebunt iusti, vt dixit Christus Matth.13.43. *Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum*. 8. Cyprianus. Lucifer. In die iudicij iusti fulgebunt.

Fulgebunt iusti. Diximus verbum , *fulgebunt*, ad præcedentem sententiam pertinere, & nomen *iusti* non esse in Græco, sed è proximo ab Interprete cum ratione adiectum.Cyprianus tamen in episto.81.& Gregor.lib.33.Moral.cap.3.legunt vt habet vulgatus.Quanuis in lib. de laude Martyrij, Cyprianus cap.5.nonnihil variet,ait enim : *Fulgebunt iusti tanquam scintillæ in arundineto discurrentes*. Cyprianus. Gregorius.

9. *Et tanquam scintillæ in arundineto discurrent*. ἐν καλάμῃ, *in stipula discurrent*. emicabunt propter gloriæ splendorem , & propter agilitatis dotem discurrent , non secus ac scintillæ emicant ex stipula sicca , & ex arundineto arido. Stipula enim materia igni apta , facilè ardet, & scintillas ex se emittit , ac vnà cum illis euolat, vt dixit 1. Georg. Virgilius. Virgilius. Ouidius.

Culmumq; leuem, stipulasq; volantes. & Ouidius.4.Fastorum,
Móxque per ardentes stipulæ crepitantis aceruos
Trajiciat celeri strenua membra pede.

Quemadmodum ergo stipula ab igni prehensa, vel ignis in stipula arida prehensus , in scintillas abiens summa celeritate euolat & emicat in omnem partem : ita corpora iustorum fulgida,vti quædam fulgetra,huc illucque pro suo arbitrio , summa celeritate discurrent,ac veluti scintillæ emicabunt, & volabunt. è quatuor dotibus, quibus Beatorum corpora donabuntur post resurrectionem , duæ claritatis, & agilitatis,huius sententiæ auctoritate cōprobantur,satis perspicuè. Corpus resurgentium emicabit vt scintilla. Dotes claritatis, & agilitatis.

10. *Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis*.Iudicare alium dupliciter vsurpatur in scriptura sacra; ac primùm, & proprissimè, pro exercere iudicium absoluendo & damnando ex potestate , & auctoritate iudiciaria , quemadmodum Christus constitutus est Iudex viuorum, Iudicare ex potestate.

Auguſtinus. Gregorius. & mortuorum. Et hoc modo Auguſtinus in Pſalm. 49. & lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 5. & Gregorius lib. 10. Moral. cap. 30. & Theologi communiter ſedes iudiciarias conſtituunt cum Chriſto, Apoſtolis, & viris Apoſtolicis; qua ratione ſi omnes iuſtos intelligeremus iudicaturos gentes, & populos: omnes iuſti eſſent Iudices, & nihil peculiare tribueretur Apoſtolis, viriſque Apoſtolicis: & impij & infideles tantùm eſſent iudicandi, cùm *qui non credit iam iudicatus eſt*; & ipſi iuſti non iudicarentur: ſi ergo iudiciaria poteſtas tam in condemnando, quàm in abſoluendo perficitur, & ſolus Chriſtus condemnabit, cùm dicet: *Diſcedite à me maledicti in ignem aeternum*; & ſolus ipſe abſoluet, cùm iuſtis dicet; *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*; ſolus ergo ipſe tanquam Iudex ex auctoritate ſedens iudicabit. *Cui Pater omne iudicium dedit, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem*, Ioan. 5. 23. Atque ita accipit Chryſoſtomus homil. 48. & 49. in Ioannem, & eius ſectatores. Cùm ergo iuſti nullam habituri ſint poteſtatem abſoluendi, ne ſeipſos dicamus abſoluturos, cuius abſolutionis gentes impiæ non erunt capaces, nullam quoque habebunt condemnandi, ſicut nec cognoſcendi, aut inquirendi gentium mores, & vitam; quod eiuſdem poteſtatis eſt.

Solus Chriſtus ex auctoritate Iudex.

Chryſoſtomus.

Iudicare, pro redarguere.

Altero modo accipitur impropriè iudicare, pro redarguere alterum, aut verbo, aut potiùs exemplo: nam iuſtus redarguendo verbo vitam impij, illam damnat, & ſuo exemplo, etiam lingua tacente, veriùs redarguit, & condemnat, dum ſuis moribus collatis cum moribus impij, omnes impium reprehendunt, & damnant, dignumque iudicant ſupplicio. Hac ratione dicebant impij ſuprà cap. 2. 12. *Circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis. Factus eſt nobis in traductionem, ſeu redargutionem cogitationum noſtrarum. Grauis eſt etiam nobis ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius.* & cap. 4. 16. dicitur: *Iudicat, ſeu condemnat autem iuſtus mortuus viuos impios: & iuuentus celeriùs conſummata longam vitam iniuſti.* Chriſtus quoque dixit Ioan. 12. 48. *Sermo, quem locutus ſum, ille iudicabit vos in nouiſſimo die* & Lucæ 11. 19. *Si ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? ideo Iudices veſtri erunt.* & ver. 31. *Regina Auſtri ſurget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos, quia venit a finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce pluſquàm Salomon hic: viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ, & ecce plus quàm Ionas hic.* Hac ratione multi ex Patribus acceperunt iudicium Sanctorum, vt Hieronym. in 50. Iſaiæ. Iudicat, inquit, quis cum Domino, non auctoritate regnantis, ſed comparatione virtutum, quomodo & Apoſtoli iudicant duodecim tribus Iſraël, & Niniuitæ, & Regina Saba populum Iudæorum. Atque hoc modo iuſti in die iudicij iudicabunt gentes, ſua virtute, & conſtantia,

Sic iuſti impios iudicant.

Iudicium Sanctorum redarguendo fiet.

constantia, quòd vt illi noluerunt sectari iustitiam, per quam consequerentur beatam felicitatem, & imperium in populos, tanquam Reges.

Et Regnabit Dominus illorum in perpetuum. Genitiuus, illorum, non regitur à *Dominus*, sed à verbo *regnabit*; quomodo legit Cyprianus in epist. 81. *Et regnabit eorum Dominus in perpetuum.* & Græco more dixit, *regnabit eorum*, pro *regnabit super eos*, vel *in eis Dominus*, pro, *Dominus rex eorum erit in perpetuum*, cùm Deus erit omnia in omnibus. Quod auget cumulum felicitatis talem sortiri Regem in perpetuum; cùm in hac vita multi domini nobis dominentur: nempe illum in eos sempiternum habere imperium, qui eos diligit, *& quicquid voluit fecit in cælo, & in terra, & in omnibus abyssis.* Psal 134.6. *Vnde regnum & potestas dabitur populo Sanctorum altissimi.* Daniel. 7. 27. 11. Cyprianus.

Versus præcedentes, ita vt diximus, intelligunt communiter Interpretes, cum Clem. Alex. lib. 4. Stromatum cap. 6. Cypriano epistol. 81. & lib. de exhortatione Martyrum, cap. 12. & auctore epistolæ. 7. de viro perfecto apud Hieronymum, tom. 9. & aliis. Verùm si alios Patres consulamus, inueniemus de his tantùm, quæ in hac vita iustis accidunt bona, exponere veriùs. Certè Athanasius lib. de fuga sua, locum hunc interpretatur de iustis persecutiones fugientibus. Gregorius quoque lib. 33. Moral. cap. 3. Per calamum, inquit, vel arundinem nitor gloriæ temporalis exprimitur, sicut de iustis per Sapientiam dicitur: *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Arundinetum namque vitam sæcularium appellat, qui more arundinum per temporalem gloriam foris, quasi ad alta proficiunt, sed intus à soliditate veritatis inanescunt. Erit ergo sensus, quoniam dixerat, non eo ipso, quo corpora cruciantur, & in cruciatibus ipsis deficiunt, animos iustorum interire, quos nullus cruciatus potest attingere, nec à sua iustitia, & virtute dimouere, iuxta illud Pauli ad Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, &c.* id modò alio sermone declarat. In tempore, quo erit respectus, seu visitatio eorum, hoc est, cùm tribulatione probabuntur, vt aurum in igne, fulgebunt clariores euadentes, vt aurum ex igne, erutum refulget: nam virtus eorum, summaque constantia elucescit, & celebris, & admirabilis omnibus fit. Et sicut scintillæ prehendunt paleas, & facilè discurrunt inter arundines, ita illi inter improbos leues, & inconstantes attollunt caput, & tangunt inuidia sui excellentia eorum, & silentium iniiciunt illis: sic condemnabunt sua virtute infirmitatem nationum, & sua constantia leuitatem cruciantium eos; & efferent caput super omnes populos, quantùm effert ciuitas supra montem posita, & lucerna super candelabrum collocata. Erunt igitur Reges populorum, & Dominus Rex illorum erit. Hunc sensum verum esse experimento comprobat subiectis illis verbis: *Nam qui fiduciam habent in illum, intelligent,*

Clemens Alex. Cyprianus. Sensus alius. Athanasius. Gregorius. Sensus. Iusti constantia.

experienturque hanc, quam diximus, veritatem.

Qui confidunt in illo, intelligent veritatem, hanc videlicet, de qua locuti sumus contra impiorum opinionem. Nam qui fiduciam habent in Domino, eum tanquam verum Deum habentes, & colentes, experientur quàm verum sit se Deo curæ esse, & quamcunque afflictionem non hominem interimere, sed in æternitatem conseruare ingenti præmio remunerandam, præter illud, quo afficiuntur iusti in hac vita. De hac ergo veritate loquitur, de qua est sermo in præsenti, ex fiducia in cruciatibus toleratis profecta, non de veritate fidei in vniuersum: nam quorsum de hac sermo nunc institueretur?

Veritas, quòd Deo curæ sit iustus.

Et fideles in dilectione, fideles amici, acquiescent illi. vel permanebunt in eo, non deficient, aut retrocedent dum cruciantur, vel affliguntur, sed continuò adhærebunt illi, & constanter perseuerabunt, totique pendebunt ex illo. Vnde vnus ex illis dicebat ad Roma. 8. 35. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, &c.*

13. *Quoniam donum, & pax est electis eius.* Duas sententias in Græco distinctas sub vna vulgatus comprehendit, Vna est, *Quoniam gratia, & misericordia in Sanctis eius*; altera, & *visitatio in electis eius*; quæ repetuntur cap. sequenti versu 15. ex quibus vulgatus prætermissis illis [*in Sanctis eius, & visitatio*] reliqua sub vna coniunxit serie; & cum vulgato legit Augustinus in Speculo, & codex Vaticanus: verùm in omnibus aliis codicibus Græcis, & Interpretibus legimus hæc verba integra, *quoniam χάρις καὶ ἔλεος, gratia, & misericordia, in Sanctis eius.* Reddit rationem constantiæ iustorum fidelium in cruciatibus, quòd scilicet gratia, & misericordia Dei præmuniti Sancti non infirmabuntur, neque deficient in cruciatibus. *Et inspectio seu visitatio in electis eius*; vbi visitatio in bonam partem accipitur pro misericordi Dei inspectione, & cura eorum, quos elegit: quasi dicat, & rationem electorum suorum habebit; eo scilicet modo, quem tradit Paulus ad Roma. 8. 29. *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem & iustificauit hos & glorificauit. quid ergo dicemus ad hæc si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Augustinus.

14. *Impij autem secundùm quæ cogitauerunt correptionem habebunt.* Pœnam, vel mulctam habebunt. hoc est, At impiis non accidet vt iustis, sed iuxta sua praua consilia, & cogitata, quæ suprà retulimus, dabunt pœnas suis improbis dignas cogitationibus: vel iuxta id quod conscientia stimulante verebantur *Nam timor quem timebant eueniet eis.*

Qui neglexerunt iustum, & à Domino recesserunt. Iustum substantiuè accipit, quod iustum est, seu iustitiam, vnde explicandi gratia subiicitur, *& à Domino recesserunt*, vt ferè omnes interpretantur. Possumus & iustum quemque intelligere in vniuersum, in quem impij præcedenti

cedenti capite tanta violentia insurrexerunt, quòd velit Deus ostendere curam, quam habet eripiendi suos è manibus impiorum, & iniurias eis illatas vlciscendi.

Sapientiam enim, & disciplinam qui abiicit, infelix est. Huc vsque Sapientiæ commoda, eiúsque erga suos discipulos iustos curam, & patrociniū, aut Dei potiùs Sapientiæ auctoris enumerauit, nunc incipit recensere mala, quæ accidunt iis, qui eam negligunt, ab eiúsque disciplina recedunt. Felix, ait, iustus, Sapientiæ obediens discipulus; at impius, qui Sapientiam negligit, & eius disciplinam abiicit, miser est, & infelicissimus tam in vita hac, quàm in futura. Sapientiam videlicet, ad quam amplectendam hortatur Salomon in hoc libro, quæ est veri Dei cognitio cum pietate, & vero cultu coniuncta. Disciplina autem est eruditio, seu vitæ institutio ad Dei cognitionem cum virtute comparandam inducens, quam Philosophiam vocant prophani, sicut Sapientiæ discipulum Philosophum. Est autem duplex disciplina, altera est eruditionis, & ingenij, quales sūt artes liberales, quæ in prophanis literis celebrantur, altera est institutio vitæ, & morum, quæ exercitatione virtutum, & Dei per res aduersas probatione comparatur, vnde Augustinus in ver. 66. Psalmi 118. *bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me*, nomine disciplinæ ait, in Scripturis intelligi per molestias eruditionem, secundùm illud Prou. 31. 11. *Disciplinam Domini fili mi ne abiicias: nec deficias cùm ab eo corripieris. quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* Et Theodoretus ibi, Disciplina, inquit, est, cùm à Deo castigamur, & rebus aduersis erudimur, quod multis Scripturæ testimoniis posset confirmari, sed sat sit illud Pauli ad Hebræ. 12. 5. *Fili mi noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Deus castigat: flagellat autē omnem filium, quem recipit. quis enim filius, quem non corripit pater: Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mæroris: postea autem fructum pacatissimum, exercitatis per eam reddet iustitiæ.* Huc vsque Paulus. De vtraque autem Sapientia, & disciplina ita egregiè Leo sermo. 7. de Epiphania. Tota Sapientiæ, ait, Christianæ disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, nec in appetitu laudis, & gloriæ, sed in vera, & voluntaria humilitate consistit.

15. Disciplini negligentis incommoda.

Sapientia quid. Disciplina quid.

Disciplina duplex.

Augustinus.

Theodoretus.

Leo. Disciplina Christiana, humilitas.

Et vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum. Miseria, & infelicitas impiorum, qui Sapientiam contemnunt, & abiiciunt disciplinam, in eo ostenditur, quòd spes illorum vana est, quia nullam mercedem accipient: vel spem sumit pro re sperata: nullum enim habent præmium, quod sperent, cùm præmium virtuti debeatur, at illi negligunt iustitiam, & disciplinam virtutis abiiciunt. Vnde addit, labores eorum infructuosos esse, futiles, nullo pretio, aut præmio dignos, & opera inutilia. Concedit quidem labores impiorum, quos certè quidem grauissimos perferunt, at non sunt similes iusto-rum

Labores impiorum ac piorum quì differāt.

rum laboribus fructuosis,& æternum gloriæ pondus operantibus in eis:& propterea multò sint leuiores,etiamsi aliàs impiorum superent cruciatus,& ærumnas.

16. *Mulieres eorum insensatæ sunt, & nequissimi filij eorum.* Vxores communiter intelligunt Interpretes, quæ secutæ virorum mores impiorum,insipientes fiunt, sicut sunt viri insipientes, & stulti:si enim Sapientiam non sectentur,necesse est,vt vxores , & filij ab insipientibus gubernati insipientes quoque euadant. Quòd autem de vxoribus loquatur,inde probatur,quòd si de pellicibus,aut de adulteris vxoribus loqueretur,non dixisset mulieres eorum , cùm alienæ essent, non eorum;nec eorum filios,quos ex aliena genuissent. Sed de adulteris sermonem esse videtur Iansenio, & ex iis,quæ in sequentibus dicuntur, probatur. Vult ergo ostendere hac pœna solere à Deo impios mulctari in hoc mundo,vt vxores eorum permittantur ad eam stultitiam peruenire,vt extraneos admittant,& filios non suos suo annumerent viro;ac proinde ait,stultas esse impiorum vxores,& malas proles eorum, vel nequam filios eorum. Constat hic sensus ex antithesi versuum sequentium. Ex hoc loco hoc colligitur propter fidem non seruatam Deo,& cultum ei non præstitum, & propter neglectam Sapientiam, ab vxoribus non seruari fidem viris, nec à filiis honorem. Quod indicat Paulus ad Roma.1.21.*cùm cognouissent Deum,non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Propterea tradidit eos Deus in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum in eum, qui est contra naturam.*

Vxores insipientum insipientes.

Mulieres pro adulteris.

Infidelis Deo, & homini infidelis.

17. *Maledicta creatura eorum.* Progenies,seu generatio eorum, aut posteritas execrabilis,vtpote ex adulterio habita.

Quoniam felix est sterilis,& incoinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto: ὅτι, sicut כי Hebræum, & Latinum *quoniam*, sæpe superfluit, aut causa affirmandi ponitur,pro *Sanè*,aut *etenim*,beata,seu felix incoinquinata, quæ non nouit thorum in delicto.Ita absque coniunctione legunt Græci codices omnes,& Hierony.in cap.56.Isaiæ,vbi sic transfert:Beata sterilis immaculata, quæ non cognouit stratum in delicto. Augustinus tamē in Speculo legit cum cōiunctione, vt vulgatus;& est sensus per antithesim. Infelix illa vxor,quæ quòd non generet ex viro suo,& ipsa flagitium committit maculando thorum viri sui, & filios generat execrandos.Sanè multò felicior est infœcunda,quę contenta orbitate filiorum , non est passa maculare , aut coinquinare lectum suum delicto;nempe,quæ non cognouit thorum, seu lectum in delicto,pro non cognouit delictum in thoro, per hysteron proteron, hoc est,concubitum flagitiosum:Deum enim prætulit filiis.

Hieronymus.

Augustinus.

Hysterologia.

Habebit fructum in respectione animarum sanctarum. Pro in visitatione,inspectione,vel in remuneratione animarum;cùm Deus causam animarum cognoscet, earúmque rationem habebit , vt remuneret Sanctas;

Sanctitatis, tunc enim præmio suo non priuabitur. Sanctarum, non est in Græco, nec in Hieronymo Isa. 56. nec in Augustino in Speculo. Addidit tamen vulgatus ad contrahendum nomen respectionis, vt significet remunerationem sanctitatis.

Hieronymus. Augustinus.

18. *Et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem: nec cogitauit aduersus Deum nequissima.* Ita quoque legit Augustinus in Speculo. At Hierony. in 56. Isa. vt habetur in Græco: *Et eunuchus, qui non est operatus manu iniquitatem;* ἀνόμημα scelus improbè, ac malitiosè contra legem commissum. Nec cogitauit aduersus Dominum nequissima, Græcè mala. Nomine spadonis aut eunuchi intelligit orbum liberis, vt seruetur antithesis ad impium liberis auctum, de quo mox. & est sensus. Est quoque beatus, ac felix vir liberis orbus, qui nec opere, nec cogitatu in Deum peccauit, contra fidem matrimonij, qui se ab opere nefario, & impia cogitatione contra Deum abstinet.

Augustinus. Hieronymus. Spado, orbus liberis.

Dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima. Græcè dicitur, *Dabitur enim ei fidei gratia electa, & sors in templo Domini acceptior, iocundior, vel gratior.* Quomodo legit quoque Hieronymus in 56. Isaiæ Dabitur, inquit, fidei eius electa gratia, & pars in templo Domini delectabilis. Ait ergo, quòd eiusmodi homo ea fuerit in Dominum fide, vel tam fuerit fidelis, vt liberis carere maluerit, quàm illos habere cum offensa Dei, ex adulterio generando, idcirco hoc præmio afficietur, vt eius tam insigni fidei, seu fidelitati adsignetur electum quoddam, & exquisitum gratiæ donum, vt scilicet insignis eius fides coronetur insigni, & exquisita gratia Dei: quænam verò hæc gratia sit, sequenti hemistichio explicatur.

Hieronymus.

19. *Et sors in templo Dei acceptissima.* seu in templo Domini iocunda, pergrata, aut delectabilis. Quod vt explicemus, aduertendum est triplex esse genus eunuchorum, vt dixit Christus Matth. 19. 12. *Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt. & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus & sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum.* Et primùm duplex genus eunuchorum, qui propriè eunuchi dicuntur, repellitur ab Ecclesia Dei Deutero. 23. cùm dicitur: *Non intrabit eunuchus attritis, vel amputatis testiculis, & abscisso veretro Ecclesiam Dei.* Quòd si ad Ecclesiam non admittebatur, multò minùs ad templum admitteretur. De his ergo eunuchis non loquitur in hoc loco Sapiens, cùm nulla esset illis sors in templo Dei. Vel ergo loquitur de sterilibus, & infœcundis, vel de his, qui se castrauerunt propter regnum cælorum, qui metaphoricè dicuntur eunuchi. Hieronymus in 56. caput Isaiæ hunc locum intelligit de eunuchis Euangelicis, qui se castrauerunt propter regnum cælorum, quibus iocundissima sors est designata in Ecclesia Christiana, quæ est templum Domini, vt dixit quoque Isaias illo cap. versi. 3. *Et non dicat eunuchus, ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus eunuchis, qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum. Dabo eis in domo mea,*

Eunuchorum genus triplex. Verus eunuchus nō fuit admissus in Ecclesiam. De eunuchis Euangelicis. Hieronymus.

& in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. At ex contextu huius capitis constat Sapientem loqui de viro coniugato, sed orbo liberis, propter vxoris fortasse sterilitatem; qui ita fidelis est legi Dei, vt superet filiorum cupidinem, quæ adeò populum illum occupabat, vt multi non vererentur ex alienis vxoribus filios sibi procreare contra Dei præceptum. Ille ergo eunuchi nomine hîc commendatur, qui ita adhærebat diuino præcepto, vt ne illud transgrederetur, sua fidelitate vinceret amorem filiorum, & opprobrium, quod sterilibus eo tempore oriebatur. Nam id ostendit, quod dicit, *Felix sterilis immaculata, quæ nesciuit thorum in delicto, & felix eunuchus, qui non est operatus iniquitatem.* At infelices impij, qui ex adulterio filios procreant: nam eiusmodi filij prophani erũt, & delebuntur tanquam ex iniquo thoro nati, de eiusmodi ergo eunuchis loquitur. Quibus quæ gratia electa promittatur, & quæ sors gratissima in templo Domini, videndum est.

Eunuchus dicitur castus coniugatus.

Eunuchis quæ sors promittatur.

Sensus primus in eunuchis Euãgelicis.

Videri posset alicui promissum hoc in Ecclesia Christi impletum, in his, qui ex religione, & instituto coniugalem amplexi sunt castitatem: nam hi, etiam si steriles sint, & liberos non generent, ex fide seruata diuino præcepto, malunt carere liberis, quàm eos ex delicto habere; dicitur autem sors hæc in templo Domini, quia ad cultum Domini pertinet. Quemadmodum promissum Isaiæ cap. 56. quod daturus sit eunuchis nomen, & locum insignem in domo Domini, impletum est in viris Deo dicatis, & tribus votis illi deuinctis. Sed quid quòd promissum etiam sit reliquis coniugatis æquè ferentibus filiorum orbitatẽ, ne Diuinũ præceptum transgrederẽtur? & sors danda dicitur in tẽplo illo Ierosolymitano ab ipso Salomone ædificato.

Refutatio.

Sensus secundus.

Sors pro patrocinio Dei.

Alij existimant ex bonis, quæ Deus in templo suo precantibus communicabat, illorum eunuchorum potiorem partem fuisse: nam vt magis familiaribus præclarior, ac iucundior obtingebat sors, ita peculiaris cura, & singulare Dei patrocinium hoc loco illis promittitur.

Sensus tertius & verus, pro ministerio templi.

Nec habitæ sortem habebant in templo.

Verùm ex antithesi subiecta videtur sermo esse de sorte aliqua illis eunuchis designanda in templo Domini, ad quam initiabantur, etiam si non essent ex tribu Leui: erãt enim multa in templo ministeria, præter Leuitica, ad quæ etiam ex alijs tribubus admittebantur initiati; quemadmodum ex simili promissione Nec habitas admissos fuisse, diximus in commentarijs Prophetiarum Ieremiæ cap. 35. & hunc esse verum sensum constat ex illis huius capitis verbis: *Filij autem adulterorum in inconsummatione erunt,* quod alij explicant ininitiati erunt, vel à sacris arcebuntur. Ostendit ergo hæc antithesis eunuchos priores admittendos ad sacra, & initiandos; de quo eo versu dicemus. Sed & ex sequenti versu alium sensum eliciemus non absonum.

20. *Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ.* Vel, & indecidua radix sapientiæ, aut non excidit radix Sapientiæ; vt sit sensus: Bonis piorum laboribus gloriosus fructus sperandus

randus natus ex Sapientiæ radice, quæ nunquam deperit, decidit, aut emarcescit: nam sapientia firma, & stabilis, quæ firma est infixa radice, quæ scilicet animo infixa est, non deperit, sed ramos profert, flores, & fructus, tam profunda radice dignos. Sapientia ergo tanquam radix viuida, non emarcescens adeò felix est, vt nunquam pereat, quin fructus ferat gloriosos. Ex quo loco videtur sensus præcedentium verborum explicari; quòd egregij præmij nomine filius promittatur viro orbo liberis, qui quò fidelitatem seruaret in Deum, & pactum legis Dei non transgrederetur, noluit filios quærere ex adulterio. Ideo eius fidelitati dabitur electa quædam, & insignis gratia, nempe gratissima sors in templo Domini, vt scilicet habeat filium, quem Deo offerat. quemadmodum mater Samson sterilis habuit Iudic. 13. 3. & Anna Samuelem 1. Reg. 1. & Elizabeth Ioannem Lucæ 1. Nam qui bene laborauit suæ cupiditati repugnando, meretur habere fructum, id est, filium gloriosum à Deo datum, ne radix Sapientiæ, aut ne radix sapiens, hoc est, ne pater sapiens pereat, & emarcescat, fructu Sapientiæ eius debito priuatus. Probat hunc sensum aduersatiua particula sequentis versus, *autem, Filij autem adulterorum in inconsummatione erunt*: quasi dixisset sapientis viri gloriosus est fructus à Deo filius datus, at filij adulterorum inglorij erunt. Deinde quia non est infrequens in Scriptura metaphora sumpta ab arbore, ad significandam prolis propagationem, id constat primùm ex sequenti cap. v. 3. *Multigena impiorum multitudo non erit vtilis, & spuria vitulamina non dabunt radices altas: etsi in ramis in tempore germinauerint, à nimietate ventorum eradicabuntur. Ecclesiastici 23. 34. Hæc in Ecclesiam adducetur, & in filios eius respicietur. Non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fructum.* Vnde arbori comparatur vir Isa. 56. *Ecce ego lignum aridum*: & radici pater, & ramis & fructibus filij, ad Roman. 11. 16. *Si radix sancta; & rami, & fructus ventris* vocatur filius, Gen. 30. 2. Deutero. 7. 13. 28. 4. 11. & sæpe aliàs. & Psalm. 126. 3. *Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini filij, merces, fructus ventris.*

Sensus verus priorũ verborum.

Sors filius.

Fructus, est filius. Radix, pater.

Ab arbore metaphora propagationis filiorum.

Filij autem adulterorum in inconsummatione erunt. ἀτέλεστα, inconsummata, vel imperfecta erit proles adulterorum, aut filij adulterorum inconsummati aut imperfecti erunt. Verbum τελεῖν, vnde nomen illud est deductum, duas habet præcipuas significationes: nam & consummare significat, seu perficere, & sacris initiari. Sic Oseæ 4. 14. *Cùm initiatis sacrificabant*, vbi vulgatus legit, *cum effœminatis*. In priori significatu accepit vulgatus, & Vaticanus interpres, & alij ex recentioribus, vt Pagninus. Ad hunc sensum. Sapiens eunuchus non priuabitur fructu glorioso; cùm sapientia in ipso radicata hoc insigni præmio digna sit: At adulteri filios habebunt inconsummatos, & imperfectos, qui neque ant perfici, vt tanquam execrabiles ex iniquo orti concubitu, repellendi sint, ne sors illis in templo Domini vlla contingat. Hoc voluit significare vulgatus, cùm vertit, *in inconsummatio-* 21.

Τελεῖν duo significat.

Prior sensus, pro nõ perfici, non maturari, accipit.

ne erunt, pro in imperfectione: nam cap. sequenti versu 5. idem nomen vertit *inconsummati*, cùm ait, *confringentur enim rami inconsummati.* filij ergo, qui nunquam ad maturitatem perueniunt, quam tribuit prudentia, seu sapientia, dicuntur suum finem non assequi, & non consummari, nec perfici: sed potiùs præripi, vt filium Dauidis ex Bersabea habitum, & filium Augustini, & similes. In posteriori significato initiandi acceperunt nomen illud interpretes Complurenses, Vatablus, & Robertus, cum α priuatiua præfixa, filij autem adulterorum ininitiati erunt, aut non erunt initiari, vel à sacris arcebuntur, & est sensus: vit orbus filiis, quòd se ab adulterio continuerit Deo confidens, habebit suæ fidelitatis gloriosum fructum, Dei munere electum, & cui sors contingat pergrata in templo Domini. At adulteri, filios licèt habeant ex flagitio ortos, illi tamen ininitiati erunt, nunquam initiabuntur tanquam indigni sacrorum religione, imò tanquam prophani, cùm prodierint ex iniquo thoro, à sacris arcebuntur, vel exterminabūtur, diceturque illis procul hinc, procul esse prophani: nam erant irregulares. Initiatos autem vocant, non eos tantùm, qui templi ministeriis sacro ritu dicabantur, ex tribu Leui, cùm Sapiens hîc loquatur de filio ex patre sapiente cuiuscumque tribus exorto & de filiis quorumcunque adulterorum: sed eos omnes qui ad mysteria, aut sacra admittebātur, vt qui apud Gentiles initiabantur Eleusiniis ad celebranda Eleusinia, & omnes qui aderāt sacris Cereris, initiabantur: denique quicumque ritu aliquo deputabantur, aut parabantur vt adessent sacris, eáque participarent, vt modò Christiani omnes baptizati, initiati meritò dicuntur, quia Baptismi susceptione fiunt idonei ad cetera sacramenta suscipienda, & vt possint sacris adesse mysteriis. At contrà ininitiati, prophani erant, vt filij adulterorum à sacris arcebantur tanquam prophani. Sensus bonus est, & non alienus à lectione vulgati: nam qui erant inconsummati, & imperfecti, non venerant ad eam perfectionem, vt idonei essent, qui mysteriis initiarētur, vt adessent sacris, quare vt imperfecti, & prophani à sacris repellebantur. Hanc imperfectionem quidam ad mores referunt, quòd nothorum filiorum educationem plerunque parentes negligant. Vnde Paulus cap. 12. Epistolæ ad Hebræos: *si extra disciplinam estis, ergo adulteri estis, & non filij.* Sed veriùs referimus ad legem, qua cauetur Deuteron. 23. 2. *Non ingredietur manzer, hoc est, de scorto natus in Ecclesiam Domini vsque ad decimam generationem.* Quam legem notauit Philo in lib. de confusione linguarum, cùm dixit, Nati è scorto à diuina cōcione arcētur, lege dicente, Non intrabit natus è meretrice in Ecclesiā Domini. Atque hac sorte priuātur nothi filij, sicut legitimi ea potiūtur. Vnde subditur. *Et ab iniquo thoro semen exterminabitur*, hoc est, ex illegitimo cōcubitu natus abolebitur ex Ecclesia Domini, ad quam admitti non potest, vsque ad decimam generationem.

22. *Et siquidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur.* De filiis adulte

Posterior sensus pro initiari.

Impius filius à sacris arcebitur.

De initiatis ad sacra.

Baptizati initiati sūt.

Filij adulterini à sacris arcebātur.

Imperfecti moribus.

Vetus sensus.

Nothi arcebantur ab Ecclesia.

Philo.

adulterorum loquitur, qui etiamsi diutissimè vixerint, in nihilum computabuntur, vel nullo in pretio erunt. Hierony. in cap. Oseæ sic legit, cùm longi fuerint temporis reputabuntur in nihilum: & ignobilis in nouissimis erit senectus eorum: *& sine honore erit nouissima senectus illorum*; hoc est & extrema senectus eorum inhonorata erit. Hoc dicit, quia patrum suorum imitatores, pietati non vacabunt, cuius est comes honos, ideò quò longior fuerit eorum vita, qui gloria virtutis fuerint destituti, eò erit miserior, & turpior. Sed verior ratio sumitur ex lege, quia enim filij adulterorum ad sacram concionem ex lege Deutero. 23. non admittebãtur, imò tanquam prophani, & excommunicati repellebantur à commercio aliorum, quò diuturniùs vixerint, grauius ferent opprobrium, & senectus ipsa, quæ per se ipsa venerabilis est, & honore digna, probro illo affecta, despicietur, & inglcria erit, & sine honore.

Hieronymus. Longior vita impij turpior. Ex lege inhonorata vita nothi.

Etsi celeriùs defuncti fuerint, non habebunt spem, salutem à iustis speratam non obtinebunt: non habebunt bona, quibus innitantur, vt possint sperare remunerationem. Nam locutus est Sapiens de his, qui Sapientiam contemnunt, & abiiciunt disciplinam: quorum recensuit pœnas, & opprobria. 23.

Pœna abiicientiũ sapientiam.

Nec in die agnitionis allocutionem. In die agnitionis, diiudicationis, aut discretionis, vel examinis; est enim διάγνωσις iudicium, quo ratio habetur bonorum, & malorum: aut quo cognoscitur causa, & fit animaduersio, à verbo διαγινώσκειν, quod est, pro potestate, arbitrioque statuere, decernere, atque in re controuersa diiudicare, quod est munus Iudicis. Allocutionem, παραμύθιον, solatium, seu consolationem vocat: nam ita solet vulgatus transferre nomen hoc cum eius verbo, quod consolationem afferre verbo adhortationis, vel suasionis significat; vt apud Oseam cap. 2. 14. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* & Isa. 40. 2. *Loquimini ad cor Ierusalem.* Quin & apud prophanos frequens est alloquij vsurpatio pro doloris leuamine. Et est sensus: Non habebunt in die iudicij vllum consolatorem, qui eos verbis consolatoriis alloquatur; nec ipsi habebunt pium aliquod opus, quo se consolentur. Communis expositio sic habet: Deficiet illis excusatio, aut defensio: nullus enim erit, qui pro eis loquatur, ne ipsi quidem pro se; verùm nulla fulti ratione, quam proferant, obmutescent.

Iudicij dies. Allocutio à solatoria. Nullum in iudicio leuamen.

Nationis enim impiæ diræ sunt consummationes, vel, generationis enim iniquæ diri sunt exitus, diri fines, diræ consummationes; siquidem *via impiorum complanata lapidibus, & in fine eorum inferi, tenebræ, & pœnæ.* Eccle. 21. 11. Concludit Salomon diro exitu acta improba impiorum filiorum, qui ex adulterio sunt geniti: habent enim diros fines, insipidos, ingratos, acidos, vt de pomis, aut malis dicere solemus, quòd desonant in gustum insipidum, vel in fine sint gustus insipidi, & acerbi. 24.

Dirus finis impiorum.

SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT IV.

VETVS.

1. *O Quàm pulchra est casta generatio cum claritate*: 2. *immortalis est enim memoria illius; quoniam & apud Deum nota est,& apud homines.*

3. *Cùm præsens est,imitantur illam: & desiderant eam, cùm se eduxerit* , 4. *& in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens.*

5. *Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis*, 6. *& spuria vitulamina non dabũt radices altas*, 7. *nec stabile firmamentum collocabunt.*

8. *Et si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita,à vento commouebuntur,& à nimietate ventorum eradicabuntur.*

Con

NOVA.

POtior orbitas liberorũ cum virtute: immortalitas enim est in memoria eius: quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.

Eam & præsentem imitantur, & desiderant absentem, & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum præmiorum certamen vincens.

Copiosa autem liberis impiorum multitudo non proficiet: & ex adulterinis stolonibus non dabit radicem in profundum,nec stabile firmamentũ collocabit.

Nam etsi ad tempus in ramis effrondescat,leuiter firmata à vento commouebitur,ac à violentia ventorum eradicabitur.

Con

9. Confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.

10. Ex iniquis enim somniis filij, qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua.

Iustus autem 11. si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

12. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: 13. cani autem sunt sensus hominis.

Et ætas senectutis 14. vita immaculata.

15. Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est.

Raptus est ne malitia mutaret 16. intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.

Fascinatio enim 17. nugacitatis obscurat bona, 18. & inconstãtia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia.

19. Consummatus in breui expleuit tempora multa.

Placita enim erat Deo anima illius: 20. propter hoc properauit

Confringentur rami imperfecti, eorúmque fructus inutilis, ad esum intempestiuus, ad nullámque rem accommodus.

Ex illegitimis enim somniis filij nati testes sunt prauitatis aduersùs parentes in iniquitate ipsorum.

Iustus autem si præoccupatus fuerit morte, in quiete erit.

Senectus enim honorata, non longæua, neque numero annorum definitur: cana autem prudentia hominibus.

Et ætas senectutis vita nulla labe maculata.

Cùm gratus Deo fuisset (in vita) dilectus est, & cùm inter peccatores viueret, transpositus est.

Raptus est ne prauitas intellectum eius mutaret, aut dolus eius animum deciperet.

Fascinum improbitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ peruertit mentem malitiæ expertem.

Consummatus in breui diuturnitatem expleuit vitæ.

Nam placebat Domino anima ipsius: quapropter festinauit

perauit educere illum de medio
iniquitatum: populi autem vi-
dentes, & non intelligentes,
21. *nec ponentes in præcordiis*
talia.

Quoniam gratia Dei; & mi-
sericordia est in Sanctos eius,
22. *& respectus in electos il-*
lius.
23. *Condemnat autem iustus*
mortuus viuos impios, & iu-
uentus celeriùs consummata
longam vitam iniusti.

Videbunt enim finem sa-
pientis, & non intelligent, 24.
quid cogitauerit de illo Deus,
& quare munierit illum Do-
minus.
25. *Videbunt, & contemnent*
eum, illis autem Dominus irri-
debit.
26. *Et erunt post hæc deci-*
dentes sine honore, & in contu-
melia inter mortuos in perpe-
tuum: quoniam dirumpet illos
27. *inflatos sine voce, & com-*
mouebit illos à fundamentis,
& vsque ad supremum deso-
labuntur: 28. *& erunt gemen-*
tes, & memoria illorum peri-
bit.

29. *Venient in cogitatione*
peccatorum suorum timidi, &
traducent illos ex aduerso ini-
quitates ipsorum.

stinauit de medio improbitatis. Populi autem cùm vidissent, non intellexerunt, nec in cogitatione posuerunt hoc tale.

Quòd gratia, & misericordia in Sanctis eius, & visitatio est in electis illius.

Ceterùm condemnat iustus mortuus viuos impios, & iuuentus citò consummata longæuam iniusti senectutem.

Sapientis enim obitum videbunt quidem; sed quid de eo statuerit Dominus, & ad quid tùtum eum conseruauerit, non intelligent.

Videbunt (inquam) eúmque despicient, Dominus autem illos irridebit.

Et erunt post hoc in ruinā ignominiosam, & in contumeliam in mortuis per sæculum: quoniam dirumpet illos sine voce prono capite præcipitatos, & commouebit eos à fundamētis, & vsq; ad extremum vastabuntur; atque erunt in dolore, & memoria eorum interibit.

Venient in reputatione peccatorum suorum timidi, contráque conuincent illos peccata ipsorum contra legem commissa.

ARGV

ARGVMENTVM.

Confert iustos continentes Sapientiæ discipulos cum adultera role, quæ abiicit eam. Nam illi siue diu vixerint, prosperè agent; iue celeriùs recesserint, singulari Dei munere id fiet: ne à virtute ecedant, sed præmio digno afficientur. At impiorum vita, diuturna non est: multisq; circumsepta calamitatibus, obibúntque inhoorati, & inter mortuos suis iniquitatibus timidi cruciabuntur.

COMMENTARIVS.

O *Quàm pulchra casta generatio cum claritate.* Græcè, potior orbitas filiorum cum virtute. vt interpretes Complutenses, Regius, Vaicanus, & omnes recentiores transferunt, & Cyprianus lib. de singuaritate clericorum, legit, *Melius est esse sine filiis cum claritate.* & Hieron. n 9. cap. Oseæ, *Melius est filios non habere cum virtute.* & Ambrosius ib. 1. de virginibus. *Melior est virginitas.* Et autem antithesis, qua Salonon confert viros filiis orbos, sed virtute præditos, cum improbis, nultis ex adulterio auctis filiis absque illa de quibus in præcedenti :apite dictum est. Nam carere filiis si ex virtute promanet, ne te poluas illicito concubitu contra Dei legem, melius, ac præstantius est, juàm sobolem habere copiosam, & improbam. Et hoc est quod dicit vulgatus, *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate:* id est, nultò pulchrior est, potior, ac melior generatio sterilis, & orba filiis, :asta tamen, quæ nulla se adulterij labe polluat, & virtutis splendore :lara, & illustris, quàm supradicta copia filiorum adulterinorum, ac mproborum. 1. Cyprianus. Hieronym. Ambrosius. Virtus præferenda soboli.

Immortalis est enim memoria illius, nempe virtutis, cuius æterna memoria illi opponitur caducæ, & fluxæ liberorum propagationi: idque :x Græco patet, quanuis Hugo cum ceteris expositoribus, generationem castam non virtutem referre putent pronomen illius. Nam & Deo est nota; cùm *in memoria æterna sit iustus*; & hominibus, quia, vt ait Eccles. cap. 44. 14. *Nomina iustorum viuent in generatione, & generationem: Sapientiam eorum narrant populi, & laudes eorum nunciat Ecclesia.* & cap. 49. 1. *Memoria Iosiæ in compositione odoris, facta, opus pigmentarij: in omni ore quasi mel indulcabitur, & vt musica in conuiuio.* 2.

Cùm præsens est, imitantur illam, & desiderant eam cùm se eduxerit; 3.
cùm se abduxerit, habet Cyprianus; Græcè est, desiderant absentem; Cyprianus.
nam absentia, & quibus indigemus, desideramus ac requirimus: Diuerso iudicio dixit Horatius lib. 3. Carm. Ode 24. virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quærimus inuidi; viris tamen bonis virtus & cùm adest mirabilis est, & cùm abest desiderabilis. Horatius.

perauit educere illum de medio iniquitatum: populi autem videntes, & non intelligentes, 21. nec ponentes in præcordiis talia.

Quoniam gratia Dei,& misericordia est in Sanctos eius, 22. & respectus in electos illius.

23. Condemnat autem iustus mortuus viuos impios, & iuuentus celerius consummata longam vitam iniusti.

Videbunt enim finem sapientis,& non intelligent, 24. quid cogitauerit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus.

25. Videbunt,& contemnent eum,illis autem Dominus irridebit.

26. Et erunt post hæc decidentes sine honore,& in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam dirumpet illos 27. inflatos sine voce, & commouebit illos à fundamentis, & vsque ad supremum desolabuntur: 28. & erunt gementes, & memoria illorum peribit.

29. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum.

stinauit de medio improbitatis. Populi autem cùm vidissent, non intellexerunt, nec in cogitatione posuerunt hoc tale.

Quòd gratia, & misericordia in Sanctis eius, & visitatio est in electis illius.

Ceterùm condemnat iustus mortuus viuos impios, & iuuentus citò consummata longæuam iniusti senectutem.

Sapientis enim obitum videbunt quidem; sed quid de eo statuerit Dominus,& ad quid tutum eum conseruauerit,non intelligent.

Videbunt(inquam)eúmque despicient, Dominus autem illos irridebit.

Et erunt post hoc in ruinã ignominiosam, & in contumeliam in mortuis per sæculum:quoniam dirumpet illos sine voce prono capite præcipitatos, & commouebit eos à fundamẽtis,& vsq; ad extremum vastabuntur; atque erunt in dolore, & memoria eorum interibit.

Venient in reputatione peccatorum suorum timidi, contráque conuincent illos peccata ipsorum contra legem commissa.

ARGV

ARGVMENTVM.

Confert iustos continentes Sapientiæ discipulos cum adultera prole, quæ abiicit eam. Nam illi siue diu vixerint, prosperè agent; siue celeriùs recesserint, singulari Dei munere id fiet: ne à virtute recedant, sed præmio digno afficientur. At impiorum vita, diuturna non est: multisq́; circumsepta calamitatibus, obibúntque inhonorati, & inter mortuos suis iniquitatibus timidi cruciabuntur.

COMMENTARIVS.

O *Quàm pulchra casta generatio cum claritate.* Græcè, potior orbitas filiorum cum virtute. vt interpretes Complutenses, Regius, Vaticanus, & omnes recentiores transferunt, & Cyprianus lib. de singularitate clericorum, legit, *Melius est esse sine filiis cum claritate.* & Hieron. in 9. cap. Oseæ, *Melius est filios non habere cum virtute.* & Ambrosius lib. 1. de virginibus. *Melior est virginitas.* Et autem antithesis, qua Salomon confert viros filiis orbos, sed virtute præditos, cum improbis, multis ex adulterio auctis filiis absque illa de quibus in præcedenti capite dictum est. Nam carere filiis si ex virtute promanet, ne te polluas illicito concubitu contra Dei legem, melius, ac præstantius est, quàm sobolem habere copiosam, & improbam. Et hoc est quod dixit vulgatus, *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate:* id est, multò pulchrior est, potior, ac melior generatio sterilis, & orba filiis, casta tamen, quæ nulla se adulterij labe polluat, & virtutis splendore clara, & illustris, quàm supradicta copia filiorum adulterinorum, ac improborum. 1.

Cyprianus. Hieronym. Ambrosius.

Virtus præferenda soboli.

Immortalis est enim memoria illius; nempe virtutis, cuius æterna memoria illi opponitur caducæ, & fluxæ liberorum propagationi: idque ex Græco patet, quanuis Hugo cum ceteris expositoribus, generationem castam non virtutem referre putent pronomen illius. Nam & Deo est nota, cùm *in memoria æterna sit iustus;* & hominibus, quia, vt ait Eccles. cap. 44. 14. *Nomina iustorum viuent in generatione, & generationem: Sapientiam eorum narrant populi, & laudes eorum nunciat Ecclesia.* & cap. 49. 1. *Memoria Iosia in compositione odoris, facta opus pigmentarij: in omni ore quasi mel indulcabitur, & vt musica in conuiuio.* 2.

Cùm præsens est, imitantur illam, & desiderant eam cùm se eduxerit; cùm se abduxerit, habet Cyprianus; Græcè est, desiderant absentem; nam absentia, & quibus indigemus, desideramus ac requirimus: Diuerso iudicio dixit Horatius lib. 3. Carm. Ode 24. virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quærimus inuidi; viris tamen bonis virtus & cùm adest mirabilis est, & cùm abest desiderabilis. 3.

Cyprianus. Horatius.

4. *Et in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens.* Græcè, *incoinquinatorum præmiorum certamen vincens.* Cyprianus. Cyprianus legit, *incoinquinatorum certaminum prælium vincens.* Diuersitas hæc nata est ex diuerso genitiui ἄθλων significatu: nam à masculino ἄθλος, quod est certamen, versum est à vulgato *certaminum*, vt habet quoque Cyprianus: à neutro verò ἆθλον, quod est præmium certaminis, alij omnes verterunt, præmiorum, quòd sequeretur agona, quod est certamen, aut prælium, vt legit Cyprianus, ne verteretur, *impollutorum certaminum certamen, seu prælium vincens.* Nam

Virtus triũphat. quæ essent illa impolluta certamina, quæ cum vitiis, ac dæmonibus sustinebantur, è quibus mirum est si quis omnino euadat impollutus.

Sensus 1. Erit ergo sensus lectionis Cypriani: inter certamina impolluta, in quibus, nulli virtus vnquam cedit, nec vllius ictu læditur, aut polluitur, victrix in prælio euadit ipsa virtus, ac de suis hostibus coronata triumphat.

Sensus 2. Secundùm verò vulgati lectionem sic accipiẽdus: Virtus triumphat perpetuò coronata vincens præmia præstantissimis humanis certaminibus proposita: nam quantumuis præstent ceteris, quòd ritus, & leges certaminum in eis obseruentur, & hoc modo impolluta dici possint, at illa corruptibilia sunt, virtutis verò præmia incorrupta, vt dixit Paulus 1. ad Corin. 9. 25. *Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Iuxta Græcam lectionem hic est sensus.

Præmia virtutis incorrupta.

Sensus 3. Virtus coronata triumphat, victrix in certamine, in quo qui superat, habet præmia constituta, impolluta, & incoinquinata, nulli mœrori subiecta, nulli timori, quo polluantur, longè diuersa à corona fluxa hominum, & caduca; qualis 1. Petri 1. 4. dicitur *hereditas incorrupta, impolluta & immarcessibilis.* Atque hunc eundem sensum potest habere vulgatus, si dicamus locutum eum fuisse histerologicè, *incoinquinatorum certaminum præmium vincens.* pro, incoinquinatorum præmiorum certamen vincens, quemadmodum dictum est Psalm. 18. 6. *In sole posuit tabernaculum suum,* pro in tabernaculo suo posuit Solẽ. & Psalm. 32. 7. *Ponens in thesauris abyssos,* pro ponens in abyssis thesauros.

Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis. Antithesi ludit,

5. quia πολυτεκνία, multiplicitas filiorum opponitur orbitati eorum, quæ dicitur ἀτεκνία. quasi dicat: Melior est sterilitas, seu orbitas filiorum cum virtute; at multigena, id est sobolescens, fœcunda, liberis copiosa multitudo, & propagatio filiorum non erit vtilis, non proficiet, vel non prosperabitur. Sed admirabilis Dei bonitas, & sapientia facit, vt

Malus prodest bonis. impij aliàs perniciosi, aliquam iustis vtilitatem apportent, cùm per eos exerceantur, & purgantur, ac proficiunt; vt Iacob per Esau, Hebræi per

Augustinus. Ægyptios, Dauid per Saulem. ita B. August. ser. 51. in Euang. Ioan. Præclarè, inquit, videtis ergo, quia & mali necessarij sunt bonis. In fornace quodammodo aurificis sumus, hoc est, in hoc mundo. Si autem non es, simul ardes; si autem es, palea tua est malus; si & tu palea es, simul

eritis

eritis fumus. & in illa verba Psal. 51. *Sicut nouacula acuta fecisti dolum:* ecce, ait, quid faciunt bonis mali, capillos radunt, & postea ablaturus est malus bona temporalia. Proficiunt ergo mali bonis, vt bonos eos efficiant sua exercitatione: tum etiam suis laboribus, & auiditate conquirendi commodi sunt bonis varia officia exercendo. 6.

Et spuria vitulamina non dabunt radices altas. Hunc locum erratum putat Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 12. quod nomen, *vitulamen*, Latinis sit inauditum, & pro *vitulamina*, legendum putat, adulterinæ plantationes. quem secuti sunt Interpretes, & expositores, quia ita vt Augustinus hunc locum legunt. Rationem erroris fuisse, ait Augustinus, quod μόσχος nomen Græcum, vitulum, seu iuuencam significat, & inde nomen μοσχεύματα deductum vulgatus ficto nomine per vitulamina transtulit, quo significaret impiorum sobolem instar vitulorum auctam non prosperari. Sed non est in vulgato erratum, siquidem iam correctus ita similiter legit, vt legit quoque olim Optatus Mileuitanus lib. 4. contra Parmenianum, deduxítque nomen in eo significatu, quem habet etiam Græcum nomen μόσχος, quod significat stolonem, viuiradicem, aut nouellam plantam; & inde μοσχεύματα eosdem illos stolones notant, seu plantas teneras, ad quas significandas vsurpauit nomen vetustum, aut potiùs finxit, aut de nouo inuenit, vt licuit aliis grauibus Auctoribus. Aut fortè deduxit nomen, vt quidã putant, à vite, fortasse, vt viticulæ, quæ sunt flagella herbarum, seu clauiculi, sic vitulamina sint herbarum germina, plantæve teneræ instar vitium, aut viticularum. E Græco ergo sic legitur hic locus, & ex adulterinis plantis, seu stolonibus non dabit radicem in profundum, nempe, multigena impiorum multitudo non aget altas radices; vnde leuiter innixa facilè elidetur, & euelletur, vt similes stolidæ plantæ solent euelli, ita hi stolones spurij, aut adulterinę plantationes tanquam leuiter fixæ euellentur facilè.

Augustinus. Lectionis ratio. Vulgati lectio. Optatus. Filij adulterini nõ prosperantur.

Nec stabile firmamentum collocabunt. Græcè, Neque firmum, aut tutum fundamentum locabit, multigena scilicet multitudo impiorum. Transit ad aliam similitudinem; quemadmodum Paulus ad Ephes. 3. 17. fideles vult in Christi charitate radices agere, atque firmum fundamentum habere ne aliò transferantur, cùm impij leues ideo sint, quòd Deo derelicto rebus caducis fidant, eísque innitantur. Idcircò Iudas in sua canonica ver. 12. sic ait. *Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.* bis mortuas vocat impios, quòd fructu, & folio mutentur, & spolientur; hoc est, quòd nec verbis, nec operibus iustis ornentur; cùm iustus sit sicut *arbor plantata secus decursus aquarum,* Psalm. 1. *quæ fructum suum dabit in tempore suo.* 7.

Impij arbores bis mortuæ.

Et si in ramis. Pro leuiter firmata, seu posita in multis Græcis codicibus ponitur genitiuus βεβηκότος absolutè positus; quanuis sint qui corrigant, arbitrantes legendum pro illo genitiuo rectum βεβηκὼς, vt 8.

ſic conueniat cum πλῆθος multitudo, ſicut & verba omnia collocanda in ſingulari, nempe, non dabit, collocabit, germinauerit, à vento commouebitur, & eradicabitur. Lectionis ratio. Verùm in codice Græco Complutenſi, Regio, & Vaticano legimus in plurali βεβηκότα, vt referatur ad μοσχεύματα, ſtolones, plantationes, aut vitulamina; ſic vulgatus, & ex Interpretibus nonnulli omnia verba transferunt in plurali, ſpuria vitulamina non dabunt radices altas, nec ſtabile fundamentum collocabunt, & ſi in ramis ad tempus germinauerint leuiter βεβηκότα fundata à vento commouebuntur, & radicitùs euellentur; cùm tamen verba omnia reuera ſingularis ſint numeri; & ſi poſtrema duo pro ſuppoſito habeant neutrum plurale βεβηκότα in plurale conuertenda ſunt more Græcorum. Verùm cùm tantum ſermo hîc fiat de filiorum copioſa multitudine ex ſpuriis plantationibus, ſeu vitulaminibus propagata, de ea tantùm verba ſunt intelligenda ad hunc modum.

Sensus. Multitudo impiorum filiis copioſa non proſperabitur: & ex plantationibus adulterinis orta non aget altas radices, neque ſtabile fundamentum collocabit. Et licèt ad tempus in ramis euireſcat, eo quòd leuiter aſcenderint, vel fundauerint adulterinæ illæ plantationes, facilè à vento commouebitur, & eradicabitur. Sic βεβηκότα in accuſatiuo locanda cum ſubintellecta præpoſitione κατά, quæ Latinè, hac circuitione explicatur: eo quòd μοσχεύματα virulamina infirmiter, aut leuiter firmauerint aut fundauerint arborem impiorum filiorum, à vento nihilominùs propulſabitur arbor, & euelletur. Deriuatur nomen illud à βαίνω, vnde βάσις fulcimentum, aut fundamentum alicuius ponderis in fabrica dicitur, & per metaphoram pro radice arboris hîc ponitur, cùm dictum eſt, *nec ſtabile firmamentum collocabit*. Perſtat enim in ſimilitudine ſtirpis, atque arboris, in qua viriditas ramorum, ac frondium non eſt perpetua, ſed temporaria, fluxa, ac caduca; quamuis ex

Cicero. fabrica ſumantur tranſlationes. Cicero pro Cælio ſic eſt eamdem proſecutus Nolite hunc nunc primùm floreſcentem firmata iam ſtirpe virtutis, tanquam turbine aliquo, aut ſubita tempeſtate peruertere. vulgatus rectè proſecutus eſt ſenſum.

9. *Confringentur enim rami inconſũmati.* ἀτέλεστοι, imperfecti, qui ad ſuũ perfectum ſcilicet incrementũ non peruenient, ſed ante tempus cum radice, & arbore confringentur. Filiorum adulterorũ perditio. Alij vertunt, *imperfecti circùm rami confringentur*. Perſequitur ſimilitudinem, in qua ſumma vaſtitas ſtirpis, atque arboris, frondium, ac ramorum ipſius fructus denunciatur.

Et fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. Fructus numeri ſingularis eſt in Græco, vnde & inutilis, & acerbus, & ad nihilum aptus dicitur. Acerbus Græcè ἄωρος intempeſtiuus, qui adhuc crudus, & acerbus eſt, nondum coctus, ac maturatus à calore Solis. Sic liberi impiorum ante maturitatem, quaſi fructus acerbi præripiuntur, ac euelluntur.

Ex

Ex iniquis enim somniis. Ex illegitimis enim somniis, pro, ex illegitimo concubitu filij nati. per metonymiam, aut catechresim, in qua res proxima sumatur, nempe somnus, pro concubitu, vt cap. 3. 16. *iniquus thorus* pro nefaria, & flagitiosa coniunctione, & consuetudine. & cap. 7. 2. *delectamento somni conueniente*, dictum est, pro voluptate concubitus. 10. Somnus pro concubitu.

Testes sunt nequitiæ aduersùs parentes in interrogatione sua pro, in inquisitione ipsorum, cùm quæstio de ipsis habebitur, & vitæ actæ ratio reposcetur, tunc filij nefarij producentur in testimonium prauitatis suorum parentum; nempe illegitimi concubitus, ex quo nati sunt; vel improbæ vitæ, quam sunt imitati: fructus enim mali indices sunt arboris malæ. Filij patrũ imitatores.

Si morte præocupatus fuerit. Hoc est, ante tempus naturæ debitum abreptus, & quasi acerbus quidam fructus præreptus, ac præcerptus: quæ mors præmatura, aut immatura dici solet. Dictum est impiorum filios quamcitissimè euanescere; quod quia iustis aliquando accidit, vt morte immatura, florescente ætate rapiantur, docet Sapiens quantùm intersit in hoc inter vtrosque. Etsi enim immatura ætate præripiantur, sed non moribus in tempore certè moritur, quem mors paratum inuenit, cùm impij non in suo tempore decedant. 11. Mors immatura iustis, & iniustis diuersa.

In refrigerio erit. in quiete erit, omnibus videlicet huius vitæ molestiis, ac periculis liberatus, sicut in Apocalypsi dicitur cap. 14. 13. *A modo iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis.* Atque hoc est primum, in quo mors iustorum immatura superat mortem impiorum, quòd protinus suauissima beatæ vitæ quiete fruantur.

Senectus enim venerabilis est. Senectus honorata, non multæ, seu prouectæ ætatis, neque annorum numero computatur, aut definitur; vel, vt legit Hierony. in 8. Zachariæ, Senectus honorabilis non multi temporis, nec numero annorum æstimabilis. Hoc alterum est, quo à morte iustorum superatur mors impiorum immatura. Quòd si quis rectè rationes subducat, inueniet non eam dicendam senectutem, quæ honorata non est: illa autem honorifica est, non quæ longo tempore constat, aut quam annorum numero metiaris: nam huiusmodi longissima ætas infantia quandoque est, *& puer centum annorum* reprobatur ab Scriptura sacra; sed quæ prudentia, & integritate vitæ est ornata: in his enim illius ætatis ornamentum est constitutum, & si in adolescentibus inueniantur, senes proculdubio sunt; quales multos legimus, Samuelem, Ieremiam, Tobiam, Danielem, & similes. 12. Hieronymus. Senectus honesta quæ. Senex adolescens.

Cani autem sunt sensus hominis. Græcè, *Cana autem prudentia hominibus*, πολιά. Iansenius vult esse nomen substantiuum, & ita vertit, *Canities autem est prudentia hominibus*, quòd mox sequatur, *& ætas senectutis vita immaculata.* sed reliqui vt adiectiuum accipiunt, *Cana est prudentia*, vel, *cani sunt sensus*, singularis numeri, quia Græcè est 13. Prudentia senem facit.

Hierony-mus. cè est φρόνησις, vt transfert vulgatus & Hierony. in 25. Isaiæ, inquit: *Cani enim hominis sapientia eius*, & in 8. Zachariæ, *Cani autem sunt hominum prudentia.* Est autem metonymia, qua canities signum senectutis, ponitur pro ipsa senectute, siue ætate deuexa, atque admodum grandi. Nam canos, hoc est, ætatem canam hominibus sapientia, siue prudentia conciliat. Vnde seniores seu senatores consilio præstant, non ætate.

14. *Vita immaculata.* siue, nulla macula deformata, hoc est, pura, atque integra, siue purè, & castè acta. Est autem inuertenda oratio: Prudentia hominibus locum habet canitei, & vita pura, & sine labe, in

Vita sine labe senilis. quacunque ætate sit, est quasi quædam ætas senilis, cui honor ab omnibus exhibetur: nam sapientia, & virtus eam prudentiam, ac grauitatem affert, quam ætas prouecta solet afferre. Illa autem ex obseruantia Legis Dei proficiscuntur. Quicunque ergo iuuenes his adornati, senes meritò habendi sunt, vt Tobias cap. 1. *Qui cùm esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere*, & puer Daniel cap. 13. qui senes iudicauit, & similes alij, qui quod ætati deerat, virtutibus compensabant.

15. *Placens Deo factus, est dilectus.* Sic hæc verba distinguenda sunt: nam ex Græco ad hunc modum habent: Qui fuit Deo acceptus, dilectus est ab eo, vel, cùm gratus Deo fuisset nempe in vita, charus fuit ei.

Mors præpropera amoris signum. Enoch exemplo probat. Fuit autem amoris signum præpropera euocatio ex ista vita, non sine Dei arcano consilio: cuius causa sequentibus membris exponitur. Ostendit exemplo, quo consilio Deus ante maturam ætatem iustos suos præripiat, & ad se transferat, ne impiorum consortio maculentur. Est autem exemplum desumptum ex Enoch, qui, vt dicitur Genes. 5. 21. *cùm trecentis sexaginta quinque annis vixisset ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Quæ verba Septuaginta sic transtulerunt: *Et placuit Enoch Deo, & non inueniebatur, quia transtulit eum Deus.* Quam lectionem secutus Ecclesiasticus dicit cap. 44. 16. *Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.* Et Paulus ad Hebræ. 11. 5. *Enoch translatus est ne videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit, placuisse Deo.* Propiùs ad hunc huius loci sen-

Cyprianus. sum B. Cyprianus in libro de Mortalitate, cap. 8. ait: sic denique inuenimus, & Enoch translatum esse, qui Deo placuit, sicut in Genesi testatur, & loquitur Scriptura diuina: *Et placuit Enoch Deo, & non est inuentus postmodum, quia Deus illum transtulit.* Hoc fuit placuisse in conspectu Dei, de hoc contagio sæculi meruisse transferri. Iuxta quam rationem non ineptè Sapiens exemplum Enoch adduxit, qui quòd placuit sua vita Deo, in hoc ab eo dilectus est, vt eum

Ambrosius. transtulerit, ne impiorum consortio læderetur. Ita de Enoch intelligit hunc locum Ambrosius in orat. de obitu fratris, & super Psalmos

Pſalmos 40. & 45. & Ianſenius eum ſecutus.

Quæ licèt ſint veroſimilia,at Sapientem loqui de quocumque iuſto in vniuerſum, qui immatura morte præripitur, oſtendunt Cyprianus eo loco: nam poſt dictum teſtimonium ex Geneſi,affert tanquam diuerſum locum hunc, Auguſtinus quoque,& alij Patres,nulla facta de Enoch mentione.Deinde quia nō ita immaturus tranſlatus eſt Enoch,licèt in ętate eo tempore breuiori,cùm ab anno ſexageſimo quinto per trecentos annos genuerit filios & filias. Demum quia ille tranſlatus eſt ne videret mortem, hìc autem fit ſermo de iuſtis immatura morte præreptis: ſiquidem verſu 15. dicitur, ***Condemnat autem iuſtus mortuus viuos impios, & iuuentus celeriùs conſummata longam vitam iniuſti.*** De quocũque iuſto ſermo eſt. Cyprianus. Auguſtinus. Enoch non eſt mortuus.

Et viuens inter peccatores translatus eſt. Cùm inter peccatores viueret tranſlatus,ſiue tranſpoſitus eſt,hoc eſt,euocatus ab hac mortali, corruptáque vita,ad alteram,quæ luce puriſſima ſplendet, & abſque vllis tenebris degitur.

Intellectum eius. Syneſim, mentem,ſeu intelligentiam eius. Ambroſius dictis locis legit, *cor eius.* ſed cum vulgato legunt, Cyprianus lib.3. Teſtimonio,ad Quirinum,cap. 58.& lib. de Mortalitate,cap.8. & Auguſtinus lib.1.de prædeſtinatione Sanctorum, cap.14. & lib. de vita Chriſtiana, cap. 4. *intellectum eius*, hoc eſt, ne prauis opinionibus prauitas corrumperet, aut deprauaret eius intelligentiam; aut ne prauis prauæ generationis conſiliis conſentiret, aut ne vllo dolo deciperetur animus eius. 16. Ambroſius. Cyprianus. Auguſtinus.

Nugacitatis obſcurat bona. Malitiæ, ſeu improbitatis faſcinum obſcurat bona, hoc eſt, lædit,ac corrumpit,quemadmodum faſcinator oculis, aſpectuque ſpeciem infantis, quem aſpicit, ita inficit, vt quandoque enecet. Sic prauitas,vel potiùs improbus homo lædit,ac corrumpit prauis ſuis opinionibus quæ bona ſunt,vt ſimplex vir mala putet,& contra bona, quæ verè mala ſunt. Paulus ad Galat. 3. hac metaphora vſus eſt. 17. Conſiliator malus faſcinator eſt.

Et inconſtantia concupiſcentiæ. ῥεμβασμὸς, à verbo ῥέμβω, quod eſt, circumuerto, circumroto, vagor,vnde ῥέμβος, funda, eſt circumrotatio, aut perpetua circumuerſio, aut vagatio concupiſcentiæ, quæ ſemper alia, & alia deſiderat vaga,& effrænata, nunquam vni rei inhærens: ***nam in circuitu impij ambulant***, vt ſuo deſiderio, & concupiſcentiæ ſatisfaciant, Pſalmo 1. inſtar illius, ***qui circuit quærens quem deuoret.*** 1.Petri 5.8. Duo hîc vitia notat,quæ animum corrumpunt, ea ſunt prauitas opinionum,quaſi quædam faſcinatio,& cupiditatum intemperantia. 18. Cupiditatis rotatio.

Tranſuertit ſenſum ſine malitia μεταλλέυει, mentem ſynceram, malitiæ expertem peruertit,quaſi metallū effodit, ac eruit:ſic enim motus animi leues, & intemperantes mentem tentant,& agitant, vt ex

ea ſim

ea simplicitatem innatam, & puritatem insitam eruant, planéque peruertant.

19. *Consummatus in breui expleuit tempora multa*, non consumptus, sed breui perfectus euadens. Nam quæ alij ex longissima ætate absoluissent, hic paucis annis peregit; ad eam sanctitatem breui deductus, quam alij longa ætate vix adepti fuissent.

20. *Propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* In Græco

Cyprianus. non est, *educere illum*, vt legit Cyprianus lib. de Mortalitate, cap. 18.

Augustinus. seu, eripere eum, vt Augustinus lib. de vita Christiana, cap. 4. quod verbum vulgatus addidit, vt designaret Deum suppositum verbi,

Iustus festinat exire de vita. *properauit.* At ex Græco suppositum est, *iustus properauit*, seu festinauit de medio improbitatis, hoc est, celeriter discessit iustus, & properauit ipse exire, ne læderetur ab improbis, sua festina sanctitate, suisque precibus, quoniam placebat Deo id assecutus, vt qui in periculis versatur apud aliquam gentem, citò se à negotiis expedit, & fugit, vt Abraham exiuit de Vr Chaldæorum, & Loth de Sodomis, & filij Israël ex Aegypto, & Babylone.

21. *Nec ponentes in præcordiis talia.* pro, *in cogitatione tale hoc*, nempe quod sequitur, *quòd gratia, & misericordia in Sanctis eius, & visitatio*

Mors præpropera Dei beneficium. *in electis eius.* Est autem addendum, *videntes fuerunt*, hoc est, at vulgus cùm vidissent properè iustum raptum, non intellexerunt, nec animaduerterunt huiusmodi insigne beneficium, quòd hoc fuerit gratia, & misericordia Dei in Sanctos eius exercita, & quòd electorum suorum ratio sit habita, in eo præpropero raptu.

22. *Et respectus in electos illius.* pro visitatio, & ratio habita electorum eius. Homines stulti cùm vident iuuenem sapientem, qui se totum neglectis voluptatibus virtuti addixit, in flore ætatis mori, aut mun-

Stultitia mundanorum. do despecto, mundo ipsi mori, & vitam amplecti religiosam, derident, quia non intelligunt quid cógitauerit de huiusmodi iuuene Deus, & quanta gloria velit illum cumulare.

23. *Condemnat autem.* Condemnat sui cum illis comparatione: nam adolescens celeriùs ereptus, celeri perfunctus fato, collatus cum impio sene, ac longæ ætatis, ostendit damnandum esse. Nónne pueri è mundo erepti, & famulatui Dei addicti condemnant, & condemnabunt in die extremo innumeros senes, qui legi Dei aduersati sunt, & vitiis, & affectibus superati, vitam improbam traduxerunt?

24. *Quid cogitauerit de illo Deus.* Quid statuerit de eo, hoc est, quomo-

Dei consilium de iustis. do ei consuluerit, periculisque liberauerit ex hac vita eripiens, & quanta velit eum gloria cumulare. Quod Dei consilium, curamque, quam de electis habet, impij non intelligunt, aut animaduertunt, huius vitæ amore ebrij.

Et quare munierit illum Dominus. In Complutensi, & Regio codice legimus, *quare munierit*, ἑαυτὸν, *seipsum Dominus*, dum liberauit, eripuitque

eripuitque suum militem opportunè, vt decretum suum de ipso tu-
tum redderet. Sed Græci alij meliùs habent, αὐτὸν, *ipsum munierit*
iustum, tutumque conseruauerit: Nam ἀσφαλίζειν est ita cauere alicui,
vt tutum, tectumque ab omni malo eum reddas.

Deus tutum se, suumque iustum seruat.

Videbunt. Videbunt inquam. Repetit verbum, *videbunt*, vt doceat 25.
quorsum viderint, vt despiciant eum scilicet, sed Deum habebunt ir-
risorem.

Et erunt post hac desidentes sine honore. Græcè, *& erunt post hoc in rui-* 26.
nam ignominiosam, εἰς πτῶμα, *in casum turpem*. Iansenius vertit, *in cada-*
uer vile, quòd id quoque nomen significet, vnde subditur, *& contu-*
melia perpetua laborabunt inter mortuos, quia nulla ratio habebitur ca-
dauerum illorum, vt anima viuificante glorificentur, cùm semper in
ignominia sint futuri. Sed de ipsis iniustis, non de eorum cadaueribus
sermonem esse, ex sequentibus constabit, qui non solùm corruent
ruina turpissima, sed perpetua contumelia inter mortuos ceteros
iniusti iacebunt Vnde Lucifer pro Athan. legit, *in contumelia mor-*
tis in perpetuo.

Cadauer impiorum vile.
Lucifer.

Inflatos sine voce. Græcè, *mutos, pronos*, aut, *sine voce prono capite, præci-* 27.
pites. Significat impios in Dei iudicio conscientia suorum scelerum
conuictos, ne mutire quidem ausuros, sed præ rubore, & tremore voce
interclusa vultum in terram demissuros; vt ille, qui intrauit ad nuptias
non habens vestem nuptialem. Matth. 22.12. *obmutuit.* Interpres πρη-
νεῖς inflatos vertit, à verbo πρήθω, quod significat inflare, vt cum ver-
bo, *disrumpet*, cohæreret: nam inflatos dirumpet, & obmutescere fa-
ciet. Ceteri deduxerunt à verbo πρηνίζω, quod est, præcipito, aut in
caput propendeo.

Pudor in iudicio iniustorum.
Lectionis ratio.

Et vsque ad supremum desolabuntur. Extremè vastabūtur, vt nihil eo- 28.
rum saluū remaneat; magnā illorū ruinam, euersionemque significat.

Lucifer.

Et erunt gementes. Atque erunt in dolore, vt legit Lucifer pro Atha-
nasio, qualis parturientium, qui est acerrimus cruciatus, & sæpe in
Scriptura vsurpatus ad significandam pœnam impiis infligendam.

Venient in cogitatione peccatorum, ἐν συλλογισμῷ in syllogismo, in re- 29.
putatione, & collectione præteritorum peccatorum: nam colligent, ac
repetent peccata præterita, & rationem illorum inibunt syllogizantes,
ac colligentes se malè vitam transegisse: & ita timidi venient. Paulus
ad Roma. 2.15. λογισμοὺς vocat cogitationes accusantes inter se, ac de-
fendentes, hîc verò syllogismus dicitur collectio culparum vitæ an-
teactæ.

Memoria peccatorū inutilis.

Et traducent illos. Et redarguent, vel conuincent eos peccata eo-
rum contra legem commissa; vel suis sceleribus coràm conuincentur.



SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT V.

VETVS.

1. TVnc stabunt iusti
in magna constan-
tia 2. aduersùs
eos, qui se angustiauerunt, 3. &
qui abstulerunt labores eorum.
4. Videntes turbabuntur ti-
more horribili, 5. & mirabun-
tur in subitatione insperatæ salu-
tis.
6. Dicentes intra se, pœniten-
tiam agentes, & præ angustia
spiritus gementes: Hi sunt, quos
habuimus aliquando in derisum,
7. & in similitudinem impro-
perij.
8. Nos insensati vitam illo-
rum æstimabamus insaniam, &
finem illorum sine honore:
Ecce 9. quomodo computati
sunt inter filios Dei, & inter san-
ctos sors illorum est.
Ergo errauimus à via verita-
tis, 10. & iustitiæ lumen non
luxit nobis, & sol intelligentiæ
non est ortus nobis.

lassati

NOVA.

TVnc stabit in confidentia multa iustus, contra faciem eorum, qui afflixerunt eũ, & qui eius labores reprobarũt.

Videntes graui timore turbabuntur, & stupescent propter illius salutem inexpectatam.

Dicent ipsi secum pœnitentia tacti, ac propter angustiam Spiritus gement: hic est quem in derisum quondam habuimus, & in prouerbium opprobrij.

Stulti vitam eius existimabamus insaniã, atque exitum eiusdem ignominiosum:

Quomodo ascriptus est in filiis Dei, & in Sanctis sors eius est?

Certè errauimus à via veritatis, neque lux iustitiæ nobis illuxit, & Sol non est ortus nobis.

In viis

11. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis,* 12. *& ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.*

Quid nobis profuit superbia? aut 13. *diuitiarum iactantia quid contulit nobis?*

Transierunt omnia illa tanquam vmbra, 14. *& tanquam nuncius percurrens.*

Et tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam: cuius, cùm præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus.

Aut tanquã auis, quæ transuolat in aëre, cuius nullũ inuenitur argumentũ itineris, 15. *sed tantùm sonitus alarum verberans leuem ventum: & scindens per vim itineris aërem: commotis alis transuolauit: & post hoc nullum signum inuenitur itineris illius.*

16. *Aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aër continuò in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius:*

Sic & nos nati continuò desiuimus esse: 17. *& virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus.*

18. *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt:*

Quoniam 19. *spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur*

In viis iniquitatis, ac perditionis lassati fuimus, & deserta inaccessa paruasimus, viam verò Domini ignorauimus.

Quid nobis profuit superbia? & diuitię cũ iactantia nobis quid contulerunt?

Tanquam vmbra, nunciúsque transcurrens illa pręterierunt omnia.

Et vt nauis transiens fluctuantem aquam, cuius transitus vestigij non est inueniri, nec inter fluctus meatus eius iter.

Aut vt aue petuolante aërem, nullum inuenitur indicium progressus: ictu autem turbans verberatum aërem leuem, & scissum, vi stridoris motis alis pertransit, vt in eo postea nullum meatus vestigium reperiatur.

Aut vt telo ad scopum misso diuisus aër illicò in seipsum resolutus est, vt ignoretur transitus eius.

Ita & nos posteaquam sumus nati defecimus, & nullum quidem virtutis signum potuimus ostendere: in malitia autem nostra penitus cõsumpti fuimus.

Quoniam spes impij vt lanugo à vento sublata, & vt

litur: & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffusus est: & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.

20. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud Altissimum.*

Ideo accipient 21. *regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini:* 22. *quoniam dextera sua teget eos, & brachio sancto suo defendet illos.*

23. *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum.*

Induet pro thorace iustitiam, & 24. *accipiet pro galea iudicium certum.*

25. *Sumet scutum inexpugnabile æquitatem:*

26. *Acuet autem duram iram in lanceam,* 27. *& pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.*

28. *Ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient.*

29. *Et à petrosa ira plenæ mittentur, grandines, excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter.*

Contra illos stabit 30. *spiritus*

spuma tenuis à procella iactata, & vt fumus à vento dissipatus, & quasi memoria hospitis vnius diei præteriit.

Iusti verò viuent in perpetuum, & in Domino merces eorum est, & cura eorum apud Altissimum.

Ideo accipient regnum decoris, & diadema pulchritudinis à manu Domini, quoniam manu proteget eos, & brachio illos defendet.

Accipiet totã armaturam zelum suum, ad vltionémque inimicorũ creaturã armabit.

Pro thorace induet iustitiam, ac circumponet galeam iudicium non fictum.

Sumet scutum inexpugnabile sanctitatem:

Acuet duram iram in lanceam, vna autem bellũ cum eo mundus geret aduersùs amentes.

Venient directa iacula fulgurum, & quasi ab intentissimo arcu nubium, ad scopum insilient.

Grandinésque cõfertim è furore lapidante vibrabũtur, excandescetque aduersùs illos aqua maris, flumina verò præcipitãter simul inũdabũt.

Spiritus potentiæ eis obsistet,

tus virtutis, & tanquam turbo venti diuidet illos: & ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, 31. & malignitas euertet sedes potentiũ. | ſtet, & quaſi turbo iactabit eos; totam terram iniquitas deſolabit, ſedéſque potentium maleficentia euertet.

ARGVMENTVM.

Quod in calce præcedentis capitis breuiter, nunc latiùs proſequitur Salomon, oſtendens quanto interuallo ſuperandi ſint in ſtatu iudicij futuro à iuſtis impij, cùm repentinam illorum felicitatem admirantes, & cum ſua ſumma miſeria conferentes dolore tabeſcent, Deo pro ſuis iuſtis pugnante contra impios.

COMMENTARIVS.

TVnc ſtabunt iuſti in magna conſtantia. Græca omnia in ſingulari loquuntur de iuſto vſque ad verſum quintum, de quo in ſingulari etiam ſermo habitus eſt in præcedenti capite. Sed interpres intelligens ab vno omnes, vertit numero plurali, *Tunc ſtabunt iuſti*, pro, *Tunc ſtabit iuſtus*, & eum ſecuti ſunt Cyprianus lib. ad Demetrianum, & lib. de exhortatione Martyrum, cap. 12. & lib. 3. Teſtimoniorum ad Quirinum, cap. 15 Paulinus in epiſtol. 27. ad Aprum, & Auguſtinus in epiſtola 50. ad Bonifacium, & lib. 2. contra duas epiſtolas Gaudentij, cap. 27. & ceteri communiter. Stabit ergo iuſtus in magna conſtantia, παῤῥησίᾳ in audacia, confidentia multa, & loquendi libertate: nam opponitur ei, quod dictum fuerat, impios futuros muros ac timidos: Et ſanè ſi imperatorem ſtantem excedere terris decet, vt dixit Veſpaſianus, ſtantem quoque iuſtum depugnare decet. 1.

Cyprianus. Paulinus. Auguſtinus.

Aduersùs eos qui ſe anguſtiauerunt. Contra faciem eorum, qui eum afflixerunt, hoc eſt, coram eis: nam cogentur impij iuſti gloriam intueri, diſſimilémque vitæ exitum videre. Vt diues Lucæ 16. 23. Lazari felicitatem intuebatur, quam non poterat attingere, vt Tantalus aquas, & poma capiti impendentia nequibat fugientia capere. Non eſt autem, ſtare aduersùs impios, illos vltionis animo perſequi, implorando iudicem, vt digno eos afficiat ſupplicio; ſed oculis eorum obiici ſubitam iuſti gloriam. 2.

Sueton. in Veſpaſi. c. 24. Sextus Aurelius. Iniuſti iuſti gloriam videbunt inuidi.

Et qui abſtulerunt labores eorum Et ſpernentium, improbantium, irritantium, aut vituperãtium labores eius, quia, quòd ad ſe attinet, labores iuſti, qui eis poterant eſſe ſalutares, ita vituperabant, obſcura- 3.

Labores iuſti vilipendũt iniuſti.

bant,& irritos volebant facere,vt in nihilum redigerent, Deo honorem,& aliis exemplum eripientes, dum iustum habebant derisui.

4. Impiorum pauor in iudicio. *Videntes turbabuntur timore horribili.* Græcis est præteritũ quo viso, vel quod postquam viderint impij vehementi pauore percellentur,& extra se rapti obstupescēt: *nã horribile est incidere in manus Dei viuẽtis*, ad Hebr. 10.31. Vnde Actuum 24.26. cùm Paulus disputaret apud Felicem præsidem Iudææ hominem paganum de die iudicij stupefactus ille est,

5. Stupor subitus iniustorum. *Et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.* Græcè, & stupescent præ inopinatione salutis,hoc est, propter iusti salutem inexpectatam, & inopinatam, quem miserum,perditum iudicauerant. Exitus ergo inexpectatus illis admirationem,ac stuporem afferet,non secus ac fratres Ioseph.Genes.45.3.cùm cognouerunt sortem Ioseph,quem perditum putabant, *non poterant respondere nimio terrore perterriti.* & Iacob in eodem cap.ver.26.cùm audiuit filium suum viuere,& dominari in terra Ægypti, quem iam mortuum defleuerat, quasi de graui somno euigilans,non credebat.

6. *Dicentes intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.* In codice Græco,Complutensi,& Regio sic habetur. *Dicent inter se sera pœnitentia tacti, & præ angustia spiritus ingemiscent,ac dicent.* Cyprianus. Cyprianus habet, *Dicentes inter se.* In codice Vaticano, & aliis legimus, *Dicent sibi inuicem pœnitentes, & propter angorem spiritus gementes, hi sunt,&c.* Angor iniustorum in iudicio. Serò ergo sapientes præ angore spiritus gement, qui animum ægritudine premet.Christus Matth.22.13. Fletum & stridorem dicit in impiis futurum.

7. *Et in similitudinem improperij.* in parabolam, seu in fabulam probrosam,vel contumeliosam:hoc est, Hic est,quem quondam derisimus,& de quo sumus contumeliosè locuti,vt in Psalm.43.14.dicunt iusti:*Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem, & derisum iis,qui in circuitu nostro sunt: posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis.*

8. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.* Ita mortem Martyrum existimabant tyranni: cùm *beati mortui* sint, *qui in Domino moriuntur*, Apocal.14.11. Nam *similes Deo erunt,quia videbunt eum sicuti est*, vt ait Ioannes 1.sua epistol.c.3.

Iusti insani habiti. Quàm sit autem verum,iustos ab impiis pro insanis habitos,probat id quod principes 4. Reg. 9. 11. dixerunt Iehu de filio Prophetarum misso ab Eliseo, *quid venit insanus iste ad te?* & Christus tanquam insanus ab Herode spretus est Lucæ 27.11.& Præses Iudææ coram rege Agrippa dixit magna voce Paulo, post habitam diuinam de Christo concionem, Acto.26. *Insanis Paule*; multæ literæ te ad insaniam conuertunt.& 1.ad Cor. 4. de se,& aliis Apostolis Paulus asseruit: *Tanquam purgamenta huius mundi, facti sumus omnium peripsema vsque adhuc*

huc. Nec mirum, cùm Christi crux Iudæis fuerit scandalum, gentibus autem stultitia.

Quomodo computati sunt inter filios Dei, *Ecce*, non reperitur in vllo 9.
codice Græco, neque in Cypriano, Paulino, & Augustino locis supra- Cyprianus. Paulinus.
citatis, sed tantùm, *Quomodo computatus est*, relatus, siue ascriptus in Augustinus.
filiis Dei, *& inter Sanctos sors eius*, id est, sortem adeptus est, vt Apostolus dicit ad Colos. 1.12. *Dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine*: gratiam Dei sortem vocat, ait Augustinus concio. 2. in Psal. 30. quòd gratis detur, sed hoc loco pro gratuita hereditate capitur. Sors iustorum. Augustinus.

Et iustitiæ lumē non luxit nobis: & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. In 10.
Græcis codicibus nullus genitiuus additur, sed tantùm legitur: *& Sol non est* ortus nobis, vt legunt Cyprianus locis suprà dictis, Ambrosius sermo. 1. & 16. Philo Carpathiorum Episcopus in Cantica, in illa verba cap. 41. *Capilli tui, sicut greges caprarum, quæ apparuerunt è Galaad*. Tum etiam Gregorius lib. 34. Moral. cap. 12. Sed Vatabli interpres legit cum vulgato, *Sol intelligentiæ*, In codice Complutensi, & Regio Græco reperitur, *Sol iustitiæ non est ortus nobis*. Videtur genitiuus additus ad explicationem metaphoræ Solis. Se stultitiæ damnant, quòd ita insipientes fuerint, vt neque mente illustrari à Deo se desiuerint, neque voluntate, à virtute affici aut inflammari: omnes quippe impij, vt ait ibi Gregorius, in die iudicij extremi, cognita sua damnatione, dicturi sunt; *Errauimus à via veritatis, & lumen iustitiæ non luxit nobis, & Sol non est ortus nobis*; ac si apertè dicant, interni nobis luminis radius non refulsit: illis enim, qui de industria scelera sceleribus cumulant, quodammodo contingit illud Isaiæ. 6. 9. *Dedit illis Dominus spiritum compunctionis, seu* soporis, aut grauis somnij, *oculos vt non videant, & aures vt non videant*. Quod testimonium citauit Dominus Ioan. 12. & Apostolus ad Roma. 11. & Actuum vltimo. Cyprianus. Ambrosius. Philo Carpat. Gregorius. Cæci serò videbunt.

Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, Græcè, *impleti, expleti*, 11.
aut *satiati sumus viis iniquitatis, & perditionis*. Sed quia viarum satietas defatigatio est ex itinere saxoso consurgens, ideò rectè dixit, *lassati sumus*, vel fuimus: nam sequitur, & *ambulauimus vias difficiles*.

Et ambulauimus vias difficiles. Græcè, eremos inuias, aut deserta in- 12.
uia peruasimus, ad quæ nullus est aditus, vel accessus. Lucifer legit, *eremias*. Cyprianus in tribus illis locis, & Augustinus lib. 2. contra duas Gaudentij episto. cap. 29. & ambulauimus solitudines difficiles, quia mille periculis, molestiis mille circumseptas, & à salute longè remotas, quas tamen sua impij audacia perruperunt, atque penetrarunt. Cùm autem vitia contra naturam hominis sint, & primo aspectu iocunda, maximas tamen secum afferunt molestias, cùm contrà incredibilis sit dulcedo, *quam abscondit Deus timentibus* se, Psal. 30. Nam Isai. 57. dicitur, *Cor impij quasi mare feruens*, cùm contrariis sæpe agitetur cupiditatibus: *secura verò mens quasi iuge conuiuium*, Prou. 15. Zachar. Lucifer. Cyprianus. Augustinus. Iusti, & iniusti differentia.

char. 5. Peccatum cùm talento plumbi comparatur, de quo Dauid queritur Pſal. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*; cùm iugum Domini ſuaue ſit, Matth. 11. & onus leue. Deinde Iſa. 48. dicitur, *Non eſt pax impiis dicit Dominus: at pax Dei exuperat omnem ſenſum, ad* Philip. 3. & *Qui facit peccatum*, ad Roma. 6 *ſeruus eſt peccati: vbi verò ſpiritus Domini, ibi libertas, & ſtipendia peccati mors.* Itaque peccatum quicquid eſt graue tanquam vmbra corpus conſequitur, at virtutem bonum quoduis.

13. *Diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* vel, *diuitiarum iactatio*, vt

Cyprianus. Auguſtinus. Diuitiarum vſus.

legunt Cyprianus, & Auguſtinus. Græcè diſtinctè habetur, & diuitiæ cum iactantia quid contulerunt nobis? nam diuitiæ ſine iactantia conferunt plurimùm ad felicitatem adipiſcendam, ſi miſerorum ſubſeruiant ſubſidio; at iactatio de diuitiis non ſolùm non prodeſt, ſed obeſt multùm.

14. *Et tanquam nuncius percurrẽs.* Nuncius, non legatus eſt, ſed rumor, fama, nuncium; nam & Græcum nomen ἀγγελία, id ſignificat, & Latinum *nuncius.* Vide autem quàm eloquentes dolor efficiat impios, & quàm verè dictum ſit, *Vexatio dat intellectum*: nam qui dum hîc viuerent, bona caduca omnia perpetuò duratura exiſtimabant, nunc

Symbola breuis vitę.

eorum breuitatem, & fugacitatem cum his rebus comparant, quę nullo veſtigio relicto celeriter tranſeunt, cuiuſmodi ſunt vmbra, nuncius tranſcurrens, nauis ſecundis lata ventis, volatus auis, & ſagitta in ſcopum iaculata. Nec mirum, ſi alia omnia ſic tranſeant, cùm vita hominis, cui innituntur ſimiliter, prætereat: nam Iſaias cap. 40. 6. viſus eſt clamare, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri, exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos*: quod pulchrè applicuit Iacobus cap. 1. diuitibus, & Petrus epiſtol. 1. c. 1. & Eccleſiaſtices cap. 14.

Neque ſemitam carinæ illius in fluctibus. πορείας, itineris illius in fluctibus, vel ingreſſus, aut meatus eius inter fluctus, Carinæ dixit per metonymiam pro greſſu aut meatu, quòd nauis carina intra aquas permeet nuſquam apparente.

15. *Sed tantùm ſonitus alarum verberans leuem ventum.* Græcè clariùs dicitur. Percuſſione verò, ſeu ictu turbans verberatum aërem leuem, & ſciſſum vi ſtridoris, motis alis pertranſiit, & poſt hoc non eſt inuentum ſignum meatus in eo. πληγῇ in dandi caſu habent multi codices, cum Vaticano, quod vertitur, *ictu*, aut *percuſſione*, vt auis ſit ſuppoſitum verbi pertranſiit, at in Complutenſi, & Regio legitur in recto πληγὴ, *ictus*, vel *percuſſio.* Vulgatus ſenſum rectè explicuit.

16. *Aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum.* Sagitta emiſſa auferendi caſus eſt: nam in Græco eſt genitiuus abſolutus, ad hunc modum, Aut vt telo ad ſcopum miſſo diuiſus aër illicò in ſeipſum reſolutus eſt, vt ignoretur tranſitus, vel traiectus eius.

17. *Et virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere*, aut nullum documen

documentum,aut specimen exhibere.Omnes prædictæ similitudines
eò tendunt vt probent adimpletarum cupiditatum nihil penitus re-
liquum fuisse: neque vllam vtilitatem apportasse; ac proinde vitam
impiorum,non vitam censendā, in qua nihil vita dignum gestum est,
sed nasci,& mori non sanè,vt Philosophi sunt arbitrati,quòd nihil vi-
tæ præter momentum teneamus,quod & piis & impiis commune est.

Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt. Totus hic versiculus 18.
in nullo codice Græco reperitur, nec in Complutensi, Regia, & Va-
ticana interpretatione. Habent tamen illum vulgatus correctus in-
terpres,Vatablus,Pagninus,& Isidorus,rum etiam expositores. Quia
autem,vt notat Dionysius,quæ in hoc capite proponuntur,cum im-
piis agenda,ac dicenda ad iustorum patrocinium, & honorem,in die
iudicii transigenda prædicuntur,necessum est nomine inferni intelli-
gere locum inferiorem, in quo impij inferno destinati in die iudicij
sunt coniiciendi, vt perpetuis cruciatibus afficiantur.

Inferni locus.

*Spes impij tanquam lanugo est.*χνοῦς,Hebraicè, מוץ *mots* vt Psalm.1.5. 19.
Sed tanquam puluis seu quisquiliæ, vt gluma, palea , seu tegumentum
tritici,*quod proiicit ventus à facie terræ.* Significat ergo nomen quod-
cumque reticulamentum aut quascumque sordes. Vulgatus,& non-
nulli alij vertūt,*lanugo*.Senetio herba Plinio dicitur l.25.c.13,quòd in
pappos sabeat,& lanuginem carduorum floribus similem habeat. His
verò similitudinibus,non solùm breuitas, sed vitæ impiorum vanitas
demonstratur. Potest autem suppositum verbi *præterut* esse spes, si ita
legamus:Quoniam spes impij,tanquam lanugo,quæ à vento tollitur,
& tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam
fumus,quia vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis vnius
diei,præteriit.At Vulgatus supplendo aliqua, aliam coordinationem
rectè est prosecutus.Quoniam spes impij tanquam lanugo est à vento
sublata,& vt spuma tenuis à procella iactata, vt fumus, qui à vento
diffusus est, aut dissipatus, & tanquam hospitis vnius diei memoria,
(qui,vel quæ)præteriit.

Vitæ vanitas.

*Iusti autem in perpetuum viuent.*Iusti spe certa innixi, quæ non con- 20.
fundit,vitam beatam,quæ perpetua est,consequentur: nam in manu
est Domini eorum,& cogitatio, cura, solicitudo, seu cogitatio proui-
dendi,seu tuendi aliquem:id enim significat nomen φρόντισις. Potest
autem & actiuè accipi,vt putant communiter expositores, quòd iusti
suam curam suam habeant in Altissimo. Aut verius passiuè, quòd cu-
ra de iustis sit penes Altissimum: quoniam sicut de mercede dictum
est,quòd in Domino merces eorum,supple, asseruata est, & reposita;
ita & cura eorum,vel de eis,suscepta est apud Altissimum; & solicitu-
do de bono illorum,vt nemo rapere possit eos de manu illius.

*Regnum decoris & diadema speciei.*Phrasi Hebraica dictum est, *reg-* 21.
num decoris,pro,regnum decentissimum, & ornatissimum. *Et diade-*

O *ma,*

ma,ſeu corona *ſpeciei*,pro ſpecioſiſſima, & pulcherrima quam de manu Domini ſuſcipient;cùm dicet illis Matth. 25.34. *Venite benedicti Patris mei percipite regnum, quod paratum eſt vobis à conſtitutione mundi.* De quo ſic ait Auguſtinus ſermo. 1. de verbis Apoſtoli: Qualis ſit gloria futura, & quibus diuitiis floreat, laudare poſſumus, explicare non poſſumus, quia legimus: *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Dominus diligentibus ſe.* Quis eſt igitur ipſe Deus, qui talia, & tanta præparauit? quid niſi inæſtimabilis, ineffabilis, incomprehenſibilis, vltra omnia, extra omnia, præter omnia. Si quæras magnitudinem maior eſt, ſi pulchritudinem pulchrior, ſi dulcedinem dulcior, ſi ſplendorem fulgidior, ſi iuſtitiam iuſtior, ſi fortitudinem fortior, ſi pietatem clementior. Sic Auguſtinus.

22. *Quoniam dextera teget eos.* Summum promittit honorem iuſtis, & ſummam protectionem, & de impiorum manibus liberationem, ſiquidem dextera proteget eos: nam iuſti latus obſidebit, vti latere *& brachio defendet illos.* Nam *qui habitat in adiutorio Altiſſimi.* Pſalm. 90.1. *in protectione Dei cœli commorabitur.* In Græcis deeſt illud, *ſancto ſuo*, additum ad reuerentiam.

23. *Accipiet armaturam zelus illius.* Poſtquam expoſuit ſummam Dei in iuſtos beneficentiam, nunc exponit iram, & ſeueritatem in vltione de impiis ſumenda, propter quam vocatur in Pſalmo 93. *Deus vltionum Dominus.* Deſcribit autem Deum more humano tanquam regem potentiſſimum armatum procedentem cum exercitu ad ſumendam vltionem de hoſtibus ſuis, à quibus magnis eſt iniuriis laceſſitus. Attribuit autem Deo πανοπλίαν vniuerſam armaturam, zelum, ſeu indignationem ſuam; quæ illi eſt pro vniuerſa armatura, quo armorum genere omnes quoque armabit creaturas. Eodem prorſus modo in membris ſequentibus dicit ſuas Deum virtutes exerturum loco armorum.

Vltio Dei.

Dei imperatoris munus.

24. *Accipiet pro galea iudicium certum.* vel, circumponet galeam κρίσιν ἀνυπόκριτον iudicium ſyncerum, integrum, ſummam bonum æquitatis, non fictum. Nam Deus æquus iudex appellatur in Scriptura, qui neſciat ſimulare, vel perpetuò diſſimulare, & perſonarum acceptor non ſit. Eſt autem in Græcis vocabulis alluſio non iniocunda, κρίσιν ἀνυπόκριτον.

25. *Sumet ſcutum inexpugnabile æquitatem.* ὁσιότητα, ſanctitatem, vel ſanctimoniam, qua Deus indutus à nullo poterit expugnari: nemo enim iudicem tanquam indignum poterit recuſare, vt qui non ſanctè cauſam agat ſingulorum. Vnde ſe poterit hoſtibus iudicandum exponere, vt Chriſtus Ioan. 8.46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Iudicis ſcutum, ſanctitas.

26. *Acuet duram iram in lanceam.* Romphæam, hoc eſt, gladium ferientem, ac vehementer vulnerantem. Similem deſcriptionem affert Iſaias

cap.

cap.59.17.*Indutus*,inquit,*est iustitia vt lorica, & galea salutis in capite* Vltoris Dei
eius:indutus est vestimentis vltionis,& opertus est quasi pallio zeli. Atque hypotypo-
eandem similitudinem accommodat Paulus fidelibus,vt ad Ephes.6. sis.
17.*Induite vos armaturam Dei,vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*
State ergo succincti lumbos vestros in veritate,& induti loricam iustitiæ.in
omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea
extinguere,& galeam salutis assumite, & gladium Spiritus, quod est ver-
bum Dei.& 1.ad Thessalon.5.8. *Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus,*
induti loricam fidei & charitatis,& *galeam spem salutis.*

Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Vel,vnà verò 27.
cum eo mundus bellum geret aduersùs amentes. Iam describit exer- Dei exerci-
citum,quem armaturus est Deus contra impios, omnes scilicet crea- tus.
turas,vt vlciscantur suas,& Domini iniurias; siquidem ipsis peccato-
res abutuntur ad suas voluptates contra Domini voluntatem.

*Ibunt directè emissiones fulgurum.*Græcè,ferentur directa iacula ful- 28.
gurum , & tanquam ab intensissimo arcu nubium, ad scopum desi-
lient.Directa vocat directè contorta,& collimata,quæ non aberrent.
Iacula βελίδες hastæ sunt missiles, vel iacula missilia, quæ quòd emit-
tantur à Deo,Vulgatus vocauit emissiones.Intensissimum arcum vo-
cat, adductum, & vehementer inflexum, vt remissus postea maiore Iacula Dei
torqueat,& feriat vi.Huiusmodi ergo iacula desilient in insensatos,vt recta.
perdant eos,tanquam in scopum,nec aberrabunt. Addidit Vulgatus,
exterminabuntur , nempe iacula, cùm verbum illud non legatur in
Græco,ad vim significandam iaculorum, quæ extra nubium terminos
eiicientur ex arcu nubium contra impios.Psalmo 17.& aliàs descrbi-
tur Deus iratus hoc modo,*Et ascendit fumus ab ira eius,& ignis à facie* Irati Dei
eius exarsit. ver.14. *Et intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vo-* hypotypo-
cem suam,grando,& carbones ignis; & misit sagittas suas, & dissipauit eos; sis.
fulgura multiplicauit,& conturbauit eos.

*Et à petrosa ira plena mittentur grandines.*Et à petras iaciente ira ple- 29.
næ mittentur grandines,vel à lapidante furore confertim vibrabuntur
grandines.Atrocem significat tempestatem, in qua lapidibus pluitur.

*Et flumina concurrent duriter.*Simul inundabunt præruptè, violen-
ter,aut præcipitanter,quasi quoddam diluuium præruptis alueis.

*Spiritus virtutis.*Ventus potentiæ,hoc est, ventus potens, ac vehe- 30.
mens obsistet illis.*Et tanquam turbo venti diuidet illos:venti*, non est in
Græco,sed in turbine subintelligitur. & tanquam turbo diuidet, pro
disperget,euentilabit,& iactabit eos.

Et malignitas euertet sedes potentium. Κακοπραγία malitia, vel male- 31.
ficentia, cui apposita est εὐπραγία beneficentia. Est & infelicitas, ad- Iniquitas
uersitas,quæ euertet potentium sedes,vt Psal.106.34.*Terram fructi-* omnia sub-
feram in salsuginem à malitia inhabitantium in ea. Quasi epiphonemate uertit.
ex omnibus dictis concludit.Itaque iniquitas hominum est,quæ vni- Iniquitas malorum
 omnium fons.

uersam terram diruit, & sedes, seu thronos potentium euertit, ne impij de sua impietate glorientur.

A versu decimosexto iusti describitur beata sors sorti impiorum opposita, per miram antithesim. Nam impij nihil commodi è vita sua tulerunt: at iusti & in vita habuêre Deum propugnatorem, & curatorem; & mortui perpetuò viuent apud Altissimum.

Quæstio, quo tẽpore hæc fient?

Quæstio tamen est, verùm hæc futura referantur in extremo iudicio, an dum iusti vitam hanc ducunt, in qua proteguntur à Deo, & liberentur ab impiis? vt sanè contigit cùm iustum suum populum in Ægypto existentem, Deus ipse liberauit suo munitus zelo, & omnem parans creaturam aduersùs Ægyptios, quando fulmina cœlitus iaciebantur, & grandines simul cum lapidibus: quando aquæ fluminum, & maris rubri fluctus eos obruerunt, & venti præcipites euentilabant illos: quando propter incolarum iniquitatem omnis terra Ægypti in solitudinem est redacta, & potentium sedes euersæ?

Ante diem iudicij.

Hæc omnia in die iudicij euentura omnes ferè interpretes exponunt. Sed quidam ante diem iudicij, aut ante generalem resurrectionem futura putant, in signis eam præcedentibus significata: per stellas de cœlo cadentes vniuersum orbem conflagrandum. Ita Deus zelo armatus potestatem exeret, & proiectis fulminibus, & grandinibus, & aquis maris fluminúmque, ac turbinibus exæstuantibus, in solitudinem rediget, quæ hominum sunt; etiam potentium sedes.

Refutatio.

At neque in signis diem iudicij præcessuris vlla conflagrationis mentio: phasmatum, ac cometarum visa ad terrorem incutiendum ostendenda: hæcque dici stellas de cœlo casuras: eaque signa æquè pios, ac impios territura: nec enim ad solos impios deterrendos accident.

De Christi aduẽtu posteriore.

Quare verius videtur loqui hoc loco Salomonem de satellitibus præcessuris Christum ad iudicium venientem, qui illius præferant maiestatem, & impiis metum incutiant. Huiusmodi est ipse iudicis vultus iracundus, & omnium ministrorum ipsius: tum & ignis, quem ante se præmittet, fulguribus, fulminibus, lapidibúsque intermixtum, vnà cum turbine vehementi, qui obuios in omnem partem disperget: denique ignis, qui in impios irruet, & comburet. Ita fiet, vt eorum iniquitas causa sit, cur in solitudinem sit terra vniuersa redigenda: & throni, quos perpetuos existimabant, potentes sint euertendi. Rectè quippe Lactantius lib. 7. c. 19. existimat è superiore regione ignem illum demittendum, vt cùm venientem iudicem præueniat, illius sæuitiam, & maiestatem meliùs possit oculis intuentium manifestare.

SAPIEN

SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT IV.

VETVS.

1. *Melior eſt Sapien-
tia, quàm vires:
& vir prudens,
quàm fortis.*
*Audite ergo reges, & in-
telligite, 2. diſcite iudices fi-
nium terræ.*
*Præbete aures vos, 3. qui
continetis multitudines, & pla-
cetis vobis in turbis nationum.*
*Quoniam data eſt à Domino
poteſtas vobis, 4. & virtus ab
Altiſſimo, qui interrogabit ope-
ra veſtra, & cogitationes ſcru-
tabitur.*
*Quoniam cùm eſſetis mini-
ſtri regni illius, non rectè iudi-
caſtis, 5. nec cuſtodiſtis legem
iuſtitiæ, neque ſecundùm vo-
luntatem Dei ambulaſtis.*
*Horrendè, & citò 6. appa-
rebit vobis: quoniam iudicium
duriſſimum his, qui præſunt,
fiet.*

NOVA.

Audite ergo reges, & intelligite, diſcite iudices finium terræ.

Aures prębete, qui imperatis multitudini, & qui nationũ multitudine gloriamini.

Quoniam à Domino vobis dominatio data eſt, & poteſtas ab Altiſſimo, qui in opera veſtra inquiret, & conſilia perſcrutabitur.

Quoniam cùm eſſetis miniſtri regni eius, non rectè iudicaſtis, neque legem conſeruaſtis, neque iuxta conſilium Dei ambulaſtis.

Horribiliter ſuperueniet vobis, & repentè, quoniam iudicium durum in eminentes fit.

7. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.

Non enim 8. subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, 9. & aequaliter cura est illi de omnibus.

10. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.

11. Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excidatis.

12. Qui enim custodierint iusta iustè, iustificabuntur: & qui didicerint ista, inuenient quid respondeant.

13. Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam.

Clara est, & quae nunquam marcescit, Sapientia, & facilè videtur ab his, qui diligunt eam, & inuenitur ab his, qui quaerunt illam.

14. Praeoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostẽdat.

15. Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit: assidentem enim foribus suis inueniet.

16. Cogitare ergo de illa sensus est consummatus: & qui vigila

Exiguus enim dignus est, cui misericordia tribuatur, in potentes verò potenter inquiretur.

Non enim personae cuiusquam rationem habebit gratia adductus omnium Dominus, nec magnitudinem verebitur: quoniam paruum, & magnum ipse fecit, & pariter curam habet omnium.

Validis verò valida instat inquisitio.

Ad vos igitur, ô tyranni, sermones mei, vt discatis sapientiam, neque excidatis.

Qui enim custodierint sanctè Sancta Sancti habebuntur, & his eruditi habebunt defensionem.

Expetite itaque sermones meos, ac desiderate, & eruditionem cõsequemini.

Illustris est, & immarcessibilis sapientia: faciléque perspicitur ab his, qui eam diligunt, & inuenitur ab his, qui illam quaerunt.

Anticipat cupidos sui, vt praenoscatur.

Qui manè ad illam surrexerit, non laborabit, assidentem enim suis foribus eam inueniet.

Nam cogitare de ipsa prudentiae perfectio est, &

qui

gilauerit propter illam, citò securus erit.

17. *Quoniam dignos seipsa circuit quærẽs, & in viis ostendit se illis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis.*

18. *Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia.*

19. *Cura ergo disciplinæ dilectio est: & dilectio custodia legum illius est:* 20. *custoditio autem legum* 21. *consummatio incorruptionis est:*

Incorruptio autem facit esse 22. *proximum Deo.*

Concupiscentia itaque Sapientiæ deducit 23. *ad regnum perpetuum.*

24. *Si ergo delectamini sedibus, & sceptris, ô reges populi, diligite Sapientiam, vt in perpetuum regnetis.*

25. *Diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis populis.*

Quid est autem sapientia, 26. *& quemadmodum facta sit, referam: & non abscondam à vobis sacramenta Dei: sed ab initio natiuitatis inuestigabo, & ponam in lucem scientiam illius, & nõ præteribo veritatẽ.*

27. *Neque cum inuidia tabescente iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ.*

qui propter illam vigilauerit, continuò securus erit.

Quia se dignos ipsa circuit quærens, & in viis apparet eis benignè, in omnique cogitatione illis occurrit.

Initium enim ipsius est verissima eruditionis cupiditas.

Cura verò eruditionis amor; amor autem obseruatio legum ipsius: rursum legum obseruatio, immortalitatis est confirmatio.

Immortalitas autem proximum Deo esse facit.

Cupiditas ergo sapientiæ adducit ad regnum.

Si itaque soliis sceptrísque delectamini, tyranni populorum, honorate sapiẽtiam, vt in perpetuum regnetis.

Quid autem sit sapientia, & quemadmodũ orta fuerit, annuntiabo, nec celabo vos mysteria; sed à prima origne inuestigabo cognitionem eius, & ponam in apertum, neque veritatem præteribo.

Nec verò cum eo qui inuidia tabescit iter habebo; quoniam huiusmodi non erit sapientiæ particeps.

28. *Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum: & rex sapiens stabilimentum populi est.*

29. *Ergo accipite disciplinam per sermones meos, & proderit vobis.*

Sapientium autem multitudo, est salus mundi: & rex prudens firmamentum populi.

Quapropter sermonibus meis erudimini, & vobis proderit.

ARGVMENTVM.

Præstituto longo inter sapientiæ discipulos, id est, iustos, & eius contemptores impios, discrimine, redit ad hortandum reges, vt sapientiam amplectantur, quò rectè suo munere fungantur, & regnum ipsorum stabiliatur; alioquin Deum seuerum iudicem experturos comminatur: deinde promittit se modum ostensurum, quo sapientiam adipiscantur.

COMMENTARIVS.

1. *Melior est sapientia, quàm vires: & vir prudens, quàm fortis.* Hic versus in nullo codice Græco reperitur: habent tamen illum vulgatus Interpres, Vatabli, Pagninus, Hugo, & Lyra, & Dionysius, videtúrque vtcumque desumptus ex versu 32. Prou. 16. vbi dicitur: *Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium.* & ex Ecclesiastes 9.16. *Et dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine.* Est itaque certum, meliorem esse ac præstantiorem sapientiam robore virium, & virum prudentem forti. Sed quorsùm hæc sententia hoc in loco præfixa est? Quia Reges, & magistratus inducere nititur ad complexum Sapientiæ, ne putarent regnum viribus communiri, & militum strenuorum virtute magis indigere, quàm re quauis alia, tacitæ respondens obiectioni, ostendit, munimen regni, cum strenuitate in eo administrando, magis positum in sapientia Regis, quàm in militum copia, & virium fortitudine.

Sapientia præstat viribus.

2. *Discedite iudices finium terræ.* Iudices, rectores, siue gubernatores orbis, per synecdochen. nam iudicium præcipua gubernationis pars accipitur pro vniuerso munere gubernandi, vt 1. cap. versu 1. dictum est. Hos monet vt morigeros discipulos, & dociles se præstent: nam docilitas prudentiæ, sapientiæque pars præcipua. Vnde Salomon 3. Reg. 3. 9. *cor docile*, aut cor audiens postulabat; & Iacobus c. 3. 17. Sapientiæ cœlestis conditionem ponit esse *suasibilem*, & Episcopum vult Paulus 2. ad Timot. 2. 24. esse *docibilem*, non tantùm Deo, sed & hominibus, sanis vt consiliis obtemperet.

Quis

Qui continetis multitudinem,continentes multitudinem : κρατεῖν enim 3.
est continere, & potestatem, ac imperium in aliquos habere,in qua significatione dicit hîc,***imperantes,***aut ***moderantes multitudini,*** hoc est, populi, aut vulgi moderatores, & qui gentium multitudine subdita gloriamini,& tyrannico,sæuóque imperio dominamini.

Et virtus ab Altissimo.Non virtus opposita vitio, sed dynastia, hoc 4.
est,potentatus:nam vt Apostolus ait ad Roma. 13.1. ***Non est potestas nisi à Deo.***

Qui interrogabit opera vestra. examinabit, exquiret, vel inquiret in opera vestra.

Et cogitationes scrutabitur. βουλὰς consilia perscrutabitur. quod nomen versu 5.vertit, ***voluntatem*** , cùm ait, ***secundùm*** βουλὴν, ***voluntatem,*** seu ***consilium ambulastis.***Qua cogitatione nulla magis in officio continet Principes,& Magistratus,sibi de omnibus reposcēdam rationem.

Nec custodistis legem iustitiæ. genitiuus ***iustitiæ,***licèt legatur ab Au- 5.
gustino in Speculo, in nullo tamen est codice Græco,videtur additus explicationis gratia. Et quanuis tribus verbis tria Iudicis vitia notari putetur,nempe corruptum iudicium, iniustum quod non secundum legem & neglectus cultus Dei:at ad idem tria hæc spectare videntur iudicis officium.

Apparebit vobis.instabit,superueniet citò,vel repentè Deus. 6.

Quoniam iudicium durum his, qui præsunt fiet. Iudicium durum in eminentes,vel in proceres fiet,in eos scilicet,qui sunt in potestate, ac dignitate constituti,quos opponit infimis plebeiis. Si autem ***horrendum est,quempiam incidere in manus Domini,***vt dixit Paulus ad Hebræ. 10.quid fiet de ministris Domini iudicibus?Psalm.81.***Deus stetit in synagoga Deorum, vel,***in cœtu iudicum , ***in medio autem Deos diiudicat,*** hoc est,facta,& consilia Iudicum inquirit.vt 2. Parali. 19. 6. dixit Iosaphat iudicibus à se delectis.***Videte,ait,quid faciatis : non enim hominis exercetis iudicium,sed Domini : & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit.*** Quod verò exemplo suo debeat præses suis subditis præire, ne incidat in manus Domini,ostendit Gregorius lib.Moral.24.cap.15.

Duriter iudicabitur iudex.

Exiguo enim conceditur misericordia. Minimus enim , seu plebeius 7.
dignus est misericordia , siue cui misericordia tribuatur; & multò facilius eam consequitur, quàm magni. ***Nam cui plus datum est, plus ab eo requiretur.***

Exigui miserebitur Deus.

Potentes autem potenter tormenta patientur Græcè , inquirentur , & examinabuntur , hoc est , acriter , seuerè , ac vehementer ratio commissæ potestatis ab illis reposcetur.

Subtrahet personam cuiusquam Deus. vel Dominus , vt habent Lu- 8.
cifer pro Athanasio,& Augustinus in Speculo, subtrahet,Græcè, ὑποστελεῖται, cedet personæ,aut parcet gratia ductus,aut metu : non enim formidabit , reuerebitur,aut dissimulabit personam omnium Domi-

Deus iudex æquus.

P nus

nus, hoc est, non personæ aliquam rationem habebit gratia adductus, vt eximat à suo iudicio.

9\. Paulinus. Augustinus.

Et æqualiter cura est illi de omnibus. Et similiter, vel pariter prouidet omnibus, aut curam habet omnium; vel, *de omnibus*, pro *omnibus*, legit Paulinus in Epistola. 4. ad Seuerum Sulpitium: tum & Augustinus in Speculo.

10\. Validiorũ est cruciatus grauior.

Fortioribus autem fortior instat cruciatio. ἔρευνα scrutatio, inquisitio, validis, inquir, valida instat inquisitio: & quia ex inquisitione sequitur cognitio delictorum, ex cognitione fertur sententia, & pœna infligitur, inde factum est, vt vulgatus per effectum cruciationis voluerit explicare causam inquisitionem, vel sapiens per eiusmodi causam voluerit supplicium intelligere, per metonymiam.

11\. *Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei.* Ad vos, ô Tyranni. Tyrannos vocat reges, ac principes in bonam partem: nam apud veteres nomen tyrannorum non minùs fuit honorificum, quàm regum; atque ita quoque vocauit initio capitis: postea eorum crudelitas fecit, vt hoc nomen malè audierit. Vnde videtur colligi, vetustum fuisse libri huius interpretem.

Et non excidatis. Ne delinquatis, ne labamini, aut ne offendatis. E Græco verbo παραπέσητε, hîc posito deriuatur nomen παράπτωμα delictum, aut peccatum, aut ne de regno decidatis, aut de statu vestro.

12\. Cyprianus. Augustinus.

Qui enim custodierint iusta iustè iustificabuntur. ita legunt Cyprianus in libro de singularitate clericorum, & Augustinus in Speculo, iusta pro sancta accipientes, vt Græcè habetur, qui custodierint sanctè sancta sancti habebuntur: sic enim ait Cyprianus, Non bene succedit quicquid agitur passim, & sanctum non est quod geritur sanctum, nisi sanctè quod sanctum est peragatur, sicut Salomon asserit dicens: *Qui enim custodierint iustè iusta iustificabuntur.* Et est sensus, qui iustitiam, sanctitatemque sanctè, iusteque coluerint, sancti, & iusti censebuntur. Vbi perspicitur sapientiæ nomine iustitiam, & sanctitatem accipi à Salomone.

Sapientia iustitia est Salomoni.

Et qui didicerint ista, inuenient quid respondeant. Et qui docti fuerint hæc, vel his docti, & eruditi inuenient apologiam, defensionem, qua in rebus aduersis, vel in Dei iudicio se tueantur: quando impij obmutescentes non habebunt excusationem, qua se defendant & sua delicta extenuent.

13\. Disciplina via ad sapientiam.

Concupiscite ergo sermones meos. diligite illos ποθήσατε, optate, vel desiderate & studemini, vel eruditionem consequemini: qua sapientes efficiamini: nam vt Philosophia studium est sapientiæ apud Philosophos; ita eruditio, seu disciplina diuinæ sapientiæ est adeptio.

14\. *Præoccupat, qui se concupiscunt.* vel Anticipat cupidos sui vt prænoscatur; id est, primas partes occupat in studio sapientiæ cognoscendæ, cùm vltrò se illis cognoscendam offert, qui cupiunt præcognoscere

gnoscere, vel sese prior ostendit, vt sic cognita in sui concupiscentiam excitet ardentiorem cupidos sui.

Qui de luce vigilauerit ad illam. Qui manicauerit. Qui manè, qui diluculo vigilauerit, aut surrexerit ad illam, non laborabit: foribus enim suis assidentem inueniet. Nemo enim illa diligentior, nemo solicitior, vt apprehendatur, & discatur, cùm sua nihil referat; ac omnis vtilitas in hominem refundatur. Hanc Dei sapientiæ auctoris erga homines liberalitatem, & inuitamentum, sic Isaias nobis depinxit cap. 55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate.* Et Christus Ioan. 4. 14. sic de sapientia loquitur Samaritanæ sub aquæ nomine: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* & Ioan. 7. 3. clamans in templo, *Si quis sitit, ait, veniat ad me; & qui biberit de aqua, quam ego dedero ei, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* 15. Deus sponte se offert.

Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus. Nam cogitare de illa, prudentiæ perfectio, vel prudentia est perfecta, aut consummata, vel ad prudentiam perfectam pertinet de illa vel solùm cogitasse: aut perfectè prudens est, qui cogitat de illa adipiscenda, qui adhibet medium certum ad eam acquirendam, nempe cogitare, curare, aut solicitũ esse de illa. Solet Vulgatus sensum vertere Græcum nomen φρόνησιν, quod est prudentia. *Et qui vigilauerit*; qui studiosè quæsierit, sine cura erit, sine labore: nam aderit illi, vt in sequenti versu. 16.

Quoniam dignos seipsa circuit quærens. hoc est, circumeundo, vel circumquaque quærit, vt eius solicitudinem, & studium erga sui amatores significet. 17.

Et in viis ostendit se illis hilariter: seu, & in viis apparet eis benignè φαντάζεται plus significat quàm simplex apparet, nempe, informare mentem, seu cogitationem, ita vt sapientia in viis, id est, in omnibus negotiis, præsertim grauioribus, & mirabilioribus, consiliis, & cogitationibus se obiiciat, & in eorum mentibus obuersetur, vt amicè se illis ostendat, & communicet, vt alliciat ad suum ducatum in omnibus sequendum. Sapientia occurrit omnibus.

Et in omni prouidentia. προνοίᾳ cogitatione, excogitatione, seu consilio *occurrit illis.* Nam sapientia ad quodcumque negotium aggrediendum, & quodcumque capiendum consilium, præstò adest mentem informans, vt rectè aggrediatur; certóque prouideat quod ad rem conducat: hoc enim est prudentiæ munus, facilè media inuenire, & offerre, & consilia dare necessaria ad rem qua de agitur. Certè Gregor. lib. 26. Moral. c. 8. & alij, ad sapientiam referunt, quod omni prudentia, & omni studio occurrat quærentibus se.

Omnibus autem his metaphoris id agitur, vt intelligamus Deum

Oblatio grata sapientiæ.

sapientiæ auctorem libenter, & gratis sapientiam impertiri his, qui habere illam cupiunt. Itaque B. Iacobus cap. 1. 5. inquit, *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat* Et Dominus Lucæ 11. 9. ait, *Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis.* Et Apocal. 3. 20. *Ego sto ad ostium, & pulso.* Et Prou. 8. 2. *Sapientia in summis, excelsisq́ue verticibus, in medius semitis stans, & iuxta portas ciuitatis, in ipsis foribus omnes magnis clamoribus vocat.* & cap. 9. 1. ad conuiuium lautissimum inuitat.

Cupiditas sapientiæ ostium.

18. *Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia.* Nomen ἀληθεςάτη cùm adiectiuum fœmineum sit, potest & cum ἀρχὴ fœmineo item conuenire, & cum sequenti ἐπιθυμία, & ita verti. *Initium enim ipsius verissimum disciplinæ cupiditas est*, vt ostendat, aditum certum ad sapientiam esse cupere discere, aut erudiri. vel, *Initium enim ipsius verissima est disciplinæ cupiditas*, non simulata, aut incerta, & ad alia desideranda distrahens: postulat enim totum hominem. Et hoc modo acceperunt omnes Interpretes. Docuerat sapientiam libenter se communicare cum his qui eius sunt cupidi, nunc ostendit quanta sit vis, quantaque vtilitas huius cupiditatis, idque iocunda gradatione.

Gradatio ad sapientiam.

19. *Cura ergo disciplinæ.* In Græco est δὲ, *autem*, aut *verò*, *Cura verò eruditionis amor*: nam prosequitur cœptam gradationem, nisi velis eam ab hoc loco exordiri.

20. *Custoditio autem legum.* Non repetiuit nomen membri præcedentis, vt ratio gradationis postulabat, nisi quoad significatum: nam vbi dictum est. *Et dilectio custodia legum illius est*, Græcum nomen ponitur τήρησις, quod est custodia: at mox cùm dicitur, *custoditio autem legum*, est προσοχὴ, quod est attentio, & diligens auditio, & obseruantia: qui autem audiunt quæ præcepta sunt à Deo, hi eius legibus obtemperant. Rectè ergo Vulgatus, vertit, *Custoditio*, vt gratia seruaretur gradationis in Latino sermone, quæ insinuabatur in Græco.

Augustinus.

21. *Consummatio incorruptionis est.* βεβαίωσις constitutio, vt legit in Speculo Augustinus confirmatio incorruptionis, vt sit quædam quasi certificatio, hoc est, persuasio, ac certissima spes incorruptionis, quam ostendit vel excitat obseruantia legum, vt 1. ad Timoth. 4. 10. dicitur, *fidelis sermo*, vel, *certus sermo, quòd opprobrium, & persecutionem patimur, quoniam speramus in Deo viuente. Incorruptionis*, ἀφθαρσίας, incorruptionis, integritatis, aut ab interitu immunitatis; ita legitur communiter in Græcis codicibus, vt in Complutensi, Regio, & Vaticano hîc, & in sequenti versu. Pauci autem habent, ἀθανασίας, immortalitatis, sed in idem recidit: obseruantia enim legis Dei certos nos reddit incorruptionis æternæ consequendæ. De hac sanè est sermo, de qua concludit, quòd ducit ad regnum, & proximos facit Deo.

Obseruantia legis dux ad immortalitatem.

Proximum Deo, facit in immortalitate: nam cùm Deus sit æternus, & immortalis, in accepta immortalitate, seu incorruptione ei homo

homo ſimilis fit. Sic Hugo explicat. At Lyra, & Dionyſius in puritate proximum Deo fieri intelligunt: nam obſeruantia mandatorum reddit hominem purum, & immaculatum, vt dicitur in Pſalmo 18. 8. *Lex Domini immaculata conuertens animas.* Et in hac puritate Deo puriſſimo, & ſanctiſſimo ſimilis homo fit; ſed ex ſequenti verſu conſtare, videri poſſet alicui, idem eſſe ad regnum perducere, quod proximum Deo facere, ac proinde ſermonem eſſe de futura incorruptione. Verùm de quo regno fiat mentio, mox dicamus.

Ad regnum perpetuum. Perpetuum, non eſt in Græco, ſed ſatis implicatur in regno futuro. Eſt autem hæc concluſio ex coaceruatione cauſarum ſyllogiſmi qui aceruus dicitur, per gradationem deductum, ad hunc modum. Veriſſimum initium ſapientiæ eſt eius cupiditas: cupiditas curam auget, cura amorem, amor ad obſeruantiam legis animum accendit: porrò obſeruantia diuinæ legis certum reddit hominem de futura incorruptione; incorruptio verò ad Deo fruendum perducit, cupiditas ergo ſapientiæ deducit ad Dei regnum. Verum enimvero ſermonem hîc non eſſe de regno cælorum in futuro adipiſcendo; ſed de regno terreno, ad quod conſequendum iuuat maximè ſapientia, oſtendit in primis, quòd ſuperiùs cap. 3. num. 3. probauimus, in veteri inſtrumento nunquam regni cœlorum mentionem factam inueniri. Deinde maximè quod in ſequenti verſu oſtendit Sapiens, de quo regno loquatur, cùm ait: *Si ergo delectamini ſedibus, & ſceptris, ô reges, populi, diligite ſapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Vnde in ſeipſo ſubiicit exemplum cap. 7. 23.

Gradatio ex coaceruatione.

Sapientia terrenum regnũ dat.

Si delectamini ſedibus, ſoliis, aut thronis, ſi throni vos delectant, & ſceptra. *ô Reges, ô tyranni populorum, honorate ſapientiam*, vel in ſummo pretio habete ſapientiam. Tyranni dicebantur, non infenſo nomine, qui ſummam obtinebant poteſtatem. 24.

Diligite lumen. hic verſus in nullo codice Græco repetitur, licèt habeant enarratores. 25.

Et quemadmodum facta ſit. extiterit, vel orta fuerit: nam ſtatim ortum eius geneſim appellat. 26.

Sacramenta. nam, *Dei*, non eſt in Græco; ſacramenta autem vocat myſteria, ſiue arcana ſapientiæ, nulli, aut paucis peruia.

Ab initio natiuitatis. vel conceptionis ipſius Salomonis, vt Hugo declarat, non ipſius ſapientiæ, cùm nihil aliud ſit, quàm ab origine inueſtigabo.

Ponam in lucem. in apertum, hoc eſt, palàm faciam, vel declarabo ſcientiam, pro, cognitionem eius.

Neque cum inuidia tabeſcente iter habebo. hoc eſt, non imitabor inuidia tactum, vt ne communicem ſapientiam. Non verſabor, nihil commune habebo nec cum eo, qui inuidia tabeſcit, quo verbo natura liuoris & inuidiæ ſignificatur: nam liuor tabificum malis vene- 27.

Inuidiæ natura.

num, intactis vorat passibus medullas: sapientia enim se omnibus communicat, quia *sapientia abscońsa, & thesaurus inuisus quæ vtilitas in*
Musarum fores patét. *vtrisque* Eccl. 20. 32. & veteres apertas dixerunt musarum fores, quoniam dona Dei candidè, ac liberaliter sunt communicanda.

28. *Multitudo autem sapientium, mundo est salus.* Non ait Scriptura, inquit Augustinus lib. 4. de Doctrina Christiana, cap. 5. *multitudo eloquentium, sed sapientium sanitas est orbis terrarum, stabilimentum*; hoc est, stabilis, ac firmus populi status consistit in prudentia regis.
Augustinus.

29. *Ergo.* ὥςι, *quapropter.* Conclusio est ex omnibus dictis. Erudimini sermonibus meis, & adiuuabimini, siue, *& proderit vobis.* Miosis est, nam multa, & infinita bona, quæ confert sapientia, illo verbo *proderit*, indicauit. Hunc versum sequenti capiti præfigit Hugo.

SAPIEN



SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT VII.

VETVS.

Sum quidem & ego mortalis homo, 1. similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro.

Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, 2. & delectamento somni conueniente.

Et ego natus accepi communem aërem, 3. & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans.

4. *In inuolumentis nutritus sum, & curis magnis.*

Nemo enim ex regibus aliud habuit 5. natiuitatis initium. 6. Vnus ergo introitus est

omnibus

NOVA.

Sum equidem & ego mortalis homo, æqualis omnibus, & terrigena prognatus protoplasto, & in vtero matris caro formatus sum.

Decem mensium tempore in sanguine coagulatus, ex semine viri, & voluptate vnà cum somno veniente.

Et ego autem natus traxi communẽ aërem, atque in terram iisdem passionibus obnoxiam decidi, ac primam vocem similem omnibus flens emisi.

In pannis, quibus infantes inuoluuntur, curísque sum educatus.

Nullus enim rex aliud habuit ortus initium.

Sed vnus in vitam est

omnium

omnibus ad vitam, & similis
exitus.
7. *Propter hoc optaui, & da-*
tus est mihi sensus: & inuocaui,
& venit in me Spiritus sa-
pientiæ:
Et præposui illam 8. *regnis,*
& sedibus, & diuitias nihil
esse duxi in comparatione illius.
Nec comparaui illi lapidem
9. *preciosum: quoniam omne*
aurum in comparatione illius,
arena est exigua, & tamquam
lutum existimabitur argentum
in conspectu illius.
Super salutem, 10. *& spe-*
ciem dilexi illam, & proposui
pro luce habere illam: quoniam
11. *inextinguibile est lumen*
illius.

12. *Venerunt autem mihi*
omnia bona pariter cum illa, &
innumerabilis 13. *honestas*
per manus illius.
Et lætatus sum in omnibus:
quoniam 14. *antecedebat me*
ista sapientia, & ignorabam,
quoniam horum omnium ma-
ter est.
Quam 15. *sine fictione di-*
dici, & sine inuidia communi-
co, & honestatem illius non abs-
condo.
16. *Infinitus enim thesaurus*
est hominibus, quo qui vsi sunt,
participes facti sunt amicitiæ
Dei,

omnium introitus, & idem exitus.

Propter hoc oraui, & prudentia mihi data est: inuocaui, & spiritus sapientiæ obuenit mihi.

Sceptris, ac thronis illam antepolui, & diuitias nihil putaui in cõparatione eius.

Nec verò ei lapidem preciosum cõparaui, quoniam omne aurum cum ea collatum arena pauca, & lutum existimabitur argẽtum cum illa comparatum.

Supra sanitatem, ac formæ pulchritudinem dilexi illam, & elegi eam habere magis quàm lucem, vt cuius splendor supprimi non potest.

Accesserunt autem mihi bona simul omnia cum illa; diuitiæque per manus illius innumerabiles.

Lætatus autem sum in omnibus, quoniam eorum dux est Sapientia: ego verò ignorabam eorum ipsam esse matrem.

Eam sine frustratione didici, & sine inuidia communico; diuitiásque eius non abscondo.

Est enim thesaurus non deficiens hominibus, quo qui sunt vsi, amicitiam cum

Dei, propter disciplinæ dona commendati.

Mihi autem dedit Deus dicere 17. *ex sententia,* 18. *præsumere digna horum,quæ mihi dantur:quoniam ipse sapientiæ dux est,& sapientiũ* 19. *emendator:*

In manu enim illius & nos, 20. *& sermones nostri, & omnis sapiẽtia,& operum scientia,& disciplina.*

Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt,scientiam 21. *veram: vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum.*

22. *Initium, & consummationem, & medietatẽ temporũ,* 23. *vicißitudinũ permutationes & cõmutationes tẽporum.*

Anni 24. *cursus, & stellarum dispositiones.*

Naturas animalium,& 25. *iras bestiarum,vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum.*

Et quæcunque sunt absconsa, & 26. *improuisa,didici:omniũ enim artifex docuit me sapientia.*

27. *Est enim in illa* 28. *spiritus intelligentiæ,* 29. *Sanctus,* 30. *vnicus,* 31. *multiplex,* 32. *subtilis,*

Deo contraxerunt, propter dona disciplinæ commendati.

Mihi verò dedit Deus ex sententia dicere,& cogitare dignè his,quæ dantur,quoniam ipse & sapientiæ director est , & sapientum moderator.

Nam in manu ipsius sumus & nos,& sermones nostri,omnis etiam prudentia, scientiáque opificiorum.

Ipse enim dedit mihi eorum,quæ sunt,cognitionem non falsam, vt mundi constitutionem , vímque elementorum intelligam.

Principium, finem,ac medietatem temporum , versionum mutationes,& commutationes temporum.

Annorum circulos,ac syderum positiones.

Naturas animalium, impetúsque ferarum iracundos,spirituum violentias, & cogitationes hominum,differentias plantarum, & radicum facultates.

Et quæcumque sunt occulta,& perspicua cognoui: nam omnium artifex sapientia me docuit.

Est enim in ea spiritus intelligens, sanctus,vnigenus, multiplex, leuis , mobilis,

Q splen,

tilis, 33. *diſertus,* 34. *mobilis* 35. *incoinquinatus,* 36. *certus,* 37. *ſuauis,* 38. *amans bonum,* 39. *acutus,* 40. *quem nihil vetat,* 41. *benefaciens,*

42. *Humanus,benignus,*43. *ſtabilis,* 44. *certus,* 45. *ſecurus,* 46. *omnem habens virtutem,* 47. *omnia proſpiciens,* 48. *& qui capiat omnes ſpiritus : intelligibilis,mundus,ſubtilis.*

49. *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia :* 50. *attingit autem vbique propter ſuam munditiam.*

51. *Vapor eſt enim virtutis Dei,* 52. *& emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſyncera; & ideo nihil inquinatum in eam incurrit.*

53. *Candor eſt enim lucis æternæ,* 54. *& ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis,* 55. *& imago bonitatis illius.*

Et cùm ſit vna, 56. *omnia poteſt: & in ſe permanẽs omnia innouat,* 57. *& per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei, & Prophetas conſtituit.*

Neminẽ enim diligit Deus, niſi eum,qui cum ſapientia 58. *inhabitat.*

Eſt enim hæc ſpecioſior Sole, & ſuper omnem 59. *diſpoſitio-*

nem

ſplendidus, incontaminatus, perſpicuus, innoxius, boni ſtudioſus,acutus, prohiberi neſcius,beneficus.

Humanus, ſtabilis, tutus, ſolicitudine vacuus, omnipotentia prædiʈus, omnia perſpiciẽs,atque per omnes ſpiritus intelligentes,puros, ſubtiliſſimóſque permeans.

Omni enim motu mobilior ſapientia,quę pertingit, ac vadit per omnia propter ſuam puritatem.

Eſt enim vapor virtutis Dei, & defluxus gloriæ omnipotentis ſyncerus:quapropter nihil in eam cadit impolluti.

Etenim lucis æternæ ſplẽdor eſt,atque ſpeculum virtutis Dei, nulla aſperſum macula, eiúſque imago bonitatis.

Cùm autem vnica ſit, omnia poteſt ; in ſeipsáque manens innouat omnia, & per ætates in animas ſanctas tranſcendens, amicos Dei efficit,& Prophetas.

Neminem enim diligit Deus,niſi cum ſapientia habitantem.

Eſt enim ipſa ſpecioſior Sole,ſupráque omnẽ aſtro-

rum

nem stellarum, luci comparata inuenitur prior.

Illi enim succedit nox, sapientiam autem 60. non vincit malitia.

rum situm collocata, & luci comparata prior inuenitur.

Hanc enim nox excipit, sapientiam autem non vincit malitia.

ARGVMENTVM.

Pollicitus Salomon dicere quis sit sapientiæ ortus, & qua ratione quærenda sit, & inuenienda, suo nunc id demonstrat exemplo: qui cùm esset eadem conditione cum ceteris mortalibus in lucem editus, nimirum fragili, misera, & abiecta, tamen ad summum sapientiæ fastigium est euectus, quòd eius possessionem omnibus antepofuerit, & summopere illam à Deo expetiuerit: simul autem ac eam consecutus est, eius pulchritudinem, & ingentem vsum expertus rebus omnibus prætulit.

COMMENTARIVS.

Similis. ἴσος, æqualis omnibus, hoc est, eadem, qua ceteri lege natus, ac conditione, vt scilicet moriar. 1.

Ex genere. Græcè, *& terrigena prognatus protoplasto.* id est, ex Adam, qui primus formatus est non, vt habent Codices Complutensis, Regius, & Ambro. in Psal. 118. *ex genere terreno. figuratus sum caro*: vel formatus, aut sculptus, vt notetur artificium Dei in formanda seorsim carne, quod spatio fit decem mensium, cùm coagulatio in sanguine, ex semine viri breuiori fiat tempore: vnde sic videtur hæc periodus distinguenda, *& in ventre matris figuratus sum caro decem mensium tempore,* deinde sequatur, *in sanguine coagulatus ex semine viri.*

Hominis fragilitas.

Et delectamento somni conueniente. somno conueniente, vel vnà cum somno veniente: nam somnum comitatur. dum noctu in lecto, eo tempore, quo solent homines somno indulgere, voluptati opera datur. Non ergo sermo est, vt volunt Lyra, & Isidorus de dulci infantium somno, quo perpetuò absorpti in vtero matris decem transigunt menses. Nocte conceptio conuenientior, quam somnus sequitur conceptui salutaris, eamque nocti Philosophi tribuunt & Medici & Iob dixit c. 8. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est conceptus est homo.* 2.

Conceptio nocte salutarior.

Et in similiter factam decidi terram. ὁμοιοπαθῆ, similiter patibilem, similiter affectam, vel iisdem, aut similibus passionibus obnoxiam terram, hoc est, in terram iisdem incommodis, malisque obnoxiam de- 3.

cidi. Terram autem accipit pro vita huius mundi, quæ super terram transigitur, cuius consimilis quædam conditio & patiendi, & moriendi omnibus proponitur. Eodem vocabulo vsi sunt Barnabas, & Paulus Actuum 14.14. cùm volentibus ipsis sacrificare Lycaonibus, dixerunt, *Viri, quid hæc facitis? & nos mortales sumus* ὁμοιοπαθεῖς ἐσμέν, *similes vobis homines*, hoc est, nos quoque iisdem, quibus vos obnoxij malis sumus homines, aut, natura nos iisdem, quibus vos, rebus afficimur. Et Iacobus, c.5.17. cùm dixit de Elia, *similis nobis passibilis*.

Fletus homini naturalis. *Emisi plorans.* Edidi flens, hoc est, edidi flebilem: nam id dat homo principium imbecillitatis suæ. Plinius in prœmio lib.7. naturalis historiæ, eleganter hoc tractans argumentum, queritur hominem ad vagitum statim, ac ploratum nasci, nec scire quicquam sine doctrina: non fari, non ingredi, non vesci, breuiter non aliud naturæ sponte quàm flere.

4. Nutritio fragilis infantium, & molesta. *In inuolumentis.* in fasciis, siue in pannis, quibus inuoluuntur infantes, in cunis quoque, siue in cunabulis, quibus infantes inuoluti nutriuntur. Verbo, ex quo hoc nomen deriuatur, vsus est Lucas cap.2.7. cùm de Maria Deipara dixit, ἐσπαργάνωσεν, *& pannis inuoluit eum.*

Homo natus omnibus destitutus. *Et curis magnis.* Adiectiuum, *magnis*, in nullo est codice Græco, quamuis satis certũ sit, magna, & perpetua solicitudine nutriri infantes, & educari pueros, quod natura nudi, impotentes, ignorantésque nascantur, cùm cętera animalia exiguo tempore parentum indigeant cura: quippe quæ vel plumis, vel pellibus natura mater induerit, instinctúmque ad quærenda sibi necessaria indiderit.

5. *Natiuitatis*, γενέσεως, generationis initium, vt comprehendat conceptionis modum, & ortus, vel ortus initium, vt simul loquatur de nutriendi infantes cura, & solicitudine.

6. *Vnus ergo.* Non est, *ergo*, in Græco, sed δὲ, *autem, verò*, aut *sed*: siquidem respondet præcedenti membro, Nullus rex aliud habuit nascendi initium; Sed idem, inquit, omnium est & introitus in vitam, & exitus. Quamuis ex prædictis omnibus videatur habere formam collectionis, quasi dixerit: Itaque concludimus, vel, Igitur colligimus æqualem esse omnium in vitam introitum, & æqualem exitum, quo parat, sibi Salomon viam ad experendam, consequendámque sapientiam.

Æqualis in vitâ introitus, & exitus.

7. *Propter hoc.* Quia æquam mihi esse cum aliis fortunam, & conditionem vidi, & in summa miseria, & rerum ignoratione me natum; nec posse meis viribus, ac industria sapientiam comparare, in hoc volui præferri aliis, quò à confugi ad sapientiæ auctorem, & largitorem; cognita ergo infirmitate mea, & Dei summam potentiam, & liberalitatem optaui.

Infirmitas cognita quid faciat.

Optaui. ἠὐξάμην, verbum εὔχομαι & orare, seu precari, & optare seu vota nuncupare significat. Vnde Psalm. 21. 26. *Vota mea reddam in conspectu timentium eum*, nomen εὐχὴ, ab illo verbo deductum, promissiones

siones, seu preces notat. Sed huic loco magis conuenit optandi significatum, in quo accepit Paulus Actuum 26.29. cùm dixit, *Opto apud Deum & in modico, & in magno.* Vt primum animi desiderium sit, deinde sequatur inuocatio, seu precatio, quàuis ipsum inferioris desiderium superiori ostensum oratio, seu precatio sit: atque ita Psal. 10. 17. dicitur, *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Existimo autem hîc verbum *optaui*, significare precationem Salomonis expetentis Sapientiam: nam 3. Reg. 3. eam expetiuit, & sequens oratio, *& inuocaui & venit in me Spiritus sapientiæ*, explicatio est præcedentis repetitæ. quæ supplicatio gratissima Deo fuit, vt ex dicto constat loco.

Sensus. φρόνησις prudentia data est mihi: nam eo nomine solet Græcum vertere Vulgatus.

Regnis, & sedibus. Græcè, sceptris, & soliis seu thronis. Per sceptra autem, & solia, metonymicôs intelligit regna, quorum illa sunt insignia, vt Vulgatus explicuit. 8. Sapientiæ precium.

Pretiosum. τιμητὸν, *pretiosum*, honorarium. Sunt qui legant ἀτίμητον, vilem, inhonorabilem, despectum, quo velit significare, quemuis lapidem pretiosum sine honore, ac sine pretio esse, si cum sapientia comparetur. Vnde sic legunt: Non comparaui ei lapidem, tanquam despectui habitũ præ sapientia; sed communis lectio habet, *pretiosum.* 9.

Et speciem & formam, seu formæ pulchritudinem. Præposuit sapientiam bonis fortunæ: iam illam præfert bonis corporis, saluti, & formæ, quibus tantùm præstat, quantùm corpori animus, cuius ipsa est sanitas, & pulchritudo. Similiter Iob cap. 28. 12. ita Sapientiam rebus omnibus anteponit. *Sapientia*, inquit, *vbi inuenitur? & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium. Abyssus dicit, non est in me; & mare loquitur, non est mecum. Non dabitur aurum obrisum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonycho pretiosissimo, vel saphiro. Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri. Excelsa, & eminentia non memorabuntur comparatione eius.* Et Salomon Prou. 3. 14. *Melior est*, ait, *acquisitio eius negotiatione argenti, & auri primi, & purissimi fructus eius: pretiosior est cunctis opibus, & omnia, quæ desiderantur huic non valent comparari.* Huc spectant duæ Saluatoris parabolæ, *de thesauro abscōdito in agro* Matth. 13. 44. *quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa, quæ habet, & emit agrum illum.* Et de pretiosa margarita inuenta, ibidem 46. quam vt compararet industrius negotiator, *abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Nam Sapientia thesaurus est, & margarita vnica. Quòd si *in Christo sunt omnes thesauri Sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi*; ad Colos. 2. 3. iure optimo Apostolus ad Philipp. 3. 8. *existimo*, ait, *omnia detrimentum esse propter eminen-* 10. Sapientia bonis corporis pretiosior. Sapientia quanti facienda. Christus auctor sapientię omnibus præferendus.

tem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.

Et proposui. Et elegi eam magis quàm lucem habere, hoc est, illam luci anteposui, aut vsum eius luci præoptaui.

11. *Inextinguibile* ἀκοίμητον, peruigil, insomne, irrequietum, non dormiens, laboris studiosum, quod ex hac lumen, hoc est, huic luci ex Sole mananti noctium successione accidit quies, & nox, vt ait versu vltimo huius capitis, in qua nocte quiescit homo à labore, & somnum capit: at lumen Sapientiæ nullo somno intermittitur, nunquam quiescit, semper in vigilia est, & in continuum laborem inducit: nam diu, noctuque, per somnium, & per vigiliam ita affulget homini, vt eum ad laborandum in animi cultura excitet, & accendat. Et hac ratione lumen Sapientiæ dicitur inextinguibile, quia vbi est, nunquam non illuminat: quemadmodum de amore dixit Gregorius homil. 30. in Euangelia, quòd nunquam sit otiosus, sed magna operetur si est, quia semper vrget ad operandum.

Sapientiæ lumen inextinctum.

Gregorius.

Amor laboriosus.

12. *Venerunt mihi omnia cum ea.* Id patet ex verbis Domini 3. Reg. 3. 11. dicentis Salomoni, *quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum: sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: ecce feci tibi secundùm sermones tuos: & dedi tibi cor sapiens, & intelligens; In tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc, quæ non postulasti dedi tibi, diuitias scilicet, & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retrò diebus.* vnde Christus Matth. 6. adducto exemplo ex gloria Salomonis, conclusit versu 33. *Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Adiicientur* dixit, non sine emphasi, quia exteriora bona, etiam non petentibus, & suis quoque inimicis largitur Deus, *siquidem Solem suum oriri facit super bonos, & malos.* Matth. 5. 45. *& pluit super iustos, & iniustos.*

Sapientia bona affert omnia.

13. *Honestas* πλοῦτος, opulentia, diuitiæ. Consueuit Interpres Græcum illud nomen, quod diuitias significat, nomine honestatis transferre, ab honore, quòd homines reddant honorabiles, vt facit etiam versu 13. cùm ait, *& honestatem illius non abscondo.* Consuetudine Hebræorum, qui donare aliquem dono vocant honorare, & honorem donum honorarium: nam Hebræum nomen כבד *cabod* ita solet vsurpari, vt Num. 24. 11. *decreueram quidem magnificè honorare te, sed Dominus priuauit te honore disposito,* id est, dono honorario, vt ex sequentibus intelligitur. Ita quoque Ecclesiasticus dixit cap. 38. 1. *Honora Medicum propter necessitatem,* quemadmodum Cicero lib. 11 epistol. famil. in episto. 44. ad Tyronem. Curio misi, ait, vt medico honos haberetur, id est, subsidiũ præstaretur. Et Paulus nõ semel ita accepit; ad Colos. 2. 23. *Non in honore aliquo ad saturitatem.* & 1. ad Timoth. 5. 3. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.* quod ver. 16. explicatur, dum dicitur,

Honos, pro subsidio.

tur. *si quis fidelis habet viduas, subministret illis, vt non grauetur Ecclesia, vt iis, quæ verè viduæ sunt, sufficiat*, & ver. 17. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Imò Christus Matth. 15. 5. ita intellexit mandatum Dei, *Honora patrem & matrem. Vos autem*, inquit, *dicitis, Quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcumque est ex me tibi proderit, & non honorificauit patrem suum, aut matrem suam, & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*

Antecedebat. ἡγεῖται, dux est sapientia, hoc est, quoniam sapientia dux est, auctor, caput, fons, ac mater omnium bonorum: hoc enim sequenti hemistichio explicat, cùm dicit, quòd eorum omnium origo, & mater sit sapiētia, cùm Deus ea omnia largiatur studiosis sapientiæ. 14.

Sine fictione. ἀδόλως, sine dolo, sine fraude didici, quia syncero corde illam ex animo, & fiducia quærendo: vt enim 1. cap. v. 5. dictum est, *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Sunt qui non ineptè passiuè interpretentur, sine fraude, quia non sum fraudatus opinione, quam de Sapientia conceperam; vnde Vatablus vertit, Sine frustratione didici, quòd non fuerit falsus, aut frustratus opinione quam de Sapientia habuerat, & commodis, quæ promittebat, quodque doctrinam eius veram, atque vtilem sit expertus, quapropter lætitia exultabat, quæ sapientiam comitatur, & iustitiam. Vnde Dauid frequentiùs iustos hortatur, *vt exultent in Domino*, cùm tamen insipientium cor felle, & amaritudine plenum sit. 15.

Et honestatem. Pro diuitias eius non abscondo, vt ver. 11. expositum est, vt Ecclesiastes 11. dicitur, *facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem*, id est, locupletare.

Infinitus ἀνεκλειπής, inexhaustus, indeficiens Nam Christus Lucæ 12. 33. eodem vocabulo dixisse refertur, *thesaurus indeficiens in cælo.* 16.

Participes. ἐστείλαντο, contraxerunt, vel iunxerunt amicitiam cum Deo, docet nempe Sapientiam conciliatricem esse amicitiæ cum Deo instituendæ propter dona ex disciplina illis profecta *Deo commendati.*

Ex sententia. sponte, liberè dicere, hoc est, dedit facultatem commodam orationis, qua concepta, ac cogitata animi facillimè exprimam, quæ facundia, seu eloquentia appellatur. Mihi autem det Deus, legit codex Vaticanus, & Gregor. 22. Moral. c. 17. Ex sententia ergo dicere, non est sententiosè loqui, sed facilè, & pro facultate ac voluntate re proposita dicere. 17. Ex sententia dicere, quid sit. Gregorius.

Et præsumere ἐνθυμηθῆναι cogitare vel præconcipere digna datis, vel iis quæ dantur Hoc pertinet ad grauitatem sententiarum, cui illa orationis facultas respondet: nam sunt, vt ait Cicero de Oratore, qui rectè sentiant, cùm tamen id, quod sentiūt non possint ornare, distinctéque dicere. Duo ergò sibi à Deo data gratulatur Salomon, & in loquendo facundiam: & præeligere, quod Vulgatus dixit, præsumere, ex cogitatis ea, quæ dicturus esset grauia, & digna tantis donis, id est, talia, 18. Facundia. Seria dicere.

lia, qualia decet dona à Deo data, & darorem eorum Deum, non leuia; ac ludicra, & inutilia; sed grauia, seria, & multæ vtilitatis, vtpo-
Gregorius. te ex sapientia profecta. Gregorius lib. 23. Moral. cap. 17. ita circa hunc locum philosophatur. Sit, inquit, plerumque vt fortiter dicant, sed tamen iuxta ea, quæ dicunt viuere nesciant. Vnde bene quidam Sapiens dixit, *Mihi autem Deus det hæc dicere ex sententia.* Sententia quippe à sensu vocata est: & recta quæ intelligit non ex sola scientia,
Dicere sentiendo. sed ex sententia dicere appetit, qui nequaquam tantummodò sciendo dicere, sed sentiendo desiderat experiri quod dicit. Hæc ille.

19. *Emendator.* διορθωτής director, conformator, moderator, benedi-
Deus eloquentiæ, & sapientiæ auctor. spositor: nam idem Deus tribuit hominibus, & sapientiam cordis, qua cogitent, & eligant quæ sint dicturi, & eloquentiam, siue moderationem orationis. Nam corrigit, disponit, & moderatur quæ dicenda sunt. Vnde subdit, quòd in manu eius sunt tum nos, tum sermones nostri.

20. Et sermones. λόγοι. Quidam hîc interpretantur, & rationes, seu & ratio nostra, qua dicenda cogitamus, & simul moderamur; sed veriùs sermones intelliguntur, quia de eloquentia Sapiens loquitur.

Et operum ἐργατειῶν, opificiorum scientia, hoc est, artes. Licet autem in Græco hæc tantùm legamus, *& omnis prudentia, & opificiorum*
Ambrosius. *scientia,* Vulgatus tamen addidit, *& disciplina.* & cum eo Ambrosius lib. 1. de vocatione gentium, cap. 9. Profectò breui sermone perfectæ
Eloquentiæ partes Salomoni datæ. eloquentiæ partes sibi à Deo tributas ostendit Salomon. Inuenire quæ esset dicturus; cui maximè deseruiebat scientia vera rerum naturalium, quam sibi datam statim dicit. Disponere, dum datum est illi præeligere digniora, & eloqui, dum sermones ministrantur ad excogitata, & disposita rectè proferenda.

21. *Veram.* ἀψευδῆ, non falsam, hoc, est, scientiam physicorum, quæ sunt à natura, aut rerum naturalium, à mendacio, erroreque remo-
Philosophia data Salomoni. tam, quorum hîc certa capita proponit. Largitus est ergo Deus Salomoni gratias illas, quas Theologi gratis datas appellant, & idcirco scientiam veram eorum, quæ sunt à natura: nam quæ humano studio acquiruntur, multa falsa veris habent permista.

Dispositionem σύστασιν constructionem, seu constitutionem mundi, vt intelligam qua ratione constitutus sit mundus, quibúsque parti-
Ambrosius. bus constet, & quo ordine dispositis. Ambro. lib. de fide resurrectionis,
Origenes. legit *compositionem,* Origenes homil. 21. in Lucam, *rationem mundi.*

Et virtutes. ἐνεργείας, energiam, vim, efficacitatem elementorum hoc est, quam vim habeant in agendo singula elementa.

22. *Initium.* De toto temporum cursu loquitur, in quo series continuata à primordiis per media ad finem vsque à sapiente obseruatur:
Philosophus quis. is enim verè Philosophus habendus est, qui rerum principia, progressus, incrementa, & exitus potest perspicere.

Con-

Consummationem. Vocat annorũ circuitum, Græci periodum nuncupant, quem Deus rebus à se conditis destinauit; sicuti de homine ait Iob cap. 14. *Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Videtur hoc ad Chronographiam spectare. Chronographia.

Vicissitudinem. τροπῶν versionum mutationes, hoc est, Solis conuersiones duas, hybernam, qua ad nos accedere incipit, & æstiuam, qua non vltrà progreditur, sed incipit recedere ad inferiores circulos, Solstitia hæc appellantur, & duo tropici. Vnde quidam hîc vertunt, *Solstitiorum mutationes*, seu *vicissitudines.* 23. Solstitia.

Commutationes temporum. nempe quatuor illas, hyemis, veris, æstatis, & autumni, quas similiter vocat Cicero lib. 1. Tusculanarum quæstionum, vicissitudines dierum, & noctium, commutationésque temporum quadripartitas, ad maturitatem frugum, & ad temperationem corporum aptas. Temporis partes.

Cursus. Κύκλων, cyclos, circulos, hoc est, Solis conuersionem, quæ annum conficit, & vulgus vocat reuolutionem. 24.

Dispositiones. θέσεις, theses, positiones, & situs stellarum, seu syderum, quæ tradit Astronomia. Astronomia.

Iras bestiarum. θυμὸς, iracundos impetus ferarum, seu vim irascibilem bestiarum. 25.

Vim ventorum. Βίας violentias spirituum, hoc est, ventorum impetus, & flatus illorum videntes.

Cogitationes. διαλογισμὸς, non singulorum hominũ mentis cogitata; sed in vniuersum, dialogismos, discursus, seu ratiocinationes hominũ.

Virgultorum. φυτῶν, plantarum. Ambrosius lib. de Abraham legit, ***herbarum***, & lib. de Salomone, arborum. Ambrosius.

Improuisa. ἐμφανῆ, perspicua, aperta, & manifesta. Conclusio est ex superioribus deducta. Et demum, inquit, quæcumque siue occulta, siue aperta, siue clara, siue obscura, mihi nota facta sunt à sapientia. Improuisa dixit Vulgatus, quæ adeò peruia erãt, & manifesta, vt præuideri minimè egerent. Cùm ergo Dauid gratias Deo agat Psalm. 50. 8. dicens, *Incerta, & occulta Sapientiæ tuæ manifestasti mihi*, Salomon filius eius vlteriùs gloriatur, quòd ea, quæ facili negotio humano studio haberi possent, sapientia tamquam mater, & magistra ei exposuetit, & docuerit. 26.

Ex quibus omnibus satis colligitur, Deum bonorum largitorem affluentiùs, & abundantiùs donare, quàm postuletur: siquidem Salomoni sapientiam ad gubernandum postulanti adiecit scientiam omnium rerum naturalium, tam affluenter, vt solo primo parente fuerit hac in parte inferior. Nam in primis largitus est summam eloquentiam, scientiam de moribus, omnes artes, Philosophiam naturalem, Astrologiam, Chronologiam, Historiam naturalem, Logicam, & demum alia quæcumque nosci possunt. Vnde 3. Regum Deus supra postulata dat. Solo Adamo Salomõ inferior. Scientiæ inditæ Salomoni.

R

gum 4.29. dicitur: *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, sicut arenam, quæ est in littore maris: & disputauit super lignis à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete: & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus.* & 3. Reg. 4.32. *Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinque & mille.* & denique Ecclesiasticus cap. 47.16. *Impletus est quasi flumen sapientia, & repleuit in comparationibus ænigmata, in canticis, & prouerbiis, & comparationibus, & interpretationibus eius mirata sunt terræ.*

27. Quæstio. Num hæc attributa sapientiæ creatæ an increatæ sint? De creata loqui probatur.

Est enim in illa. Sapientia videlicet. Enumerat omnia sapientiæ attributa ad eius commendationem. Verùm graue dubium est, num hæc dicta sint intelligenda de sapientia increata, an de creata solùm, quæ Salomon fuit communicata? Videri posset de illa tantùm sapientia sermonem hîc institui, quæ hominibus communicatur; quæ est sapientia creata, & probatur, de illa sapientia loquitur Salomon, quam cap. 8. & 9. efflagitat à Deo sibi communicari ad rectè suum regis munus obeundum; sed afflagitat creatam, & infusam, ergo de ea priùs locutus fuerat. Deinde quia sapientiam sibi tamquam donum Dei efflagitat; sed sapientia increata non donatur, nisi quoad aliquem effectum, at proprius increatæ sapientiæ effectus à Salomone postulatus, est creata sapientia: de hac ergo sola sermonem habet.

De sapiẽtia increata. Origenes. Ambrosius. Augustin.

Expositores tamen omnes cum Origene, Ambrosio, & Augustino, cum aliis Patribus, de sapientia increata hunc locum explicant. Quod multa hîc conglobentur eius attributa, quæ nisi illi conuenire nequaquam possunt. Nam quòd sit omnium artifex, quòd omnipotens, quòd omnia prospiciens, quòd per omnes permeet spiritus intelligentes, puros, subtilissimos, & quòd attingat vbique, & quòd adfuit tunc cùm Deus orbem terrarum faceret, creatæ sapientiæ, finitæ, & terminum habenti minimè possunt conuenire. Sed cùm tripliciter intelligi possit increata sapientia, aut Dei Verbum æternum, aut Spiritus sanctus, aut summum Dei attributum, quod sapientiam vocamus, vt iustitiam, bonitatem, & eiusmodi, adhuc quæstio est, de qua harum sit hic locus exponendus.

De sapiẽtia Patris. Origenes. Augustin.

Origenes lib. 1. Periarchon, cap. 2. & Augustinus libro de natura boni, cap. 29. & lib. de Incarnatione cap. 13. & sequentibus, de sapientia Patris, quæ est Verbum Dei, voluntt intelligi, quòd Verbum, quod per intelligentiam producatur, dicatur sapientia, 1. ad Cor. 1.24. *Christus Dei virtus, & Dei sapientia*, & notat Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 2. per appropriationem quandam. Vnde de verbo Dei explicant id quod dicitur, quòd *sit vapor virtutis Dei, candor lucis æternæ, speculum sine macula, & imago bonitatis illius.*

De Spiritu sancto Ambrosius.

Ambrosius tamen lib. de Incarnationis dominicæ mysterio, cap. 10. & lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 19. & 23. & Gregorius Nazian. orat. 5. de

de Theologia,& omnes ferè huius loci Interpretes, de Spiritu sancto hæc omnia intelligunt,quòd is sit,qui suis amicis sapientiam affluenter largiatur:nam 1.Cor.12.cùm Apostolus multa numerasset charismata,sapientiæ, scientiæ, prophetiæ, discretionis spirituum, linguarum,interpretationis sermonum, subdit versu 11. *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* & Christus Ioan.14.26.de Spiritu sancto dixit : *Paraclitus autem Spiritus sanctus,quem mittet Pater in nomine meo,ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia,quæcumque dixero vobis.* & cap.16. 13. *Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et omnia quidem ornamenta,quæ hîc enumerantur, rectè Spiritui sancto conueniunt, vel suapte natura, vt quæ suprà retulimus, vel tamquam auctori, ac causæ,vt quòd sit Spiritus intelligens, sanctus, vnicus, multiplex, & cetera:nam hæc in hominibus operatur.

Nihilominus verius videtur hîc non esse sermonem de sola creata sapientia,cùm multa hîc dicantur attributa,quæ ei non possunt conuenire;& omnia vel tamquam auctori,& fonti conueniant increatæ. Sed hoc nomine, nullam Trinitatis personam accipit Salomon, sed diuinum attributum Sapientiæ,quod Deo attribuitur,de quo Augustinus lib.7.de Trinit.cap.2.& 3.per hanc enim Deus & creauit mundum,& eum conseruat,& prouidet,ac prospicit omnibus rebus dum Diuinis sedibus assistit.In hac est Spiritus intelligens: hoc est; hæc diuina sapientia spiritum cælitùs demittit, in sui amatores, qui mentem eorum excitat ad intelligendum,sanctitate dedicat, atque cetera donat,ac præstat, quæ hominum saluti, & diuinæ gloriæ conducentia sunt.Hæc autem omnia, cùm Deus homini tribuat, & non tantùm Filius,aut Spiritus sanctus, cùmque aptiùs de diuino sapientiæ attributo exponantur,quæ artifex omnium est, & sedium diuinarum assistrix;quæ Filio,& Spiritui sancto non aptè conueniunt, meritò de ea hæc explicanda sunt,ex qua omnia ornamenta,& charismata sibi tribui postulabat Salomon.Ita enim tam ingentibus sapientiæ propositis encomiis ab increata petitis, facilè homines, ad sapientiam quærendam excitabit;& Deum gloriosum promerebitur, ac inducet, vt eius charismata,quæ cum creata sapientia coniuncta sunt, eis communicet, quemadmodum charitatis munia excellentiora reddimus,enumeratis diuinæ charitatis magnificis ornamentis,& attributis.

De attributo sapiētiæ.

Augustinus.

Ex increatæ sapientiæ laude creatā optamus, & petimus.

28. *Spiritus intelligentiæ.* Spiritus,cùm per metaphoram à vento sumptam corpus impellente,sit amor veri boni, quo Deus sua summa sapientia impellit, agítque volentem hominem ad verum bonum; idcirco Salomon dicit in Sapientia esse Spiritum hoc est,sapientiam indere homini spiritum ad Deum verum supremum bonum impellentem multiplicibus officiis, variísque virtutibus: nam licèt diuisiones gratiarum sint,at idem est Spiritus,omnes illas ad vnicum Deum

Spiritus quid.

Sapientia impellit ad Deum.

exercens,& promouens. Refert autem illis in locis Ambrosius hæc
Augustinus. omnia officia,licèt in paucis varièt, quæ sunt à nobis sigillatim explicanda.

Ambrosius. *Spiritus intelligentiæ.* Vt legit quoque Ambrosius. In Græco dicitur νοερὸν, *intelligens*, quidam vertunt, *Sagax*, alij intelligentem dictum Spiritum hunc putant,vt intelligatur esse Spiritus,non crassus,& materiæ immersus,sed abstractus à materia,& separatus; qua ratione spiritus cælestes intelligentiæ dicuntur. Verius est,id primum quod operatur diuina sapientia in sui studiosis esse,indere spiritum,siue impul-
Intelligētiā indit salutarium. sum,aut amorem intelligendi quæcumque Deo grata,& spiritali profectui conducentia sunt.siquidem amare, ac solicitari studio intelligendi necessaria, initium est salutis; ostiúmque boni spiritualis, per
Nazianzen. quod qui non intrat,in deuia ibit præceps.Gregor.Nazian. orat. 5.de Theologia referens hunc locum, vocat Spiritum intellectilem, hoc est sapientissimum.

29. *Sanctus.* ἅγιον; quia sanctos,ac Deo deuotos reddat habentes : est enim præcipuè sanctitas,veneranda quædam dignitas eorum,qui vitæ
Deo deuouet. Cultui Dei dicata, Sancta. continentia ad Deum quàm proximè accedunt: vt eorum,qui diuino cultui sancti,ac dicati sunt. Vnde & quæcumque illi subseruiunt,sancta dicuntur, templum, vasa, ministri, & huiusmodi. Idcirco Iacobus cap.3.finæ epistolæ v. 17. *Quæ de sursum est*, inquit, *sapientia, primùm quidem pudica est:* nam statim spiritus ille intelligens hanc mentem indit,vt se quis Deo famulando dedicet,sanctéque deuoueat. hoc at-
Ambrosius. tributum non habet Ambrosius.

30. *Vnicus.* μονογενὲς, vnicus,simplex,vel vnigenus, quòd quemadmodum diuina sapientia vna cùm sit,tam diuersas virtutes, & opera, ad vnam Dei gloriam omnia in mundo operatur,ac refert:ita hic spiritus ex illa profectus,omnia hominis munia,& omnia officia,vnius gene-
Ad vnum finem omnia refert. ris efficit,dum vnum omnibus finem præstituit, ad hoc ea omnia dirigens,vt voluntati diuinæ subseruiant, eámque tamquam regulam sequantur; & vno amoris vinculo omnia colligantur : & tamquam
Ex vnitate pacifica est sapientia. pretioso auro exornentur. Atque ex hac parte habet spiritus sapientiæ vt sit pacificus:nam ita Iacobus eo loco vocauit sapientiam, quæ de sursum est,pacificam; & Paulus ad Ephes. 4. 3. scribit, *Soliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis:vnum corpus,& vnus spiritus,sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ,vnus Dominus,vna fides,vnum baptisma,vnus Deus,& Pater omnium,qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.*

31. *Multiplex.* πολυμερὲς, multimembris, multarum partium, multis
Greg. Naz. Multorum operum auctor. constans partibus, vt mundum vocat Aristoteles. Gregor. Nazianz. orat. 5.de Theologia, hunc locum referens de Spiritu sancto, multiplex explicat, agendi facultate varius, ac multiplex, vel, quod vnus cùm sit per singulas mundi partes, se quasi per ramos diffundat,&

mul

multiplicet, ac varios sapientiæ modos in eis efficiendis, ac conseruandis operetur. Vel potiùs, vt videtur Nazianzeno, propter varias gratias, diuersaque dona, & multiplicia officia, quæ, vnus cùm sit, exercet, vel in Ecclesia vniuersa, vel in hominibus singulis. Ita Cicero lib. 1. de legibus, multiplex vocauit hominis ingenium, illis verbis: Animal hoc prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilij, quem vocamus hominem. Multiplex vocat, & quasi varium, quòd multas, & diuersas res comprehendere potest, easque ratiocinatione colligere. Cicero.

32. *Subtilis.* λεπτὸν tenuis, vel quòd in omnia penetret, etiam profunda Dei, vt dixit Apostolus. 1. ad Cor. 2. nam vt mens dici solet subtilis, quòd arguta sit, & in intelligendo exacta: ita Spiritus sapientiæ subtiliter, & argutè intelligit quæ Dei sunt, & animo salutaria. Quidam subtilem, aut tenuem exponunt, quòd nulla mole, corporeáque crassitie grauatus sit, sed leuis, agilis, & expeditus: nam propterea statim dicitur mobilis. Agilis.

33. *Disertus.* τρανὸν. Græci codices hoc loco post *mobilis*, statuunt hoc attributum, & Ambrosius, Gregoriúsque Nazianzenus; Vulgatus tamen inuerso ordine posuit. Est autem τρανὸν clarus, apertus, illustris, perspicuus, ac disertus, qui omnia explicet, ac illustret, vt declarat Nazianzenus: quod ad sermonem pertinet, qui verba aliunde suppeditat ad mentis sententiam aperiendam, & perspicuam faciendam: & expeditus sit in discernendo, & referendo quę oporteat. Vnde infrà c. 10. 21. eodem Gręco vocabulo dicitur, quòd *sapientia linguas infantium fecit disertas*. Et Isa. c. 35. 6. prædixit, quòd *aperta erit lingua mutorum*; vt Apostolorum, qui Actuum 2. 4. Spiritu sancto edocti *cœperunt loqui varijs linguis magnalia Dei, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*. Et Actuum. 6. 10. Iudæi disputantes cum Stephano, non poterant resistere sapientiæ, & Spiritui qui loquebatur. Ambrosius. Nazianze. Aperit mētem.

Sunt qui hoc nomen ad splendorem referant, quòd Spiritus sapientiæ splendidus sit, ac lucidus. Alij ad vigorem, quòd sit integer, solidus, adultus, non diminutus in operando, vacuus, ac puerilis; idque sentiunt quòd in priori significatu statim additur, quòd sit manifestus; & vt hæc duo attributa distinguantur, diuersa eorum significata sunt distinguenda: sed ex vtriusque explicatione patebit, quàm diuersum habeant significatum; vt non sit necesse in alio ab eo, quod vulgatus indicabit, accipere.

34. Mobilis. εὐκίνητον Ante præcedens constituunt Græci codices hoc attributum, & Ambrosius, qui lib. de Incarnationis Dominicæ sacramento, c. 10. vertit, *bonus mobilis*; sed melius lib. 3. de spiritu sancto, c. 19. *benemobilis*. Vulgatus transtulit *mobilis*, vt Vatabli interpres, *vegetus*, quòd in omnes partes celeriter moueatur; vel quòd in omnibus negotiis facilè occurrat, ac præstò adsit, vt bene gerantur: nam Sa- Ambrosius.

R 3 pientia

pientia celeriter ingerit bona consilia,& conducentia media ad bene præstandum quod menti est.Potest & sic accipi,vt Spiritus, quem indit homini sapientia,benemobilis sit, quia hominem facilem reddit, & benemobilem ab Spiritu sancto ad quodcumque bonum opus, & ad excellentiora quædam peragēda:nam qui facilè Spiritu Dei aguntur,& à sapientia bene mouentur, illi se dociles,faciles, subiectósque præstantes,hi sunt filij Dei,& studiosi amici sapientiæ,vt animalia, ac rotæ ad motum Spiritus ferebantur, Ezech.1.20.

Sēsus alius.

Facilè mobilis ad bonum.

35. Incoinquinatus. Ἀμόλυντος, *incontaminatus*, vel *immaculatus*, vt legit Ambrosius, *impollutus, purus ab omni inquinamento*,vt explicat Nazian. *omni labe,maculáque vacuus*: habet enim splendorem purum, & lucem absque vllis tenebris,vt Deus,qui,vt 1.Ioan.1.5.dicitur, *lux est, & tenebra in eo non sunt vlla*: vel tantam puritatem, vt neque labe peccati,neque corporis sorde aliqua infectus sit; vt de Christo dicitur 1.Petri 2.22. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Ita purus est ab omni sorde spiritus sapientiæ.

Ambrosius. Nazianze.

Purus ab omni labe.

36. Certus. σαφὲς, *certus,manifestus*,legit Ambrosius, *perspicuus,indubitatus,& euidens,expeditum* vertunt alij.Nazianzenus pro eodem accipit disertum, & certum, quod ille explicat, perapertus, & clarus, quòd omnia explicet, ac declaret.Verùm σαφὲς propriè est,ita certus, & exploratus, ac euidens, vt neque erret ipse, nec in errorem inducat habētem. Differt igitur à τρανὸν quod significat perspicuum in sermone; qui facilè suam sententiam proferat; à σαφὲς, qui ita certus est de veritate,vt in sentiendo non erret.

Ambrosius. Nazianzenus.

Disertus, & certus qui differant.

37. *Suauis* ἀπήμαντον, *illæsus,innocuus, innoxius*, aut, *incolumis*. vertunt alij; *inuiolabilis*, Ambrosius,& rectè:nam is est Spiritus sapientiæ, cui nocumentum nemo inferat,nec possit inferre; cumque suos inoffensos reddat, ac incolumes, nec permittat ab aliquo lædi, aut violari, suauem se eis proculdubio præstat,vt vertit Vulgatus.

Ambrosius. se suosque illæsos seruat.

38. *Amans bonum.* φιλάγαθον, *amans bonum*, vt Ambrosius cum Vulgato legit:vel,*boni studiosus*, quia ad quodcumque bonum inducit habentem,& ad id facit propensum.

Ambrosius.

39. *Acutus.* ὀξὺ, quod celeri transit motu, & sensum penetrat; quod instar acus in omnia penetret, & faciat de quacumque re acutè disserere.

40. *Quem nihil vetat.* ἀκώλυτον, *expeditus,cui agenti nihil obstat,prohiberi nescius,nullius imperio addictus,qui non possit prohiberi*: ita enim vi sua peruadit omnia,vt impedimenta quæque perrumpat. Gregorius Nazia. explicuit, *minimè impeditus*, hoc est, liberam habens potestatem. Ambrosius his duobus Græcum nomen exposuit, *prouidus, possibilis*, nisi aliud sapientiæ officium legerit in Græco,vt significet, ita sapientiæ Spiritum prouidere saluti hominis, vt possit præstare quod prouidet, & sub nullius redigi potestatem.

Sapientia non impeditur. Nazianze. Ambrosius.

Benefaciens

Benefaciens. ἐυεργετικὸν, *beneficus.* Ambrosius legit, *munificus*: nam dona confert,& beneficia largissimè præstat,tum ipsi habenti, tum in alios facit ipsum liberalem. *Dat omnibus affluenter,nec improperat.* Iacobi 1.5. 41.

Humanus. φιλάνθρωπον, *benignus* dixit Ambrosius;duobus explicuit Vulgatus, *humanus*, *benignus*; est autem humanus, aut amans homines;quorum saluti totus incumbit. 42. Ambrosius.

Stabilis. βέβαιον, qui in fide perstat, qui idem constat in omnibus, nec leuiter mutatur. 43.

Certus. ἀσφαλὲς, *firmus,tutus, munitus ab aduerso casu, qui non fallatur,aut labatur. Certus*, dixit Vulgatus in alio sensu, quàm suprà dixerat. Ambrosius, *integer*, quòd certum faciat habentem se nihil detrimenti passurum,quòd tutus,rectéque munitus sit;vnde sequitur securitas. 44. Ambrosius. Tutum facit.

Securus. ἀμέριμνον, *tranquillus,sine cura.* Rectè dixit Ambrosius, *sine solicitudine*, quòd quietum reddat,ac tranquillum, vacuumque solicitudine,ex eo,quòd tutus sit,ac bene munitus. 45. Ambrosius.

Omnem habens virtutem. παντοδύναμον, *qui omnia potest*, dixit Ambrosius,& Gregorius Nazianzenus orat.5. de Theologia, *omnipotens*, vel, *omnipotentia praeditus*, vt dixit quoque idem Ambrosius lib.3. de Spiritu sancto,cap.23.nihil est enim,in quod non possit Sapientia diuina suam exercere potestatem;& eius virtute creata sapientia in omnia potest hominum saluti conducentia: quemadmodum Apostolus dicebat ad Philip.4.13. *Omnia possum in eo,qui me confortat.* 46. Ambrosius. Nazianzenus. Omnipotens.

Omnia prospiciens. πανεπίσκοπον, *omnia lustrans*, vt habet Gregorius, vel, *qui omnia spectat*, vel, *qui speculator sit omnium*, vt dixit in duobus illis locis Ambrosius:aut, *omnium Episcopus*, quòd instar episcopi omnia circumspiciat, omnia scrutetur,ac visitet,vtrùm suo munere rectè fungantur. 47. Gregorius. Ambrosius. Episcopus omnium.

Et qui capiat omnes spiritus intelligibilis, mundus, subtilis. καὶ διὰ πάντων χωροῦν πνευμάτων νοερῶν καθαρῶν λεπτοτάτων. Ad vnum spiritus sapientiæ officium referunt hæc omnia ceteri interpretes,& Complutensis,Regius, ac Vaticanus: tum etiam Nazianzenus, cùm ait: Per omnes spiritus penetrans,intellectiles,puros,tenuissimos;hoc est,per angelicas, vt opinor, copias; quemadmodum & per propheticas,& apostolicas. Et Ambrosius:& per omnia, ait,penetrans spirituum intelligibilium. Alij vertunt, *& ad omnes capax spiritus intelligentes,mundos,subtilissimos.* hoc est & per omnes permeans,aut penetrans spiritus intelligentes, puros, subtilissimos: nam omnes spiritus, siue hominum,siue Angelorum sapientia penetrat,& comprehendit. Cùm autem in omnibus Græcis codicibus,quos licuit videre illa omnia Græca vocabula in genitiuo plurali sint, vt accepere Gregorius, Ambrosius,& omnes interpretes, mirum est,quomodo solus Vulgatus transtulerit 48. Penetrans omnia. Nazianzenus. Ambrosius. Lectionis ratio. Nazianze. Ambrosius.

Spiritus sapientiæ penetrat omnia. stulerit tria illa, ac si in singulari fuerint posita, *intelligibilis, mundus, subtilis*, præsertim cùm tria hæc Spiritus sapientiæ ornamenta suprà iam posita sint. Nam primum huius Spiritus attributum fuit νοερὸν, intelligens octauum, *incontaminatus*, seu purus; quintum verò λεπτὸν. *subtilis*. Videtur legisse Vulgatus Codicem Græcũ tria hæc in singulari habentem absque ω mega, & ita est interpretatus, vt sit spiritus intelligibilis qui se facilè cognoscendum præbeat, & purus, ac subtilissimus.

49. Augustinus. Fulgentius. *Omnibus mobilibus mobilius est Sapientia*. Græcè, omni enim motu mobilior est sapientia: nam celeritate motus sui omnem motum vincit, cùm motus sapientiæ agilior ac celerior omnibus motibus celeribus. Vt ex hoc loco affert Augustinus lib. 4. de Genesi ad literam, cap. 12. Fulgentius in responsione ad 6. contra Arianos legit, *omnium mobilitantium mobilior est sapientia*. Porrò particula rationalis enim, ostendit hic reddi rationem cur Spiritus sapientiæ permeet, ac penetret spiritus hominum, & Angelorum, quantumuis puros, & subtiles; quia videlicet celertimè, imò in instanti peruadit omnia non minùs quàm spiritus subtilissimus, & tenuissimus penetrat intima quæque domus; & Sol sua luce abdita quæque ingreditur, & illustrat: nam à sapientia habent quod intelligant, & sapiant. Sic accepit Gregorius Nazianzenus orat. illa 5. de Theologia, dum explicans illam sapientiæ virtutem, quando per omnes spiritus penetrat per Angelicas copias, quemadmodum & per Prophetias, & Apostolicas, eodem temporis momento, nec tamen eisdem locis (alij enim eorum alibi fusi ac sparsi erant) quod quidem perspicuè ostendit, eum nullius loci circumscriptione definiri, loquitur de Spiritu sancto, de quo hunc locum intelligit.

50. Augustinus. *Attingit autem vbique*. Græcè, *peruenit autem, & vadit per omnia* propter puritatem. Augustinus lib. de natura boni, cap. 29. legit, vt etiam Fulgentius loco citato, *attingit autem omnia per suam munditiam*, hoc est omnia peruadit, ac penetrat nec impeditur vllis rerum sordibus, quin eas penetret, ne coinquinetur: adeò enim pura est, & munda sapientia vt à nulla re inficiatur. Videtur autem & hæc sententia ad eandem prædictam rationem spectare, vt Nazianzenus indicauit.

Nazianzenus. Solis, & sapientiæ similitudo. Quemadmodum ergo Sol in cœlo cùm sit, progredi dicitur vsque ad terram, quousque ad illã eius radij perueniant, & luce sua omnia permeat, etiam loca sordida, nec tantùm maculatur, ita quatenus diuinæ sapientiæ similitudo gradatim progreditur per effecta, à supremis ad infima, dicitur moueri, & omnia peruadere, nec tamen in aliquo à rebus sordidis, in quibus ipsa quoque relucet, inquinatur, propter suam puritatem. Quod perspicuum fit in peccatis permittendis, è quibus quàm sapienter multa eruat bona, multa hominibus commoda, & Deo multam pariat gloriam diuina sapientia, certius est, quàm vt à me opor

me oporteat explicari. Quòd autem diuina ſapientia in Deo ipſo per maneus ad hæc infima ſe dimittat, eleganter nos docuit Dionyſiu Areopagita in l.b. de cæleſti Hierarchia, cap. 1. his verbis: Neque enim vnquam ipſa ſua illa intima coniunctio deſerit, ſed cùm ad excitandas in cœlum hominum mentes, coniunctionemque eorum, quæ prouidentia reguntur, largè benignéque augeatur, & progrediatur, manet tamen ipſum ſecum firmum ac ſtabile, in eodémque ſtatu immobili fixum permanet. Videtur autem hoc loco per quandam proſopopœiam depicta ſapientia, quaſi fœmina clariſſima, & ſapientiſſima omnium magiſtra, ad cuius gymnaſium, tanquam diſcipuli admittuntur omnes ſpiritus intelligentes hominum, & Angelorum, cuius imbuantur doctrina. Deinde ipſa tanquam adminiſtra Dei, rebus omnibus adeſt, vt dirigat, ac conſeruet ſua ſapientia.

Dionyſius.

Sapientia omniũ magiſtra ſpirituum.

Vapor eſt. Videtur reddere rationem eius, quod dixerat, propter ſuam puritatem peruadere omnia ſapientiam, ſine eo quòd inquinetur: quia *vapor eſt*, inquit, *virtutis Dei*, ſeu potentiæ eius: nam quemadmodum ex aquarum reſpiratione, vt inquit Cicero lib. 2. de Natura deorum, ſolis calore oritur vapor, tenuis quædam exhalatio, quæ deinde in terram defluens, illam fœcundat; ita ex omnipotentia Dei operante in rebus omnibus, eáſque producente, ſtatim ſubtiliſſima, ac puriſſima prodit ſapientia, quæ res omnes Dei factas potentia, diſtinguit, ornat, & pulchras facit, intelligenti cognoſcendas, & miris modis fœcundas. Supponit igitur potentiam Dei omnia operantis ſapientiam, vt rem ſpecioſam ſpecies, & vt diſpoſitio orationis inuentionem, & vt orbis inuiſi conditionem, ipſe ornatus eius, ac diſpoſitio, & diſtinctio. Et vt ex proportione partium corporis, & mundi prodit pulchritudo, & ſpecies, ita ex operibus Dei omnipotentiæ prodit ſapientiæ eius pulchritudo inſtar vaporis cuiuſdam. Origenes lib. 1. Periarchon, cap. 2. & Auguſtinus ex eo lib. 1. de Incarnatione Verbi, cap. 13. de diuino verbo hunc locum explicant: quòd ſit vapor, ſeu vigor in propria ſubſiſtentia effectus, virtutis Dei, qua viget, qua omnia viſibilia, & inuiſibilia, vel inſtituit, vel continet, vel gubernat, quia ad omnia ſufficiens eſt, quorũ prouidentiam gerit, quia velut vnita omnibus adeſt. Verùm exiſtimo de ipſa diuina ſapientia, quæ inſtar vaporis in omnia decurrit, eáque pulchra facit, & exornat, ac fœcundat, debere intelligi hunc locum: nam his ſimilibus ratio redditur eius, quod dictum fuerat, ſapientiam permeare omnia, nec tamen coinquinari propter ſuam puritatem, quod habet vapor deciſus in terram.

51.

Cicero. Vaporis, & ſapientiæ ſimilitudo.

Ex potent Dei prod Sapientia.

Origenes. Auguſtinus. De verbo Dei.

De Sapientia quę omnia permea vt vapor.

Et emanatio. ἀπόῤοια, emanatio, ſeu defluxus omnipotentis gloriæ ſyncerus ſeu puriſſimus: nam defluit, vel emanat ſapientia quaſi riuus puriſſimus ex puriſſimo fonte gloriæ, aut maieſtatis Dei: quomodo enim non pura prodiret ex fonte tam puro? idcirco nihil polluti in eam cadit, propter ſuam puritatem, vt dictum fuerat. Origenes, &

52.

Pura ex puro fonte gloriæ Dei prodit.

Origenes.

S Augu

Augustinus. De Filio Dei.

Augustinus dictis locis de Filio Dei & hoc intelligunt: nam Dei Filius aporræa est gloriæ purissimæ, ac limpidissimæ omnipotentis Dei, quia emanat omnipotens ab omnipotente, & gloriosus à glorioso, non gloria mutabili, ac caduca, sed purissima, ac limpidissima, quæ ex bono prodit immutabili, & quod Deo conuenit natura sua.

53. *Candor ἀπαύγασμα. Candor*, legit Augustinus sermo. 38. de verbis Domini, & lib. 4. de Trinit. cap. 20. & Ambrosius lib. de Filij diuinitate, c. 5. quamuis ille lib. de Incarnatione verbi, legat, *splendor est lucis æternæ*, vt etiam Ambrosius lib. 1. de fide, cap. 4. & de Paradiso, c. 1. concilium quoque Toletanum XI. ita dicta Sapientia, quòd quemadmodum, quod purissimum ex luce Solis prodit, est candor, seu splendor, qui omnia penetrat absque eo quòd ab vlla re inquinetur, aut obscuretur, ita ex luce Solis intelligibilis Dei prodit purissima sapientia omnia illustrans, omnia vt splendor penetrans, atque ita elucet in omnibus, vt nihil sit, quod eam coinquinet, aut obscuret. Rursus Origenes, & Augustinus de Filio Dei & hoc exponunt, quòd emanet lumen de lumine, & sempiternus splendor de luce Patris, quemadmodum Solis splendor cum eo ita coniunctus est, vt nunquam sine eo possit reperiri, nec ab eo semoueri.

Sapientia ex Deo vt candor prodit è Sole.

Origenes. Augustinus. De Filio Dei.

54. *Et speculum.* Ita legit cum Vulgato Augustinus sermone supradicto. At in lib. de Incarnatione verbi, cap. illo 13. vt etiam Origenes, ita legit, *speculum immaculatum inoperationis*, vel *virtutis Dei*, pro Græco, ἐνεργείας, *energia*, seu *efficacitatis Dei*, quòd Sapientia diuina nihil sit aliud, quàm limpidissimum speculum, in quo intuemur vim operantem, energiam, & efficacitatem Dei, quia ipsa sapientia exerit, & palàm facit vim efficacem, qua Deus operatur omnia in hoc mundo, quæ nisi sapientia præstò esset, omnino non in opus prodirent, ac ita efficacitas potentiæ Dei operantis non ostenderetur. De Filio Dei Origenes, & Augustinus ita explicant, quod quemadmodum in speculo omnes actus, & motus illud intuentis exprimuntur, ita in Dei verbo exprimantur perfectissimè Patris bonitas, & alia omnia eius ornamenta, & in virtute operandi nihil differt à Patre, siquidem ipse Filius dixit Ioan. 6. *Opera quæ facit Pater, hæc & Filius similiter facit.* Demum sapientia in creatis rebus diuinas exercet operationes, quòd similes efficiat, vel in sapientibus, aut per sapientes, quatenus probus quisque imitatur Deum; & quò magis exprimit Dei virtutes, & operationes, eò magis probus est, ac sapiens.

Augustinus. Origenes. Sapientia efficacem reddit potentiam Dei.

Origenes. Augustinus. De Filio Dei.

55. *Et imago.* Sapientia dicitur imago bonitatis Dei, quatenus in rebus omnibus, miris modis Dei bonitatem facit elucere: ipsa enim rerum diuersitas cum consonantia coniuncta, & concors rerum ornatus à sapientia præstitus Dei bonitatem elucere facit. Vel certè, quia quo gradu facit homines sapientes, facit Dei amicos, & Deiformes, & eius bonitatis imitatores, adeò vt Dij esse videantur, Dei conditiones exprimentes.

Dei bonitas in rebus elucet.

Sapientes, Dei imagines.

primentes. De Filio Dei ita Origenes, & Augustinus lib. de Incarnatione Verbi, cap. 10. & 15. exponunt, qua ratione filius quisque dicitur patris imago, vt Seth fuit imago Adæ, quòd referret patris delineamenta, & conditiones: ita Dei Filius imago est Patris sui bonitatis: siquidem nullam aliam habet bonitatem, quàm Patris sui. Apostolus ad Colos. 1. 15. similiter de Filio dixit, quòd sit *imago Dei inuisibilis*. & ad Hebræ. 1. 3. quòd sit *figura*, seu *character substantiæ eius*. At cur imago bonitatis Dei dicatur, & non veritatis, iustitiæ, sanctitatis? cùm Filius omnia attributa referat, quemadmodum & substantiam accepit à Patre? Profectò hoc magis sapientiæ conuenit, quæ veluti imago refert, & exprimit vultum, & conditiones eius, cuius est imago. Ita Sapientia, quæ per res creatas diffusa est, refert, & exprimit diuinam bonitatem, ratione cuius se Deus communicat, & diffundit in rebus omnibus, dans illis quòd sint, & quòd bonæ, ac pulchræ sint.

Origenes. Augustinus. De Filio Dei. Filius Dei bonitatem solam habet.

Sapientia refert Dei bonitatem communicando eam rebus.

Omnia potest. Est vnigena sapientia increata, sed multiplex in officiis, vt suprà est dictum; & ita vnica cùm sit, potest omnia, quia sine sapientia nihil fit. 56.

Omnia officia præstat.

Omnia innouat. Cùm ipsa sapientia nihil admittat noui, quia ipsamet in se perseuerat; noua semper operatur, dum diuersa facit. & cùm res omnes diuersis modis eam participent, & per diuersa effecta in rebus omnibus tanta cum varietate eluceat, eadem ipsa permanet.

Vna cùm sit, noua semper operatur.

Et per nationes. per γενεὰς, *per generationes*, hoc est, per sæcula, vel ætates, in quo significato multi hoc nomen acceperunt; vt sit sensus: Per singulas ætates in animas sanctas se transferens, amicos Dei efficit, & Prophetas, quasi dicat, nulla fuit vnquam ætas, nullum sæculum, in quo sapientia non aliquos habuerit, quos Deo amicos constitueret, & Prophetas consecraret. Vel per γενεὰς genera, vel nationes hominum, qui in terra aliqua nascuntur; quomodo accepit Vulgatus, ad hunc sensum, quòd in singulis nationibus aliquos habuerit amicos, & Prophetas; vel nulla fuerit natio, in qua non habuerit aliquos Dei amicos, & Prophetas, Deo acquisitos. 57.

Nunquam sine amicis Dei sapientia transiit. Nulla natio sine aliquo Dei amico.

Inhabitat. Nisi Sapientiæ cohabitantem, tanquam vxori suæ; nam id significat verbum συνοικῶ. Et statim cap. sequenti ver. 2. dicit Salomon, *Quæsiui mihi sponsam assumere*. Et Ambrosius in libro de viduis, sic legit: Proposui ergo hanc adducere mihi in coniugium. Ait itaque neminem diligi à Deo nisi studiosum sapientiæ, & omnes, qui cum eah abent consuetudinem, eo ipso diligi à Deo, eiusque amicos esse. Nam hoc versu redditur ratio, cur sapientia amicos Dei constituat, & Prophetas; siue quibus reuelentur futura; siue qui Dei celebrent laudes. 58.

Ambrosius.

Sapientes, amici sunt Dei.

Dispositionem. Præfert sapientiam Soli in pulchritudine, stellis in dispositione, quia super omnem dispositionem stellarum, hoc est 59.

Sapientia Soli, & stellis prælata.

ſuper omnem aſtrorum ſitum eſt collocata; vel potiùs quia eſt ſuper, hoc eſt, quia ſuperat omnem ſeriem ſtellarum. Luci quoque prior inuenitur ratione ſubiuncta.

60.

Sapientia non vincitur à malitia.

Non vincit, Græcè, *non vincet*, quo ſignificetur, nunquam ſapientiam à malitia ſuperandam, quemadmodum lux, vel dies à nocte ſuperatur: nox enim lucem propulſat, & in nihilum redigit; at ſapientiam non dificit malitia, quia integra, & in ſuo ſtatu permanet, etſi ab homine recedat, dum in peccati ſordibus iacet, quoad eius pertinet commendationem, quæ conſuetudinem habere cum ſordido animo non patiatur: nam *in maliuolam animam non introibit ſapientia*.

SAPIEN

SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT VIII.

VETVS.

1. *Attingit ergo à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia* 2. *suauiter.*

3. *Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.*

4. *Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei: sed omnium Dominus dilexit illam.*

5. *Doctrix enim est disciplinæ Dei,* 6. *& electrix operum illius.*

7. *Et si diuitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia?*

Si autem 8. *sensus operatur: quis horum, quæ sunt, magis quàm illa est artifex?*

9. *Et*

NOVA.

Pertingit autem à fine in finem fortiter, ac disponit omnia vtiliter.

Hanc amaui, & ab ineunte ætate exquisiui, & quæsiui sponsam ducere mihi ipsi, & amator fui pulchritudinis eius.

Nobilitatem eius illustrat, quòd habet cum Deo conuictum: Dominúsque omnium eam dilexit.

Est enim doctrix scientiæ Dei initiata, eiúsque operum electrix.

Quòd si diuitiarum est in vita possessio desiderabilis, quid sapientia omnia operante locupletius?

Si autem prudentia operatur, quis eorum quæ sunt, magis est artifex quam illa?

9. Et si iustitiam quis diligit: labores huius magnas habent virtutes: sobrietatem enim, & & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus.

10. Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, & de futuris æstimat: scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum: signa, & monstra scit antequam fiant, & euentus temporum, & sæculorum.

Proposui ergo hanc 11. adducere mihi ad conuiuendum: sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis & tædij mei.

12. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores iuuenis.

Et acutus inueniar 13. in iudicio, & in conspectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me:

14. Tacētem me sustinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent.

15. Præterea habebo per hanc immortalitatem: & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam.

Dispo

Si verò iustitiam quis diligit, labores huius sunt virtutes; sobrietatem enim, & prudentiam edocet; iustitiam, & fortitudinem; quibus nihil est hominibus in vita vtilius.

Si autem etiam experientiam multarum rerum desiderat quis, hæc antiqua nouit, futuráque coniectat: versutias sermonum, atque ænigmatum solutiones intelligit: signa, & prodigia prænoscit, euentúsque tempestatum, ac temporum.

Itaque hanc decreui mihi adiungere ad conuictum; sciens quòd erit mihi consiliaria bonorum, & consolatrix curarum, ac molestiç.

Gloriam in vulgus propter hanc adipiscar, & honorem apud seniores iuuenis.

Acutus inueniar in iudicio, in conspectúque potentium ero admirabilis.

Silentem me sustinebũt, ac loquenti attendent, me amplius adhuc loquente manum imponent ori suo.

Propter hanc immortalitatem obtinebo, & memoriam æternam post me futuris relinquam.

Popu

Diſponam populos, & nationes mihi erunt ſubditæ.

Populos gubernabo, nationéſque mihi ſubditæ erunt.

Timebunt me audientes 16. reges horrendi: in multitudine videbor bonus, & in bello fortis.

Tyranni formidabiles cùm audierint, me extimeſcent; in vulgus bonus apparebo, & in bello fortis.

17. *Intrans in domum meam conquieſcam cum illa: non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam, & gaudium.*

Cùm intrauero in domum meam, conquieſcam in ea: non enim habet amarulentiam conuerſatio ipſius, nec vllam moleſtiam eius conuictus, ſed lętitiam, & gaudium.

Hæc cogitans apud me, & 18. *commemorans in corde meo: quoniam immortalitas eſt in cognatione ſapientiæ,*

Hæc apud me reputans, & curans in corde meo eſſe immortalitatem in cognatione ſapientiæ.

Et in amicitia illius delectatio bona, 19. *& in operibus manuum illius honeſtas ſine defectione, & in certamine loquelæ illius ſapientia, & præclaritas in communicatione ſermonum ipſius: circuibam quærens, vt mihi illam aſſumerem.*

Et bonam in amicitia illius delectationem, diuitiáſque ſine defectione in laboribus manuum illius, & in congreſſu colloquij eius ſapientiam, atque in communicatione ſermonum ipſius gloriam: circumeumdo quærebam, vt eam apud me reciperem.

Puer autem eram 20. *ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam.*

Eram autem puer bonæ indolis, bonámque animam ſortitus.

21. *Et cùm eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.*

Imò verò cùm eſſem bonus, in corpus veni impollutum.

22. *Et vt ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat*

Cùm autem cognouiſſem quòd non aliter compos fierem eius, niſi Deus

ſapien

eam

sapientia, scire cuius esset hoc donum: adij Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi 23. ex totis præcordiis meis.

eam daret, atque hoc ipsum erat prudentiæ, scire cuius hæc gratia esset, adij Dominum, eúmque oraui, ac dixi toto corde meo.

ARGVMENTVM.

Pergit sapientiæ laudes explicare, quæ omnia bona coniuncta habeat; & simul ostendit quanto in pretio, & honore illam habuerit.

COMMENTARIVS.

1. ATtingit ergo. In Græco non est, *ergo*, sed, δὲ, *autem*, & aduersatiuè potest accipi, vt sit sensus pendens ex fine capitis præcedentis. *Sapientiam non vincit malitia, sed pertingit à fine vsque ad finem fortiter*; & proptereà hunc versum quidam subiiciunt capiti septimo, & inchoant octauum ab his verbis, *Hanc amaui*. Sed non malè ad hoc caput referuntur. *Attingit*, Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 14. & lib. 83. quæstionum, q. 53. & lib. de mirabilibus sacræ Scripturæ, legit. *Pertendit*; alij *extendit*, seu *protendit ab extremo in extremum*; *à fine cuiusque rei vsque ad finem fortiter*. quia videlicet diuina sapientia nullis terminis coarctatur, sed vniuersum mundum penetrat: nam Ecclesiastici 24. 8. dicit de se, *Gyrum cæli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui*. & Prou. 8. 27. *Quando præparabat cælos, aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos, cum eo eram cuncta cōponens.* Et rem quamlibet ita permeat, ac penetrat, vt nihil in ea relinquat intactū, aut non penetratū; instar gladij, qui corpori defixus illud penetrat ab extremo ad extremū, à latere in latus, nihil intus resistente. Atque ita accidit sapienti, vt nihil sit in negotio aliquo, quod nō prospiciat, & forti animo præstet.

Augustinus.

Sapientiæ vis penetrātis omnia.

Sapiens introspicit rē.

2. *Suauiter.* χρηςῶς, *vtiliter, commodè.* Et quia verbum, διοικεῖ, *disponit*, est œconomicum, ad omnem aliam rectionem, seu administrationem transfertur. Atque ita docet Sapiens, non solùm fortem esse sapientiam in omnia penetrando, absque vllo resistente, sed omnia vtiliter regere, & commodè administrare; adeò vt nulla res in vniuerso reperiatur, quæ in eo non vtiliter suo officio fungatur, & vniuerso commoda sit, dum vnaquæque res, quantumuis minima, fines sibi præstitutos à natura adipisci conetur. Quod dixit Vulgatus, *suauiter disponere omnia*, dum rem quamlibet iuxta suam naturam, & formam inditam sinit operari. Demum, sicut fortis est in vniuerso negotio transigendo, ita facit vt vtiliter, suauitérque conficiatur; quod munus sapientis est.

Sapientia vtiliter operari dat.

Hanc

Hanc amaui. Amorem suum ostendit, quo flagrabat in Sapientiam; & compos factus est eius, quia *qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, saturantur,* Matth. 5. 6.

3. *A iuuentute mea, ἐκ νεότητός μου, ab adolescentia,* siue *ab ineunte atate,* in qua sapientiæ studium, & amor in eius animo exarsit; iuxta Ecclesiastici cap. 6. 18. *Fili, à iuuentute tua accipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam sponsam.* Quo significet summam coniunctionem, ac consuetudinem, qualis sponso cum sponsa intercedit; qua similitudine non infrequenter vtitur Scriptura. Ambrosius in lib. de viduis sic legit hunc locum: *Proposui hanc adducere ego mihi in coniugium.*

Desiderium habens sapientiam.

Ambrosius.

Forma pulchritudinis. quam si oculis cernere liceret, vt ex Platone dixit Cicero lib. 1. de Officiis, in omnium animis mirabiles sui amores excitaret. Hunc versum sic transfert Hieronymus, super 42. cap. Ezechielis: Hanc dilexi, & quæsiui ab adolescentia mea, & quæsiui sponsam ducere mihi, & amator fui decoris eius.

Plato. Cicero. Hieronym.

Generositatem. Græcè, *nobilitatem illustrat,* aut *glorificat* conuictum Dei habens: non est enim in Græco pronomen *illius.* Et quia verbum δοξάζει significat quoque putat, aut opinatur, Iansenius sic effert hanc sententiam, *Nobilitatem existimat, nempe sapientia, habere conuictum cum Deo.* Ad quem sensum Vulgati lectio sic est conformanda. Sapientia habens conuictum Dei, eundem conuictum habere quemquam celebrat, aut glorificat, vt veram generositatem, aut nobilitatem. Sed simpliciùs, veriúsque sic intelligitur: Generositatem, seu nobilitatem eius hoc vnum illustrat, ac gloriosam facit, quòd habeat conuictum cum Deo, ab eóque diligatur. 4.

Nobilitas sapientiæ, cum Deo agere.

Contubernium. conuictum; summam familiaritatem sapientiæ, sapientúmque cum Deo, ostendit quòd consuetudinem habet, atque cum Deo viuit. Sed in Græco non est, *Sed.* Est autem integra nobilitatis sapientiæ ratio, quòd eam ipsa habeat cum Deo consuetudinem, vt cum eo coniunctissimè viuat, eóque potiatur familiariter; & quod Deus mutuò illam diligat. ex vtroque enim vera, summáque nobilitas oritur.

Sapientes Deo familiares.

Veræ nobilitatis origo.

Doctrix, μύστις eum significat, qui arcanis, sacrísque mysteriis initiatus est, atque in eorum disciplina vel percipienda, vel tradenda versatur; vnde quidam hoc loco transferunt: *Nam scientia Dei sacerdos est, seu initiatrix;* aut, *perita est scientia Dei, atque et initiata.* Reddit autem rationem eius, quod dixerat, sapientiam diligi à Deo, quia videlicet quasi quædam sacerdos, & mystica magistra sanctæ Dei disciplinæ, & scientiæ, Deum hominibus declarat, & manifestat: nam si, vt dicitur Daniel. 12. 3. *qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ, in perpetuas æternitates,* quantò magis quæ omnes erudit, & Dei amicos facit? 5.

Sapientia magistra veræ disciplinæ.

Et electrix. αἱρέτις, electrix. Vatabli editio vertit, *& antistes operum* 6.

T *illius,*

Sapientia præest rebus.

illius, quòd præsit operibus Dei, & ea seligat, quæ sunt reipsa præstanda. Sunt qui legunt in Græco εὑρετὶς, *inuentrix*, vt sapientiæ illud assignetur officium: nam & ipsa initiatur, & inuenit opera Dei, siquidem ad eius miram inuentionem pertinet ornatus, varietas, summáque pulchritudo operum Dei. Sed prior lectio verior, vsúque recepta.

7. Sapiētia rebus omnibus præstantior.

Et si diuitiæ. Si sapientia ipsa diuitias operatur, & est quasi scaturigo auri, & argenti, & gemmarum, qui illam possederit, omnes diuitias possidebit. Confert sapientiam cum rebus omnibus, & ab ea docet omnes, etsi præstantissimas, superari, quòd illa sola habeat eorum omnium vsum.

8. Sensus, pro prudentia. Sēsus prior.

Sensus. φρόνησις, *prudentia*: nam Vulgatus, vt iam notatum est, prudentiam vocat sensum. *Si autem*, ait, *prudentia operatur*. Est autem duplex horum verborum sensus; alter pendet ex verbis versus præcedentis, *quæ operatur omnia*, hoc modo: Quòd si prudentia, seu sapientia operatur omnia, aut opifex omnium est, quid illa in rerum natura est artificiosius? quasi dicat, nihil: & idcirco qui gaudent rebus artificiosè confectis, eam amplectantur. Sed quia in his laudibus collatio fit sapientiæ cum rebus ab hominibus in pretio habitis, vt cum diuitiis, cum iustitia, cum scientia, illísque præfertur: necesse est, vt in hoc versu intelligamus prudētiam cum sapientia conferri, & hanc illi præferri. Ex prælatione autem in artificiis cognoscimus quid nomine prudentiæ sit accipiendum, nempe omnem actionem, & factionem.

Sensus verior.

Prudentia effectrix rerum humanarum.

Nam comprehendit omnem rerum administrationem, tam ciuilium, quàm domesticarum, quæ prudentiæ est propria: & omnem effectionem, molitionémque operum, quæ ad artem magis pertinet. atque hic erit sensus. Si ergo prudentia commendatur quòd operetur, id est, agat, & efficiat opera; quis potest cum sapientia compatari, quæ & eorum, quæ in natura sunt, & in vita, potior artifex est? Nemo certè est hominum adeò in agendo prudens, & in faciendo artificiosus qui sapientiæ non primas det.

9. Iustitia pro virtute.

Et si iustitiam. Iustitiæ nomine hoc loco omnem virtutem intelligit, cui confertur, præfertúrque Sapientia, cùm statim pro iustitia speciali accipiatur, quæ à ceteris virtutibus distinguitur.

Sapientia in cultu versatur virtutū.

Labores. Non est in Græco, *magnas*, sed tantùm *labores huius sunt virtutes*. Nam sapientia omnes parit virtutes: siquidem res, in quibus elaborat, sunt virtutes, cùm sapientia versetur in conformandis hominum moribus, ac in virtutibus inserendis.

Sobrietatem, hoc est, temperantiam, & prudentiam, virtutum aurigam docet: nam propriùs hîc capitur, latiùs in versu præcedenti, *&* *iustitiam*, specialem, *& virtutem*, nempe fortitudinem, Græcè ἀνδρείαν. quatuor virtutes, quas Ambrosius lib. 5. in Lucam vocat cardinales, confert. Ecce in quibus serendis in agro humani cordis, & excolendis plantis, sese exerceat agricultrix sapientia.

Sapientia agricultrix.

Et

Et si multitudinẽ scientiæ. In Græco vna dictio est, πολυπειρίαν, *multam experientiam*, multarum rerum vsum, & peritiam. *Si autem*, inquit, *& experientiam multarum rerum desiderat quis.* Curiosam appetentiam sciendi præterita, & futura, & obscura explicandi, vult temperari possessione Sapientiæ, quæ ea omnia præstat. 10.

Rerum curiosã scientiã sapientia præstat.

Scit præterita. Græcè, *antiqua*, per historiam, quæ lux temporum est, & valet plurimùm ad prudentiam.

Historia.

De futuris æstimat. quia ex his, quæ præterierunt, vel imaginatur, aut coniectat futura.

Scit versutias. στροφάς, *fallacias orationis*, ab στρέφω verto, vnde versutus, & versutiæ; de quibus dicitur Ecclesiastici 39. 2. *& in versutias parabolarum simul introibit.* Sed in eum sensum videtur accipere, quòd deprehendat aliorum verba fallacia, vt Christus Pharisæorum, & similium.

Argumentorum. αἰνιγμάτων, ænigmatum, quæ sunt obscuræ, inexplicatæque sententiæ, suntque soluendæ, & explicandæ, vt soluit Salomon.

Signa, & monstra scit antequàm fiant. Hæc ad cælestes mutationes notandas proponuntur; ad eclipses Solares, lunares, cometas, & omnia signa meteorologica, & ad portenta, ex quibus coniectatio fit de futuris euentibus temporum.

Astronomia.

Euentus temporum, & sæculorum. καιρῶν, καὶ χρόνων, *opportunitatum, & temporum.* alij vertunt, *tempestatum, & temporum.* quia prænoscit occasiones, & articulos, in quibus vel tempestas est excitanda, vel eclipsis futura; tum etiam temporum mutationes, serenúmne, ac pluuiosum sit tempus futurum; quod ad Astrologiã pertinet, sicut quod præcessit ad Logicen, seu Dialecticam.

Adducere. Adiungere mihi ad conuictum, hoc est, conciliare ad vitæ societatem. Ambrosius lib. de viduis dixit, Proposui ergo adducere ego mihi in coniugium. 11.

Ambrosius.

Communicabit de bonis. Græcè dicitur, sciens quòd erit mihi consiliaria, vel consiliatrix bonorum; hoc est, quòd dabit mihi vtilia consilia, vt benè cogitem, & operer, id est, communicabit mihi de bonis, bona dando consilia, & me ad bonum instruendo.

Sapientia bonorum consiliatrix.

Et erit allocutio cogitationis. Græcè, *& erit admonitio*, seu consolatio curarum, & tædij moderatio seu leuamentum curarum, & tristitiæ. Nam parænesis, sicut paraclisis, & adhortationem, & consolationem significat. Admonere autem in curis & tristitia iacentem, nihil aliud est, quàm verba adhibere quæ ea admoneant, quibus curæ sedentur, & tædium, seu tristitia leniatur; aut loqui ea quibus animus solicitus, & mœstus leuetur, ac mitigetur. Vnde illud Ozeæ 2. 14. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*, idem est quod, *& consolabor eam*, quod munus proprium fidelium est amicorum.

Leuamen curarum.

12. Gloriosos reddit sapientia. Salomonis gloria.

Habebo. Adipiscar propter eam gloriam in vulgus, quàm celebre fuerit nomen Salomonis propter eius sapientiam, satis ostendunt illa verba 3.Reg.4.29. *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam, quæ est in litore maris* & *præcedebat Sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum. & erat sapientior cunctis hominibus. & erat nominatus in vniuersis gentibus per circuitum. & veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab vniuersis regibus terræ, qui audiebant sapientiam eius. Sed & regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.* 3. Reg. 10. 1. Matth. 12. 42. vt propter hanc gloriam, si alia deessent, sapientia fuisset quærenda, & amplexanda.

13. Iudiciũ Salomonis.

In iudicio. Acumen Salomonis in controuersiis etiam occultissimis diiudicandis, declarat illa sententia, 3. cap. lib. 3. Regum, de infante dissecando; vt detegeret quæ illius esset mater, eique illum restituit. *& audiuit omnis Israël iudicium, quod iudicasset Rex, & timuerunt Regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.* Membrum illud, *& facies principum mirabuntur me.* in nullo repetitur codice Græco, ad priorum maiorem explicationem additum.

14. Salomon quã attentè auditus.

Tacentem. Tria notat ex auditoribus sumpta ad Sapientis commendationem. Primum, quod de se refert Iob cap. 29. *Tacentem me expectabunt:* id est, cum summa expectatione attendent, vt ego loquar. Deinde, *& loquenti attendent.* hoc est, omnium ora in me erunt conuersa, vt attentè audiant. Tertium, *& me amplius loquente manum imponent ori suo,* vt summum silentium indicant præ voluptate, quam capient in me audiendo, & præ admiratione mearum sententiarum.

15.

Præterea. Hoc aduerbium in nullo codice Græco reperitur; sed tantùm, *Propter hanc immortalitatem obtinebo,* hoc est, immortalem famam, quod mox declarat, *ac relinquam memoriam posteris sempiternam,* vt reipsa reliquit.

Disponam. Pro gubernabo populos: nam verbum Græcum œconomicum est, vt iam diximus.

16.

Reges. Tyranni horrendi, seu formidabiles timore corripientur, cùm audierint meam sapientiam.

Sapientia in bello, & in pace iuuat.

In multitudine. In vulgus bonus apparebo, *& in bello fortis.* Duas notat maximas virtutes ex sapientia prodeuntes; alteram, tempore pacis iustitiam, ex qua boni viri appellantur, quia nihil est, inquit ille, tam populare, quàm bonitas; alteram tempore belli, in quo summã habet fortitudo opportunitatẽ. Vtrique ergo tempori cõmoda est sapientia.

17. Iocunditas sapientiæ.

Intrans. vel recipiens me in domum meam. Ostendit priuatam delectationem, quam domi habiturus esset cum sapientia; quæ & publica habet adiumenta, vt iam dictum est, & priuata, vt modò dicit: & quæ experiantur vitam solitariam agentes.

Commemorans. Græcè,& curans in corde meo, hoc eſt, ſtudioſè, ac ſolicitè conſiderans: vel cogitans cum ſtudio,ac cura, quòd immortalitatem,& omnia bona ſecum apportet ſapientia. Sapientia bona omnia portat.

18. *Et in operibus manuum eius honeſtas ſine defectione.* Græcè,*& in laboribus manuum eius diuitiæ ſine defectione,* nempe inexhauſtæ, & perennes, quia diuitias inexhauſtas comparat ſapienti cum ſapientia laboranti:honeſtas rurſus,Græcè πλοῦτος,& hoc loco poſita eſt pro diuitiis, vt ſuprà eſt adnotatum. Mater diuitiarum, ſapientia.

19 *Et in certamine loquelæ illius.* & in συγγυμνασίᾳ ὁμιλίας αὐτῆς, *in coëxercitatione colloquij illius prudentia,* hoc eſt,in colloquio, ſeu in congreſſu cum ea prudentia acquiritur. Συγγυμνασία eſt coëxercitatio literaria,ſeu congreſſus literarius,ſicut ὁμιλίαι congreſſus,colloquiaque appellantur.

20. *Ingenioſus.* εὐφυὴς, *bene natus*, ſeu *natura optima præditus*, aut *ad virtutem bene à natura inſtitutus.* Vnde εὐφυΐα naturalem ingenij, animique bonitatem ſignificat, quam Latini indolem vocant: quam explicat verbis ſequentibus, cùm addit, *& ſortitus ſum animam bonam.* Ariſtoteles 3. Ethico.c.9.Is,inquit,eſt εὐφυὴς, cui eſt quid innatum bene, qui ſit bene à natura formatus, & propenſus: quemadmodum enim arbor vireſcens,& copioſè ſuccreſcens, & germinans, ac coaleſcens dicitur εὐφυὲς φυτὸν, ita ingenium amœnum, & acre,quod vireſcit, & germinat,& coaleſcit in virtute, & in his,quæ cum virtute, & ſapientia coniuncta ſunt, dicitur bene à natura inſtitutum, & ad bonum procliue. Ingenij bonitas.

21. *Et cùm eſſem magis bonus.* Græcè, *Magis autem bonus exiſtens veni in corpus incoinquinatum.* μᾶλλον poſitum eſt,vt ſæpe aliàs, pro, imò, aut potiùs,vt corrigentis,non amplificantis ſit particula,& dicat: *Imò bonus ipſe cùm eſſem,in corpus veni incoinquinatum.* Hoc loco malè intellecto ſuam hæreſim confirmabant hæretici illi, qui exiſtimabant animas diuerſa corpora ſortiri pro diuerſitate meritorum illarum; quæ ratio negotium faceſſit Auguſtino lib 10 de Geneſi ad literam,cap.7. & 17.illam confutanti.Sic autem explicabant hunc locum,Ego eram puer bonæ indolis, & bonam ſortitus animam; & quia eram magis bonus,pro ratione maioris bonitatis, adeptus ſum corpus incoinquinatum; quia videlicet plurium meritorum animam eram conſecutus. Verùm iam diximus aduerbium, *magis*, non acceſſionem bonitatis hîc ſignificare,ſed correctionem. Eſt ergo ſenſus verus, Cùm eſſem puer bona indole,& bonam ſortitus animam,imò potiùs,ne quis putet me ingenio, & induſtria, bonitatem conſecutum, cùm eſſem bonus, vel qua eram bonus, bonitate mihi à Deo indita cum bona anima, perueni ad corpus incoinquinatum:nam eiuſdem Dei munere adeptus ſum corpus optimè temperatum, & cum anima mirificè congruens. Quia ergo Deus indidit Salomoni animam bonam,& ad Hæreſis, corporis meritis animas tribuentium. Auguſtinus. Refutatio. Senſus verus.

virtutem bene conformatam, adeptus est corpus bene ad virtutem temperatum, & obediens, affectibusque moderatum. Sic locus syncerè explicatus in nullo patrocinatur prædictæ hæresi, quandoquidem id tantùm concedit Salomon, se sortitum bonam animam, Dei quidem munere, non suis meritis; & in corpus missam, quòd eius infusione, & coniunctione euasit impollutum, non quidem absque culpa veteri immaculatum, sed affectibus temperatum, & bene affectum, animæque ipsi obediens. Sed quia Theologorum, ac Philosophorum non exigua concertatio est de animarum æqua dignitate, quibusdam asserentibus omnes pares esse dignitate, aliis esse distinctas si non specie, saltem numero; quamuis omnes assentiant ex corporum temperamento, diuersaque compositione prouenire ingeniorum diuersitatem, & ad virtutem propensionem, bonámque indolem; Idcirco quidam sic hunc locum explicant, Salomonem sortitum animam bonam, id est, egregiam indolem ad sapientiam, & virtutes, non quidem ex maiori præstantia ipsi animæ insita, sed ex affectione, & dispositione corporis, quæ etiam ad spirituales actiones multùm confert. Sed quid est, *Imò verò bonus cùm essem, veni in corpus incoinquinatum?* annon significat se priùs bonum exstitisse, quàm veniret in corpus? erat ergo bonus, quoad animam quidem, siquidem anima corpori impolluto infusa est. Eapropter huius loci sensum veriorem eruere est operæpretium.

Theologorum, Philosophorum diuersitas de animarum diuersitate.

Sensus iuxta illos.

Obiectio.

Et primùm est aduertendum, non esse inusitatam verbi, *veni*, siue Græci, siue Latini, significationem, vt accipiatur pro creui, aut proueni: nam Cicero in 2. Tuscul. Atque Oratorum laus (dixit) ab humili venit ad summum, pro creuit, & Virgilius lib. 1. Georgic.

Notatio. Veni, pro creui. Cicero. Virgilius.

Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ. Et iterum:
Principiò arboribus varia est natura creandis:
Namq; alia, nullis hominum cogentibus, ipsæ
Sponte sua veniunt, campósque & flumina latè
Curua tenent.

Ita igitur hoc loco dixit Salomon, Ego quidem cùm à puero bona indole præditus fuissem, bonáque mente, & ad virtutem propensa, imò quò magis bene eram institutus, eò magis creui in corpus immaculatum, illud impollutum conseruans: nam bona illa indoles, qua me Deus, sua miseratione donauit, me inducebat ad conseruandum corpus meum incoinquinatum vsque ad ætatem nubilem; vt ita aptior fierem ad postulandam, impetrandámque sapientiam, quæ non habitat in corpore subdito peccatis. Veritas huius sensus inde constat imprimis, quòd nulla ratio cogit intelligere, quòd loquatur Salomon de seipso ante coniunctionem animæ cum corpore, ita vt cùm dicit, *ego*, intelligatur non ipse ex anima, & corpore conflatus, sed anima sua: nam admodum impropriè dixisset; *Ego puer eram.*

Verus sensus.

Ratio prima probans sensum.

eram ingeniosus, sortitus animam bonam, & veni in corpus incoinquinatum, non de seipso, sed de anima sua loquens. Numquid anima eius, vel quoad animam solam, erat puer, & bonæ indolis, & sortitus bonam animam; ar non potiùs de se ex anima,& corpore constante loquitur,quià pueritia bonam indolem nactus est, bonámque mentem sortitus,ita perseuerauit vsque ad tempus definitum, corpore integro? Quorsùm etiam hic ad animam recurrisser infundendam corpori? qui tantùm volebat ostendere, qua mente esset affectus ab ineunte ætate erga sapientiam, vt meritò ei illam Deus, insigni beneficio contulerit? Neque est vllum verbum, quod huic intelligentiæ aduersetur: siquidem bonam animam sortitum fuisse,explicatio est eius,quod dixerat, *Puer eram ingeniosus*, hoc est, bene natus, bonæ indolis: nam anima hîc, non pro altera hominis parte accipitur, sed pro ingenio, aut pro natura cuique insita, quomodo dixit Plautus in Sticho; vbi facillimè spectatur mulier, quæ ingenio bono est; aut pro desiderio, appetentia,aut affectu ad aliquid innato; qua ratione fieri quippiam dicimus animi causa, hoc est, vt desiderio nostro satisfaciamus, & expleamus voluntatem: sic etiam non semel vsurpatur in Scriptura, vt aliàs notauimus. Deutero. 23.24. *Ingressus vineam proximi tui comede vuas secundum animam tuam*, hoc est, pro voluntate tua,aut desiderio, quod Vulgatus dixit: *Quantum tibi placuerit*. Est ergo bonam animam sortitum esse,naturam procliuem, inclinatam,facilè ad bonum fuisse à natura consecutũ,in qua bona institutione perseuerans Salomõ corpus suum incoinquinatũ conseruauit.

Ratio secũda. Ratio tertia. Anima, pro natura. Plautus. Anima, pro desiderio. Anima bona, bona natura, bona indoles.

Sed percontaberis, quid sit illud, *Et veni in corpus incoinquinatum*, & de quo tempore loquatur? Pro huius intelligentia ex lib. 3. Regum notandum est initium regni Salomonis. Salomon non ad 52. annos vt Eupolemus apud Eusebium lib. 10. de Præpar. Euang. c. 4. & Hebræi asseruêre,quibus Hieronymus videtur suffragari;sed ad 60. suam vitam traduxit, vt probat Abulensis super cap. 3. lib. 3. Regum, Q. 5. & super cap. 2. lib. 2. Paral. Q. 31. Vnde natus colligitur anno 21. regni patris Dauidis. Atque adeò cùm duxisset Naamam Ammanitem cõuersam ad verum Deum annos natus 17. aut 18. anno 19. habuit Roboam: & anno 20. qui idem erat 40. regni Dauidis, & vitæ 70. eius mandato regnum suscepit: ac postquàm patris funus regiè curauit, anno regni 2. agens vitæ annum 21. sustulit de medio omnes aduersarios; ac mox affinitate coniunctus est Pharaoni vafro regi Ægypti, ducta eius filia. Itaque aduersariorum sublatione, & affinitate contracta cum Pharaone 3. Reg. 31. confirmatus, vt iam regni administrationem Deo auspice inchoaret, abiit in Gabaon. 3. Reg. 3. 4. vbi super altare obtulit mille hostias Domino. Nocte verò insequenti, in somnis apparuit ei Dominus, & iussit postulare quod vellet; ille verò nactus occasionem, postulauit non nuper concupitam ad gubernandum

Salomonis ætas. Eupolemus Eusebius. Hieronymus. In Gabaon sapientiam postulat.

dum sapientiam illis verbis 3. Reg.3.7. *Et nunc Domine Deus, tu regnare fecisti seruum tuum pro Dauid patre suo: ego autem sum puer paruulus, & ignorans egressum, & introitum meum, & seruus tuus in medio est populi, quem elegisti, populi infiniti, qui numerari, & supputari non potest præ multitudine. Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum suum iudicare possit, & discernere inter bonum, & malum. Placuit ergo sermo coram Domino, & dedit illi, vt postulauerat*, &c. Eadem historia reperi-
Iosephus. tur 2. Paral. 1. & in Iosepho lib. 8. Antiq. cap. 2. Cùm autem è somno surgeret Salomon, rediit Ierosolymam, & statim specimen suæ sapientiæ dedit in iudicio meretricum super filio vnico decertantium; ac nota facta est omnibus sapientia Salomonis. Hoc ingens beneficium sibi à Deo collatum in Gabaon, repetit hoc loco Salomon, suam in Sapientiam voluntatem, propensionemque significans: & quomodo vsque ad illam ætatem, annorum 22. aut 23. corpore perse-
Impollutus vsque ad 23. annos. uerauerit immaculato: nondum enim peccatis se polluerat, sed Deo seruiebat, & legem custodiebat, patris institutus pietate, nec mulierum contactu, vt pòst, coinquinauerat se: & hoc est, *veni in corpus incoinquinatum*; nempe creui cum corpore impolluto, & à sordibus peccatorum libero: quemadmodum & Iesus Syrach cap. 51. 18. Salomonis hæc verba imitatus, dixit: *Cùm adhuc iunior essem, priusquàm oberrarem, quæsiui sapientiam palàm in oratione mea.* idem enim est, *veni in corpus incoinquinatum, & priusquàm oberrarem*, hoc est priusquàm variis erroribus, & peccatis inuoluerer, vt postea inuolutus fui. Nam quòd matrimonium prius cum Naama Ammanitide, annutu patris Dauidis, posterius cum Pharaonis filia contraxisset, non vllam ei
Matrimonium non polluit. maculam inferebar, cùm iustè liciteque matrimonia contrahantur. Ita manet locus difficilis explicatus.

22. *Et vt sciui.* Verbum ἐγκρατὴς, licèt significet se continentem à Venere,
Augustinus. vino, ira, ceterisque vitiis, quo modo intelligit Augustinus hunc locum de temperantia à vitiis lib. 10. Confessionum, cap. 21. & 31. & lib. de continentia, cap. 1. & expositores communiter; tamen verius est, & magis cum præcedentibus, & sequentibus cohæret, vt accipia-
Continens, pro possessor, seu cõpos. tur pro compotẽ fieri alicuius rei, aut potiri ea; vt hic sit sensus: Cùm intellexissem quòd non aliter compos esse possem sapientiæ, aut potirer sapientia; vel quòd non consequerer, aut adipiscerer sapientiam, nisi Deus daret, conuerti me ad eum pro ea deprecandum: de sapientia enim comparanda à Deo erat Salomoni cura suscepta. Atque in hoc ipso sensu dixisse Vulgatum, *& vt sciui quoniam aliter non possem esse continens*, aut possessor, sapientiæ, videlicet. Ex aliis locis fit satis manifestum, in quibus in hac quoque accepit significatione vt cap. 6. Ecclesiastici ver. 28. *Inuestiga*, inquit, *sapientiam, & manifestabitur tibi, & continens factus eius* videlicet, *ne derelinquas illam.* & cap. 15. 1. *& qui continens est iustitiæ*, hoc est, & compos iustitiæ; vel, qui adeptus fuerit.

fuerit iustitiam, *apprehendet illam*, sapientiam; & cap. 27. 33. *Ira, & furor vtraque execrabilia, & vir peccator continens erit illorum*, id est, compos, aut particeps illorum erit, vel illis obnoxius.

Ex totis præcordiis. Græcè, *ex toto corde meo.* Cùm intellexissem, (ait) me non posse obtinere sapientiam, nisi à Deo, quòd scire cuius esset illud beneficium, & donum ex ipsamet sapientia, quam cupiebam, proficiscebatur, accessi ad Dominum, & oraui, atque in hunc modum dixi ex animo, toto intellectu, & affectu meo, vt sequitur in capite sequenti. Ex quo loco discimus multis antè diebus in desiderio habuisse, ac in votis, sapientiam, eamque à Deo postulasse, vnde in nocte illa dormienti in Gabaon, volens Deus votis eius satisfacere, iussit vt peteret quod vellet, & postulauit sapientiam, vt sæpe aliàs postulauerat, & data est illi, tam eximia, vt præiret omne genus hominum, vt ait Hieron. in 12. Ecclesiastes, etsi in c. 2. eiusdem libri, dicat non fuisse sapientiorem Abraham, Mose, & ceteris sanctis, sed iis qui fuerunt ante se in Ierusalem; quia *postulauit in fide nihil hæsitans, & postulauit à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat*, vt dixit cap. 1. suæ canonicæ Iacobus.

23. Votum sapientiæ cõquirendæ.

Salomon quibus fuerit sapientior.

V SAPIEN



SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT IX.

VETVS.

1. *DEus patrũ meo-*
rum, & 2. Do-
mine misericor-
diæ, qui fecisti
omnia verbo tuo.
3. *Et sapientia tua constitui-*
sti hominem, vt dominaretur
creaturæ, quæ à te facta est.
Vt 4. disponat orbem ter-
rarum in æquitate, & iustitia,
& in directione cordis iudi-
cium iudicet:
5. *Da mihi sedium tuarum*
assistricem sapientiam, & no-
li me 6. reprobare à pueris
tuis:
7. *Quoniam seruus tuus*
sum ego, & filius ancillæ tuæ,
8. *homo infirmus, & exigui*
temporis, & minor ad intelle-
ctum iudicij, & legum.
Nam 9. etsi quis erit con-
summatus inter filios homi-
num, si ab illo abfuerit Sapien-
tia

NOVA.

DEus patrum ac Domine misericordiæ, qui omnia creasti verbo tuo.

Et sapientia tua hominem constituisti, vt dominaretur creaturis à te factis.

Vt administraret mundum in sanctitate, ac iustitia, rectitudineque cordis iudicium exerceret.

Da mihi thronis tuis assidentem sapientiam, & ne me reprobes à seruis tuis.

Quoniam ego seruus tuus sum, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, ac exigui tẽporis, & minor quàm vt iudicia, & leges intelligã.

Nam etiam si quis fuerit perfectus inter filios hominum, tamen si sapien-
tia

tia tua, in nihilum computa-
bitur.
10. *Tu elegiſti me regem po-*
pulo tuo, & iudicem filiorum
tuorum, & filiarum:
11. *Et dixiſti me ædificare*
templum in monte ſancto tuo,
& in ciuitate habitationis tua
altare, 12. *ſimilitudinem ta-*
bernaculi ſancti tui, quod
præparaſti ab initio.
13. *Et tecum Sapientia tua,*
quæ nouit opera tua, quæ &
affuit tunc cùm orbem terra-
rum faceres, 14. *& ſciebat*
quid eſſet placitum oculis tuis,
& quid directum in præceptis
tuis.
15. *Mitte illam de cælis*
ſanctis tuis, & à ſede magni-
tudinis tuæ, vt mecum ſit, &
mecum laboret, vt ſciam quid
acceptum ſit apud te:
Scit enim illa omnia, & in-
telligit, & 16. *deducet me in*
operibus meis ſobriè, & cuſto-
diet me in ſua potentia.
Et erunt accepta opera mea,
17. *& diſponam populum*
tuum iuſtè, & ero dignus ſe-
dium patris mei.
18. *Quis enim hominum*
poterit ſcire conſilium Dei? aut
quis poterit cogitare quid velit
Deus?
19. *Cogitatiônes enim mor-ta-*
liū timidæ, 20. *& incerta pro-*
uidentia

tia tua abfuerit, nihil æſti-
mabitur.

Tu me elegiſti regem
populi tui, & iudicem filio-
rum tuorum, ac filiarum:

Iuſſiſti ædificare tem-
plum in monte ſancto tuo,
& in vrbe habitationis tuæ
altare ad imitationem ta-
bernaculi ſancti, quod præ-
paraſti ab initio.

Ac tecum ſapientia, quæ
tua nouit opera, quæque
tunc affuit cùm mundum
efficeres, & quæ ſcit quid
in oculis tuis gratum ſit, ac
rectum in tuis præceptis.

Emitte eam è ſanctis
cœlis, & à ſede gloriæ tuæ
mitte eam, vt aſſiſtens mihi
laboret, atque intelligam
quid acceptum ſit apud te:
Nouit enim illa, ac intelli-
git omnia, ac me deducet in
actionibus meis moderatè,
atq; in gloria ſua cuſtodiet.
Et erunt accepta opera
mea, & diuidicabo popu-
lum tuum iuſtè, eróque di-
gnus ſolio patris mei.

Quis enim hominum
conſilium Dei intelligat?
aut quid velit Deus animo
comprehendat?

Nam cogitationes mor-
talium timidæ ſunt, & no-

uidentia nostra.

ſtræ rationes incertæ.

21. *Corpus enim, quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.*

Corruptibile enim corpus aggrauat animam, ac terrenum domicilium, mẽtem multis curis occupatam deprimit.

22. *Et difficilè æſtimamus quæ in terra ſunt: & quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore. Quæ autem in cœlis ſunt quis inueſtigabit?*

Ac vix quæ in terra ſunt coniectura aſſequimur, & quæ in manibus verſantur cum labore inuenimus, quis autem ea perueſtigabit quę ſunt in cœlis?

23. *Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis?*

Conſilium autem tuum quis nouit, niſi tu dederis ſapientiam, ac de altiſſimis Spiritum ſanctum tuum miſeris?

24. *Et ſic correcta ſint ſemitæ eorum, qui ſunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines?*

Et ita directæ fuerunt viæ eorum, qui in terra vixerunt, ac quæ tibi placent, didicerunt homines?

25. *Nam per ſapientiam ſanati ſunt quicumque placuerunt tibi Domine à principio.*

Et ſunt ſapientia conſeruati.

ARGVMENTVM.

Docet Salomon ſuo exemplo modum, quo poſſimus à Deo Sapientiam adipiſci, proponens obſecrationem affectibus plenam; & rationibus efficaciſſimis, quibus ipſe eam poſtulauit. Conciliato ergo Deo largitore ſapientiæ, ſuadet ei ſibi eam largiri, ad ſuum officium rectè obeundum, ad quod à Deo creatus eſt, ſiquidem ſapientia nouit omnia, & abſque illa homo imbecillus, & ignorans, nihil efficiet, quod feliciter ſuccedat.

COMMENTARIVS.

1. DEus patrum. Pronomen, meorum, non eſt in Græcis; at ſatis intelligitur ſubaudiri; ſiquidem Salomon ſuos patres ad memoriam

riam reuocat. Conciliat in principio orationis sibi Deum à tribus, quibus Deus maximè gaudet, & gloriatur. Et primùm à nomine, quod Deus voluit habere commune cum tribus illis Patriarchis Abraham, Isaac, & Iacob, amicis, charísque Deo, & verum Deum amantibus ab eo redamatis, propter vitam ipsorum probatissimam: suum enim coaptauit cum illorum nominibus, cùm Exodi 3.15. dixit, *Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem*. ac humano generi suum nomen elargitus est, auctore Philone in libro de Abrahamo, vt habentes refugium ad preces, & supplicationes, à spe bona non excluderentur, tribus illis patribus ob Dei oculos præmissis; quod meliùs nunc facit nomen Iesu Christi Domini nostri, quo nostras omnes preces claudimus, & obsignamus. Nam maiorum merita, & præcipuè Sanctorum, Deo proponere ad postulandum quidpiam, consueuêre probi in primis viri.

Conciliat Deum sibi. A nomine Communi.

Philo.

Tres patres Deo obiecti valēt orati. Christi nomen verius.

2.

Domine misericordiæ, hoc est, misericors, aut miserator. Conciliat Deum nomine misericordis; quo maximè delectatur Deus, cuius proprium est misereri, quoniam *miserationes eius super omnia opera eius*, Psalm. 144.9. & homini indigenti, & postulanti opem, nihil misericordia iocundius, vtiliúsque sese offert, quàm patronam, & patrocinantem sibi, ante Deum proponant.

A nomine misericordis. Misericordia iuuat orantes.

Qui fecisti: Tertiò conciliat sibi Deum à potentia, quòd solo verbo mundum, & quæ sunt in mundo creauerit, simulque ostendit, quàm sit Deo facile, homini quod postulat tribuere, siquidem tam facili manu, verbo scilicet, omnia confecerit.

Ab opere Dei ipsius.

Et sapientiā. Iam incipit agere rationibus, quibus inducat Deum ad sapientiam communicandam, vt munere sibi ac Deo ipso credito ritè fungatur. & quidem casus ille auferendi, *sapientia tua*; potest referri ad Deum, qui sapienter hominem condiderit Dominum omnium, & mundi Imperatorem: & ad hominem, quem Deus condidit sapiētem, vt posset dominari, & gubernare mundum. Et hoc videtur magis ad rem, quia ex hac sententia nititur colligere sibi etiam deberi sapientiā. Format autem hanc primam rationem; Quòd hominem fabricasti, vt rebus à te factis dominaretur, & vt administraret orbem recto iudicio, sapientia tua præditum, & adornatum constituisti; sed me quoque constituisti regem populo tuo, & iussisti templum ædificare, & iudiciū exercere; quod sine sapientia fieri nequaquam potest; mihi ergo sapiētiam præstare debes, vt munus, quod mihi credidisti, rectè obeam.

3. Rationibus Deum inducit.

Ratio prima à pari.

Vt disponat. Vt gubernaret, seu administraret mundum in æquitate, Græcè, ὁσιότητι, in sanctitate, & iustitia. Est igitur creatus homo, cum multo Dei consilio, dicentis, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & dominetur, seu præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersáq; terræ, omniq; reptili, quod mouetur in terra*. Gen. 1.26.

4.

Homo quorsum à Deo creatus.

Hoc est, faciamus hominem præditum libero arbitrio, ratione, & sapientia, in quo sit nobis similis, vt gubernet mundum in sanctitate, & iustitia, hoc est, in cultu & religione veri Dei, & in conseruatione iustitiæ erga alios homines.

Et in directione cordis. Græcè, in rectitudine animi, hoc est, & vt anima recta iudicium exerceret, ne affectu aliquo, aut personarum acceptione, in alteram iudicij partem propenderet, & iniustè ius suum non cuique seruaret.

5. *Da mihi*. Thesis est, & totius orationis argumentum, sapientiam adipisci; atque vt Deum ad elargiendam alliciat, omnes rationes, quæ mouere possint, & inducere pro sua facultate, & necessitate proponit: nihil enim magis orationis docet ornamenta ostentare; & Oratoris munus exacuit, quàm orantis indigentia.

Thesis orationis.

Indigentia inuentrix rationum ad postulandũ.

6. *Reprobare à pueris tuis*, pro *à seruis tuis*: nam statim subiungit, *seruus tuus sum ego*. Rationem seruitutis obiicit, qua Deum, qui Dominus eius est, magis obstringat; ne me, inquit, repuleris à seruis tuis, vel ne me à numero seruorum tuorum summoueas. Cupit enim numerari inter seruos Dei, ac ministros, vtpote qui eius nomine regnum administret, vt quemadmodum Dominus seruis sibi subiectis prouidet ea, quæ necessaria illis sunt; ita Deus ipsi Salomoni regi sapientiam elargiatur, qua rectè regnum creditum administret.

Seruis Dei annumerat se, vt vti seruo prouideat.

7. *Quoniam*. Se deprimit suam imbecillitatem obiiciens, sciens quòd *oratio humiliantis se nubes penetrabit*, vt dicitur Ecclesiastici 35.21. Imitatur autem filius patrem in Psalmo 115.6. dicentem, *O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*. Videtur primùm reddere rationem eius, quod petierat, ne me repellas è numero tuorum seruorum, quia, inquit, ego verè seruus tuus sum, natus ex ancilla tua Betsabee; & quidem nomen Græcum παιδίσκην seruam, ancillam hoc loco significat; at nomen Hebræum אמה *amah*, quo vsus est Dauid in Psalmo, & eò respexit Salomō, fidelem cultricem Dei significat, quasi ponat ob oculos Dei suam, matrísque pietatem quā est imitatus, quòd filij matrum ingenia, & mores ferè imitentur ob educationem primam, Prouerb. 4.3. *Nam & ego filius fui*, ait, *patris mei tenellus & vnigenitus coram matre mea, & docebat me*. Qua ratione meliùs posuisset pietatem Dauidis patris sui, quæ adeò fuit grata Deo. Idcirco veriùs dicemus, hac forma loquendi voluisse Salomonem sese demittere, & suam inopiam, & indigentiam Deo manifestare, vt ita eum inducat ad Sapientiam largiendam; vnde ego, ait, sum seruus quidem tuus, filius ancillæ tuæ. Ex quo tanquam ex fonte quicquid infirmitatis, aut imbecillitatis, vel ignorantiæ est in me, profectum est: nam, vt dixit Iob c. 14.2. *homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miseriis*. Vnde statim subditur, *Homo infirmus, & exigui temporis*.

Seruum se agnoscit.

Pietatem matris proponit.

Suam inopiã agnoscit.

Natum esse de muliere fons est omnis miseriæ.

8. *Homo infirmus*. Imbecillitatem obiectat, & oneris impositi grauitatem

tem, vt audiri mereatur, *Homo sum infirmus, & exigui temporis*. hoc est, exiguus tempore, nam iunior erat, vt minimum viginti duorum annorum, vel vitæ breuis, non diuturnæ, quæ posset adiumento esse ad intelligendas leges, ex studij assiduitate, nam hoc est illud Iob, *breui viuens tempore*: & propterea non potest sufficere hominis vita ad discenda omnia, quæ sunt opus gubernationi.

Imbecillitatem obiicit. Vita breuis discẽdo non sufficit.

Et minor ad intellectum. Græcè, in intelligentiis iudicij, & legum: hoc est, aut imbecillior, quàm vt iudicia, & leges possim intelligere, quibus regem instructum esse oportet. ex Deuteron. 17.18. & Iosue. 1. 8. Recognoscit inopiam aditurus diuitem Deum, & potentem subuenire; ignorantiam aperit, vt sapientiam adipiscatur.

Et si quis. Ostendit summam sapientiæ necessitatem. 9.

Tu elegisti. Certos nos facit se à Deo electum in regem, qui modò 10.
gratuletur electori suo, qui res illius vti proprij ministri curet.

Et dixisti. Græca locutio, pro, iussisti vt ædificarem templum: quem- 11.
admodum Paulus 2. ad Cor. 4. 6. ait, *Deus, qui dixit*, pro, iussit, *è tenebris lucem splendescere*. Iussum autem fuisse Salomoni, templum ædificare, primum, ac totius orbis celeberrimum, dicitur 1. Par. 28.5. his verbis: *Sed & de filiis meis elegit Salomonem filium meum, vt sederet super thronum regni Domini super Israel, dixitque mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atria mea*. Idipsum iussit Deus Dauidi 2. Reg. 7.2. 3. Reg. 5.5. & c. 8.19. 1. Paral. 22.10.

Præceptum de templo ædificando.

Similitudinem. Μίμημα, imitationem tabernaculi sancti, id est, altare 12.
factum ad imitationem, & exemplar altaris tabernaculi sancti, quod Moses construxit ad exemplar eius, quod illi in monte monstratum est Exodi 27. & 38. quod habebat quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine; cuiusmodi formæ, ac mensuræ erat altare tabernaculi, quod tempore Salomonis situm erat in Gabaon, vt legimus 3. Reg. 3.4. & 2. Paral. 1.5. & ipse maius altare in suo tempore construxit. Nam, vt legimus 2. Par. 4.5. *fecit altare aneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis*. Seruata quidem est proportio in vasis omnibus constructis in templo, ad ea, quæ erant facta in tabernaculo, qualis erat templi ad tabernaculum, quia magnificentius opus fuit, vtpote orbe toto celeberrimum: nec oportebat ita arctum, angustúmque construi, ac prius tabernaculum, quod humeris Leuitarum portabatur. Quemadmodum altare noui testamenti, quod per vniuersum orbem fundatum est, & portat potiùs sacerdotes, quàm portetur, superat vetus illud altare tabernaculi.

Altaris tabernaculi mensura.

Altare templi maius tabernaculi.

Altare noui Testamenti superat illa.

Et tecum sapientia tua. Pronomen, *tua*, non est in Græco. Hæc verba 13.
quidam cum sequentibus contexunt ad hunc modum: Ac tecum vna est Sapientia, quæ nouit opera tua, & affuit tecum, cùm orbem conderes, vt ipsa de se ait Prou. 8.27. *quando præparabat cælos aderam, cum*

eo

ea cuncta componens,quasi nutritia creaturarum;illam ergo mitte è sanctis cœlis. Sed verius Vatablo, & Iansenio videntur præcedentibus subiungenda.*Tabernaculi sancti tui,quod praeparasti ab initio, & tecum sapientia* simul præparauit,quæ nouit opera tua. Nam Exodi 31.2. Besebeel,& Oolias artifices insignes impleuit Deus sapientia, & intelligentia,& scientia in omni opere,vt facerent quæcumque præceperat Moysi Dominus,qua similiter se impleri postulat Salomon, vt templum illo priori tabernaculo amplius,& augustius ædificaret.

Sapientiam postulat ad templũ ędificandum.

14. *Et sciebat*,pro,*& qua scit*.non tunc cùm orbis conderetur tantùm sciebat, sed & nunc scit quid sit gratum in oculis tuis, *& quid directum in preceptis tuis*, cum lege traditis in monte Sion, ideò petit sapientiam,vt sciam,inquit,quid acceptum sit coram te.

Quid directum,pro,rectum in præceptis tuis, quod oporteret executioni mandare.Sapientia enim docet quod placet Deo: & qua occasione,seu opportunitate, præcepta Dei recta & iusta possent cum fructu compleri.

Sapientia docet placere Deo.

15. *Mitte illam*. Bis dicitur in Græco, *mitte illam*, vt geminatio vehementiam ostendat orationis.

Labor sapientiæ vtilis.

Vt mecum sit.Græcè,*vt assistens mihi laboret*,hoc est, vt præstò mihi sit,& meos labores adiuuet:nam sapientia adiuuante quis labor non felix,aut non vtilis fuerit?

16. *Deducet me in operibus meis.* σωφρόνως,sobriè,vel prudenter,vel moderatè:nam sapientia sobrietatem,& prudentiam, & moderationem docet in operando,ne remissiùs, aut vehementiùs quis operi insistat, quàm ratio postulat.

In sua potentia ἐν τῇ δόξῃ, *in gloria sua*,hoc est,custodiet me per suam claritatem,& maiestatem;vel,vt gloriam sibi comparet ex meis actionibus & ex mea gubernatione,custodiet me,vt Deus gloriosus ostendatur in ministro suo.

17. *Et disponam*.gubernabo,vel potiùs,diiudicabo populum tuum iustè:nam verbum διακρινῶ, significat forensem,ac iudicialem disceptationem,in qua ius suum vnicuique tribuitur.

Vtrumque parentem Deo obiecit.

Et ero dignus sedium. Græcismus est, pro, ero dignus sedibus, hoc est,throno,vel solio patris mei Dauid. Vtrumque obiicit Deo parentem, vt promereatur sapientiam obtinere,matrem ancillam, quo se deprimit,& patrem Dauidem regem piissimum,quem imitetur.

18. *Quis enim*.Ostendit in fine orationis huius necessitatem sapientiæ ad Dei voluntatem cognoscendam,vt illi obtẽperetur,quam impossibile est absque illa cognoscere:ex hoc enim pendet nostra salus,atque felicitas.Hunc locũ videtur retulisse Paulus ad Ro.11.ver.34.cùm ait:*Quis enim cognouit sensum Domini?aut quis consiliarius eius fuit?*& 1.ad Cor.2. 16.*Quis enim cognouit sensum Domini?*Nemo,enim sine sapientia, quæ nouit omnia secreta Dei,potest cognoscere Dei mentẽ,& voluntatem.

Sapiẽtia necessaria ad Dei voluntatẽ sciendam.

cogi

Cogitationes mortalium timidæ. Quia nunquam homo, dum mortalem hanc transigit vitam, certus, securúsque est, se suo opere Deo placere, aut se cogitare quod acceptum sit, nisi magistram sequatur sapientiam. Sed quia duce sapientia, & gratia iuuante, adhuc homo non est certus an Deo placeat, veriùs explicabimus, timidas esse cogitationes hominum, dum incerti sunt, ac multo præpediūtur timore, quam vitæ rationem ingrediātur, quam agendi viam sequantur, quid in vnoquoque negotio seligant; maximè in Reipublicæ administratione, quam ingrediebatur Salomon: ad hoc enim sapientia magistra opus est, quæ nouit modum incipiendi, ac negotium quoduis promouendi, & perficiendi. 19. Nemo certò nouit, quam viam insistat.

Et incertæ prouidentiæ nostræ. ἐπίνοιαι, excogitationes, inuentiones, prouidentiæ, non malè, pro, consilia nostra incerta, & fallacia. quidam vertit, *opiniones nostræ* quia nihil certi, sed omnia ferè sub opinione cognoscimus. Quàm sint autem incerta hominum consilia, & fallaces cogitationes, nisi diuina sapientia gubernentur, innumera docent exempla in sacris literis, & in vita quotidiana. Quocirca Rex Iosaphat in magnas ab hostibus coniectus angustias, Deum obsecrans 2. Paral. 20 12. ait: *Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus refugij, vt oculos nostros dirigamus ad te.* 20. Incerta hominum consilia sine sapientia.

Corpus. Græcè, *corruptibile enim corpus*, vt legit Augustinus lib. 13. de Ciuit. Dei, cap. 16. & lib. 19. cap. 4. 21. Augustinus.

Et terrena inhabitatio. Græcè, *& terrenum tabernaculum*, seu *domicilium deprimit mentem multarum curarum*, vel multis curis distractam, atque occupatam, id est, anxiam, & solicitam, vt Martha Lucæ 1. v. 41. solicita erat, & turbabatur circa plurima: cùm vnum sit necessarium. Augustinus lib. 2. cōtra Pelagian. refertur legisse, *sensum multa curantem*, non malè. Duas causas subiicit eius quod dixerat, sine sapientia neminem attingere Dei consilium, & voluntatem. Altera est, corporis grauitas, & multiplices molestiæ, & bellum assiduum ex propensione in vitia natum; quod tanto impedimento est, vt cum gemitu dixerit Apostolus ad Roma. 7. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Alteram addit in sequenti versu, ignorantiam. Grauitas corporis impedit scire Deum. Augustinus.

Et difficile æstimamus. Græcè, *& vix imaginamur*, vel, *coniectamus*, aut *coniectura assequimur, quæ in terra sunt.* Argumento ducto à minori ad maius docet quàm longè à nostra cognitione sint res diuinæ, & animæ salutares, cùm res, quę inter manus versātur, necdū assequamur. 22. Ignorantia quàm impediat hominem.

Et quæ in prospectu sunt. Græcè, *& quæ in manibus, inuenimus cum labore.* hoc est, quæ inter manus versantur, si assequamur, id sine multo labore non fit.

Quis inuestigabit? In Græco, præteritum est, quis inuestigauit? vt legit Hieronymus in cap. 12. Zachariæ, dicens: Quæ in cœlo sunt quis inuestigauit? Hieronym.

Et consilium tuum quis cognouit? Et particula illa, *autem* cùm dicitur, *Quæ autem in cœlis sunt*, videtur concludentis esse, aut colligentis, vt dicat, Quæ ergo in cœlis sunt quis inuestigauit?

23. Sensus significata. *Sensum autem*. Interpres nomen, sensus, vsurpat ad diuersa significanda: nam animam, prudentiam, & voluntatem sensum interpretatur: & hoc loco, Dei consilium: nam Græcè legimus βουλὴν, & Hieronymus eo loco vertit, *& consilium tuum quis cognouit?*

Hieronym. Idem. *Quis sciet?* Præteritum est in Græco, vt habet etiam Hieronymus, *Et consilium tuum quis nouit?* Cyprianus in lib. de singularitate clericorum, cap. 10. præsenti effert. *quis scit?*

Cyprianus. *Nisi tu dederis sapientiam*. Ita communiter transferunt Interpretes, & Cyprianus eo loco. At Hieronymus loco dicto per præteritum exponit, *Et consilium tuum quis cognouit? nisi quòd tu dedisti sapientiam. & Spiritum sanctum tuum misisti de excelsis.* Sed nihil refert, cùm quod Hieronymus affirmanter, Vulgatus per interrogationem transtulerit

Donum sapientiæ, Spiritus sanctus. ad eundem sensum. Donum autem Sapientiæ ab Spiritu sancto infusum, vocat Spiritum sanctum.

24. *Et sic*. Nempe, *quia dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum. Correctæ sunt semitæ eorum, qui sunt*, vel versantur in terra, & quæ

Hieronym. Cyprianus. tibi placent, eruditi sunt homines. Ita Hieronymus interpretatur; & legit Cyprianus, de præsenti morum correctione, & eruditione. Alij legunt per præteritum, *& ita directæ fuerunt viæ illorum, qui in terra fuerunt*, vel, *vixerunt*. quæ lectio congruit cum exemplis allatis in sequentibus capitibus, in quibus commemorantur exempla eorum, qui sapientia gubernati, præsentis vitæ pericula euaserunt, quomodo interpres Complutensis, & Regius quoque transtulit. Sed Vulgatus, dum sub interrogatione hanc sententiam vertit, ad præterita quodammodo respexisse videtur, præsertim cùm addiderit, *Nam per sapientiam sanati sunt.*

25. *Nam per sapientiam*. In Græcis codicibus, & aliis Interpretibus, & in Cypriano, illa sola verba leguntur, *Nam per sapientiam sanati*, vel,

Sapientiâ omnes saluati. *saluati sunt*, vel, *Et sapientia seruati sunt*, vt subiiciatur præmissæ clausulę. Vnde alia, *Quicunque placuerunt tibi Domine à principio*, addita videntur, explicandi ea gratia, quæ implicabantur in prioribus illis verbis: etenim in sequenti capite incipit ostendere, quinam à principio fuerint per sapientiam saluati. Quemadmodum Paulus ad Hebræ. 11. ab initio refert omnes, qui saluati sunt, fide Christi fuisse saluatos, Agni occisi ab origine mundi, vt dicitur Apocal. 13. 8.

SAPIEN

SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT X.

VETVS.

HÆc illum, 1. qui primus formatus eſt à Deo Pater orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus, cuſtodiuit.

2. Et eduxit illum à delicto ſuo, 3. & dedit illi virtutem continendi omnia.

4. Ab hac vt receſſit iniuſtus in ira ſua, 5. per iram homicidij fraterni deperiit.

6. Propter quem, cùm aqua deleret terram, ſanauit iterum ſapientia, 7. per contemptibile lignum iuſtum gubernans.

8. Hæc & in conſenſu nequitiæ, cùm ſe nationes contuliſſent, ſciuit iuſtum, 9. & conſeruauit ſine querela Deo, 10. & in filij miſericordia fortem cuſtodiuit.

11. Hæc iuſtum à pereuntibus impiis

NOVA.

HÆc protoplaſtum mundi patrem, ſolúmque creatum conſeruauit.

Eúmque à ſuo lapſu aſſeruit dedítque illi robur dominandi omnibus.

Ab hac verò cùm iniuſtus defeciſſet in ira ſua, cum fratricidis periit indignationibus.

Propter quem, demerſam diluuio terram ſapientia iterum conſeruauit, cùm iuſtum exiguo ligno gubernaſſet.

Hæc etiam in conſenſione prauitatis gentium confuſarum inuenit iuſtum, ſeruauítque Deo inculpatum, atque in viſceribus filij fortem cōnſeruauit.

Hæc iuſtum pereuntibus impiis

impiis liberauit fugientem, deſcendente igne in Pentapolim.

12. Quibus in teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra, 13. & incerto tempore fructus habentes arbores, 14. & incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis.

Sapientiam enim 15. prætereuntes non tantùm in hoc lapſi ſunt, vt ignorent bona, ſed & inſipientiæ ſuæ reliquerunt hominibus memoriam, vt in his, quæ peccauerunt, nec latere potuiſſent.

16. Sapientia autem hos, qui ſe obſeruant, à doloribus liberauit.

17. Hæc profugum iræ fratris iuſtum deduxit per vias rectas, 18. & oſtendit illi regnũ Dei, 19. & dedit illi ſcientiam Sanctorum: 20. honeſtauit illum in laboribus, & compleuit labores illius.

21. In fraude circumuenientium illum affuit illi, & honeſtum fecit illum.

Cuſtodiuit illum ab inimicis, & 22. à ſeductoribus tutauit illum, 23. & certamen forte dedit illi, vt vinceret, & ſci-

ret

impiis liberauit, cùm fugiſſet ignem deſcendentem Pentapolis.

Cuius etiamnum malitiæ teſtimonium, fumigans extitit terra; ac imperfectis maturitatibus fructus ferentes plantæ; atque ſalis ſtatua monumẽtum animæ diffidentis conſtituta.

Nam qui ſapientiam per contemptum prætererunt, non ſolùm ſunt læſi in eo, quòd res bonas ignorarunt, ſed etiam vitæ reliquerunt, ſuæ inſipientiæ monumentum, vt ne in his quidem, in quibus ſunt lapſi, latere poſſint.

Eos autem, qui eam coluerunt ſapientia ærumnis liberauit.

Hæc iuſtum fratris iræ profugum per rectas deduxit vias: Dei regnũ ei oſtendit cognitionémque Sanctorum ei dedit, locupletauit eum in ærumnis, ac eius labores ſumma bonorum copia compenſauit.

In auaritia inualentium in eum affuit, illúmque ditauit.

Conſeruauit eum ab hoſtibus & ab inſidiantibus tutata eſt, ac certamen forte vincere ei dedit, vt cogno-

ſceret

ret quoniam omnium potentior
est sapientia.
24. *Hæc venditum iustum non*
dereliquit, sed à peccatoribus li-
berauit eum: descendítque cum
illo in foueam.
Et in vinculis non dereli-
quit illum, 25. *donec afferret*
illi sceptrum regni, & poten-
tiam aduersus eos, qui eum de-
primebant: & mendaces osten-
dit, qui maculauerunt illum,
& dedit illi claritatem æter-
nam.
26. *Hæc populum iustum, &*
semen sine querela liberauit à
nationibus, quæ illum depri-
mebant.
27. *Intrauit in animam ser-*
ui Dei, & stetit contra reges
horrendos in portentis, & si-
gnis.
28. *Et reddidit iustis merce-*
dem laborum suorum, & de-
duxit illos 29. *in via mirabi-*
li: & fuit illis in velamento
diei, & in luce stellarum per
noctem:
30. *Transtulit illos per mare*
rubrum, & transuexit illos per
aquam nimiam.
Inimicos autem illorum 31.
demersit in mare, & ab altitu-
dine inferorum eduxit illos.
Ideo iusti tulerunt 32. *spolia*
impiorum.
33. *Et decantauerunt Domi-*
ne

sceret pietatem omni re esse superiorem.

Hæc venditum non dereliquit iustum, sed à peccato eum seruauit, vnà cum eo descendit in foueam.

Neque in vinculis eum deseruit, donec ei attulit sceptra regni, potestatémque in eius oppressores, & mendaces ostendit eos, qui eum criminosè insimularant ac gloriam ei conciliauit sempiternam.

Hæc populum sanctum, ac semen irreprehensibile ab affligente illum gente liberauit.

Intrauit in animam serui Domini, ac restitit regibus terribilibus in portentis, ac signis.

Reddidit Sanctis mercedem laborum suorum, deduxit eos per viam mirabilem; & fuit eis in tegumentum die, & noctu pro splendore stellarum.

Traiecit illos per mare rubrum, plurimásque per aquas eos traduxit.

Hostes verò ipsorum demersit, & ex profunditate abyssi ipsos fecit ebullire. ideo iusti impiis spolia detraxerunt.

Ac cecinerunt, ô Do-

ne nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter.	mine, nomẽ sanctum tuum, manúmque victricem tuam vnanimiter laudauerunt.
34. *Quoniam sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.*	Quoniã sapientia os mutorum aperuit, linguásque infantium fecit disertas.

ARGVMENTVM.

Decantat sapientiæ triumphos, confirmátque illustribus exemplis, quæ sunt mandata sacrarum literarum monumentis: ab Adamo vsque ad exitum de Aegypto probans saluatos per sapientiam fuisse omnes iustos à principio: quod in fine noni capitis proposuerat.

COMMENTARIVS.

1. Sapientia Adamũ custodiuit. QVi primus formatus est; Vno vocabulo dicunt Græci Protoplastum, particula verò, *à Deo*, non est in Græco, nec in Augustino in Epistol. 99. non est tamen extra sensum. Adamum intelligit, qui primus à Deo ex terræ luto formatus est.

Sapientia saluti hominũ præstò est. *Custodiuit.* Ne peccaret antequàm deciperetur ab vxore; vel, ne propter commissum peccatum in æternum periret; aut, ne à quoquam læderetur. Nam sapientia præstò adest ne peccemus, & si peccauerimus ne corpore intereamus, & ita in infernum detrudamur.

2. Adamum à peccato eripuit. *Et eduxit.* In omni codice Græco habetur ἐξείλατο, *exemit, extulit illum à delicto proprio.* In quibusdam codicibus legimus, ἐξέτεινε, *extendit*, siue *extraxit*; *asseruit*, aut *vindicauit eum à lapsu, vel delicto proprio.* Nam Adamo inspirauit pœnitentiam, & eripuit à suo delicto Sapientia. Ex hoc loco deducunt Ecclesiastici patres Adamum protoparentem æternam salutem consecutum; de qua disseramus oportet, vt Patri omnium hunc honorem deferamus.

Quæstio, Num Adam seruatus sit? Tatianus negauit. Irenæus. Tertullianus. Eusebius. Epiphanius. Quæstio ergo est, Vtrùm Adam sit æternam salutem adeptus?

Tatianus, Iustini Martyris discipulus auctor hæresis Encratitarum affirmabat Adam æternis suppliciis addictum. Sic referunt, Irenæus, lib. 1. aduersùs hæreses, cap. 31. & lib. 3. à cap. 34. Tertullianus lib. de Præscriptionibus, cap. vltimo, Eusebius lib. 4. historiæ Eccles. cap. 27. Epiphanius hæresi 46. & in expositione fidei, Philaster in catalogo hæreseon, in Tatiano, & Augustinus in lib. de hæresibus, n. 25. Atque in Tatiani sententiam propendere videtur Rupertus lib. 3. in Genesim, cap. 31. Probatque illam in primis, quia nulla Scriptura canonica

nonica,inquit,mentionem facit de eius pœnitentia,aut de aliquo illius bono opere,sed tantùm de peccato; ergo de lapsu certi sumus, de pœnitentia incerti. Deinde, quia Paulus sæpe, præsertim ad Roma. 5.& 1.ad Cor. 15. Christo opponit Adamum, quòd hic fuerit peccati, mortis,& damnationis auctor; Christus verò iustitiæ,vitæ,& immortalitatis effector. Ille igitur sicut peccauit mortuus est, & damnatus. Tertiò, quia si Adam asserendum est seruatum fuisse, hoc ex verbis prædictis huius capitis 10. Sapientiæ, *Et eduxit illum à delicto suo*, est deducendum: at huic obstat primùm quòd ait Rupertus, librum hunc non esse canonicum,imò falsum quid continere,illud videlicet, *dedit ei virtutem continendi omnia*; quod soli Christo concessum est. Obstat præterea, quòd etiam si demus librum esse canonicum, ex eo tantùm certò colligimus, è peccato illo commisso in esu pomi vetiti, eductum esse Adam à sapientia, non tamen in tam longo vitæ spatio in alia peccata non fuisse lapsum, vel saltem ornatum iustitia per Christum,decessisse;quod Tatianus negabat,& de quo Rupertus dubitabat.

Philaster Augustinus. Idem Rupertus. Ratio prima Ratio secunda. Ratio Tertia. Sapientiæ liber non canonicus.

Verùm Adam salutem adeptum æternam absque nota hæresis,dubitari non potest. Primùm, quia totius Ecclesiæ & Patrum concors sententia est,Irenæi lib.1.cap.31.& lib.3.cap.34.35.37. & 39. Tertulliani, & Epiphanij locis dictis, Chrysostomi homil. 7. ad populum Antiochenum, Ambrosij lib.1.de Pœnitentia,cap.11.Macharij Ægyptij homil.11. Anastasij monachi Sinaitæ lib.6. in Hexameron, & Augustini in Epistol.99. ad Euodium, vbi sic ait:De illo primo homine patre generis humani, quòd Christus cùm descendit ad inferos,inde eum liberauerit,Ecclesia ferè tota consentit; quod eam non inaniter credidisse credendum est, vndecumque hoc traditum sit,etiamsi canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas. Sic Augustinus. Secundò, quia similiter concors est plurimorum Patrum sententia, Adamum, postquàm vixisset circùm paradisum, venisse in montem Iebus,postea dictum, Golgotha, seu Caluariæ, ibique à suis filiis sepultum,vbi Christi sanguine è cruce pendentis aspergeretur,& illuminaretur. Hanc vt veram traditionem à maioribus acceptam referunt, probántque Origenes tract.35. in Matthæum, Cyprianus sermone de Resurrectione Christi, post initium, Athanasius lib. de Passione Domini,Basilius in cap.5. Isaiæ,& in quadam oratione,quam citat Simeon Metaphar.in vita S.Theodosij, apud Surium tomo 1 Chrysostomus homil.84.in Ioannem,Epiphanius hæresi 46. Tatianorum,& hæresi 45. Ambrosius lib.5.epistolarum, episto.19. & in cap. 23.Lucæ,Paula,& Eustochium in epistola ad Marcellam,apud Hieronymum, Cyrillus super Isaiam relatus à Barcepha lib.1. de paradiso, p.1.cap.14.Anastasius Sinaita lib.7. Hexameron, & lib. 11.& libro 6. ait,in Golgotha hinc,& hinc,Adamum,& Euam sitos esse,& medium

Fide tenemus seruatum Adam. Irenæus. Tertullianus. Epiphanius. Chrysostomus. Ambrosius. Anastasius. Augustinus. Ecclesiæ cōsensus. Adam sepultus in loco Caluariæ. Origenes. Cyprianus. Athanasius Basilius. Metaphrastes. Chrysostomus. Epiphanius. Ambrosius. Paula & Eustochium. Cyrillus Alex. Barcepha. Anastasius.

Augustinus. Theophylactus. Euthymius. Moses Barcepha. Iacobus Edessenus. Ossa Adę filiis Noë partita. Caluaria Adæ obtigit Sem.

medium lignum viuificum. Est etiam prædictæ sententiæ Augustinus sermo 71. de immolatione Isaac. Theophylactus in cap. 27. Matthæi, Marci 15. Lucæ 23. & Ioan. 19. & Euthymius in Matth. 27. Refert autem Moses Barcepha Syrus Episcopus in lib. de Paradiso, p. 1. cap. 14. ex mente Domini Iacobi orrohaitæ, seu Edesseni, magistri Ephreni; Noë arcam conscensurum cum filiis suis, impendente diluuio, ex eo Adæ sepulcro secum in arcam intulisse ossa Adam; eaque deinde post diluuium arca egressum, filiis distribuisse, iuxta partitionem, qua inter illos orbem terrarum partiebatur, & ita Caluariam Adam dedisse primogenito Sem, & terram illi Iudæam assignasse. Vnde posteritas Sem cùm in Iudæam, seu in suam venisset hæreditatem, illam Adæ Caluariam, quæ sibi de patris ossibus iure hereditario obuenerat, in Adæ sepulcro, quod alioqui illic extabat, reposuit; Sic Auctor ille.

Hieronymi sententia.

Hieronymo autem contrarium probanti ex loco Iosue, 14. alio in loco responsum est.

Adam pœnitentiam egit. Irenæus. Foliis ficus tectus ad pœnitentiā.

Tertiò communis sententia est Adamum grauissimam, ac diuturnissimam egisse pœnitentiam, quod probat Irenæus lib. 3. cap. 37. quòd foliis ficulneis semetipsum contigerit, existentibus & aliis multis, quæ minùs eius corpus vexare potuissent: condignum tamen inobedientiæ amictum fecisse, conterritum timore Dei, refundentem petulantem carnis impetum, quoniam indolem, & puerilem sensum amiserat. Quoniam, inquit, eam, quam habui à Spiritu sanctitatis stolam amisi per inobedientiam, & nunc cognosco, quoniam sim dignus tali argumento, quod delectationem nullam præstat, mordet autem, & pungit corpus. Epiphanius quoque hæresi 46. Castigatione ait, non vulgari plexus est, & è regione paradisi in exilium actus, quò memor esset bonæ vitæ per pœnitentiam in memoriam reuocatæ.

Epiphanius.

Psalmum composuit. Nicodemus.

Quin & Hebræorum sententia est, in suo diuturnissimo exilio Adam se consolatum Psalmo 92. *Dominus regnauit decorem indutus est &c.* à se composito. Nicodemus quoque Christi discipulus, in historia de Passione & Resurrectione Domini, refert Christum Iesum, cùm descendisset ad inferos, manum Adam tenuisse, ac dixisse: Pax tibi cum omnibus filiis tuis iustis meis; ipsum autem Christi genibus aduolutum lachrymabiliter sic deprecatum voce magna: *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me: eduxisti ab inferis animam meam, saluasti me è descendentibus in lacum*; & reliqua, vt habentur in 29. Psalmo.

Adæ ad Christum precatio.

Ad rationē primam.

Ad rationes oppositas respondetur: Adami salutem manifestam communi Ecclesiæ consensu, vt iam probatum est; & ex hoc capite satis ostendi à sapientia è suo delicto erutū. Ad alteram, quòd Adam suo peccato fuerit auctor peccati mortis, & damnationis, non statim sequi ipsum damnatum: siquidem egit pœnitentiam de suo delicto, quamuis

Ad rationē secundam.

quamuis per illam non potuerit vitare peccatum aliorum, mortem, & damnationem. Ad tertiam rationem dicimus, & librum hunc Sapientiæ esse canonicum, & factũ, vt initio huius operis probauimus, & nihil falsi continere, vt statim explicabimus. Deinde dicimus ex hoc Sapientiæ loco, magis hoc colligi, quàm quippiam aliud: ait enim Augustinus in epistola illa 99. ad Euodium, prope initium. Quamquam illud, quod in libro Sapientiæ scriptum est: *hac illum, qui primus factus est, patrem orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum a delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia*: magis pro hac sententia, quàm pro vllo alio intellectu, facere videatur. Sic Augustinus. Et quidem de diuina sapientia non est dubitandum, non permisisse hominem primum à se creatum in æternum periisse, quamquam, vt diximus, non adeò plenè verba illa hunc sensum præferant, si propriè accipiantur.

Ad tertiam hunc librũ esse canonicum. Augustinus

Et dedit. Propter hunc locum existimauit Rupertus loco iam dicto Sapientiæ libri auctoritatem esse incertam, quòd hoc falsò dixerat de Adam, quod soli Christo conueniebat, *Et dedit ei virtutem continendi omnia.* Verùm immeritò pius vir locum hunc vt falsum repudiauit, qui optimè conuenit Adamo, vno è duplici sensu; vel, dedit illi robur, aut vires vincendi omnia, hoc est, dedit illi virtutem, qua superaret omnia huius vitæ pericula: nam simul ac inimicas sensit omnes creaturas, circumseptus est Adã fortitudine, qua illas superaret. Aut, quod verius est dedit illi vim, seu virtutem dominandi omnibus, aut potestatem habendi in omnia, cùm dixit Genes. 1. 28. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Quæ dignitas hominis decantatur in Psalm. 8. *Constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Ecclesiastici quoque cap. 17. 4. dicitur: *Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram, posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum, & volatilium.* Et ne quis putet hoc dominium illi datum ante lapsum, & non post eum, in cap. 9. Gen. v. 1. transacto diluuio dixit Deus Noë, & *filiis* eius: *Terror vester, ac tremor sit super cuncta animantia terræ, & super omnes volucres cœli, cum vniuersis, quæ mouentur super terram: omnes pisces manui vestræ traditi sunt.*

3. Ruperti sententia.

Refutatur. Adam vim habuit contra aduersa omnia. Adam omnium dominus.

Ab hac. Græcè, *Ab hac apostatans iniustus in ira sua*, pro, *ira sua*, hoc est, dum à sapientia recessit iniustus Caim senior filius Adam per suam iram. Addit & hanc magnam sapientiæ laudem, quòd omnes, qui eius præsidio sunt destituti, scelera grauissima perpetrarunt. Cuius rei exemplum est Caim primogenitus Adæ, qui per summam stultitiam fratrem suum Abel, non alia de causa occidit, quàm quòd Deus eius innocentia, & sacrificio fuerit delectatus, &, vt ait Ioannes 1. sua epi-

4. Sapientiæ desertores facinorosi. Exemplum Caim, qui fratrem occidit.

stola,cap.3.12. *Quoniam opera eius maligna erant, fratris autem iusta.* & Paulus ad Hebræ.11.4. *Fide*, ait, *plurimam hostiam Abel, quàm Caim, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est, esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur.* Refertur hæc historia fratricidij Caim Genes.4.cap.

5. Origenes. *Per iram.* Græcè, *fratricidis deperiit furoribus*, aut, *indignationibus*, vel *fraternis parricidij furiis deperiit.* In Origene Tracta.20.in Ioan. legimus, *Recedens autem ab ipsa iniustus in ira sua, periit cum animis fratricidis.* hoc est, cum odio, quo ad necandum Abel est impulsus: vel, vt alij exponunt, *simul periit cum Abel, quem interfecit suis furoribus fratricidalibus.* Sed ita meliùs explicabitur. hac nempe sapientia deserta per iram ex inuidia in fratrem concitatam; *quia respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Caim autem, & ad munera eius non respexit:* furore, quo fratrem interfecit, & ipse periit, dum fraternæ charitatis iura violauit, & prior ipse mortem peccato in orbem inductam, intulit fratri, quàm ipsa natura. Itaque destitutus à Sapientia, fratrem interfecit, & ipse in grauissimum barathrum decidit fratricidij: Vnde Philo lib. Quòd deterior potiori induetur, Insurrexit, ait, Caim in Abelem fratrem suum, & interfecit ipsum; prima quidem specie Abelem occisum subindicat, sin autem diligentiùs rem expendas, ipsum Caim à seipso: proinde sic legendum: *Insurrexit Caim, & occidit seipsum*, &c.

Caim mortem primus intulit fratri.

6. *Propter quem*, nempe Caim iniustum. Volunt aliqui expositores, relatiuum, *propter quem*, referre iniustum collectiuè, pro *iniustos*, qui Caim imitati, recedentes à Sapientia, inundatam terram. rursus seruauit Sapientia. Nam *videns Deus quòd multa malitia esset in terra, & quòd filij Seth ingressi sunt ad filias hominum*, posterorum Caim, Gen.6. decreuit terram delere. Verius tamen est, illud relatiuum simpliciter referre ipsum Caim, tanquam caput, ducem, ac principem omnium impiorum, qui eum secuti sunt: ait enim Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 3. Ceterùm tantum abfuit vt hac castigatione in melius vitam mutauerit, vt peior etiam sit factus suis voluptatibus, vel cum aliorum iniuria indulgens, & facultates domesticas per vim, ac rapinas accumulans, accitis vndecumque latrociniorum, & nequitiæ sociis, magister illis ad facinorosam vitam est effectus. Adhæc simplicem hactenus viuendi rationem, excogitatis mensuris, & ponderibus immutauit, pristinámque synceritatem, & generositatem ignaram talium artium in nouam quandam versutiam deprauauit. *Et post pauca.* Superstite etiam tum Adamo, Caini soboles sceleratissima euasit, dum posterior quisque fit deterior, nec solùm imitatur priorum vitia, sed & superat.

Iosephus.

Diluuium inductum propter Caim.

Caini impietas.

7. Origenes. *Per contemptibile. Vili ligno iustum gubernans*, dixit Origenes: Alij clariùs, *per vile lignum iusto gubernato*, hoc est, dum exiguo ligno, nempe

nempe arca, iustum Noë conseruauit, eius gerens curam, de quo Ecclesiasticus cap. 44. 17. *Noë inuentus est perfectus, iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne deleri possit diluuio omnis caro.* & Paulus ad Hebræ. 11. 7. *Fide Noë responso accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum & iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus.* Arcâ Noë liberat sapientia.

Hæc & in consensu. Græcè, *hæc etiam in consensione malitiæ gentium confusarum* ἔγνω, *agnouit iustum.* Alij legunt, εὗρε, *inuenit*: hoc est, hæc etiam inter gentes malitiosa concordia commixtas, vel conspiratione coniunctas. Omnes huius loci expositores iustum intelligunt Abraham, quem ex conspiratione superborum, ad turrim Babel construendam congregatorum, in qua confusæ sunt linguæ, Sapientia agnouit, ac custodiuit. Sed quis non videat quàm longè petita sit hæc Abrahæ per Sapientiam ereptio? Nam confusio linguarum contigit anno 130. post diluuium, Abraham autem ereptus est de Vr Chaldæorum, anno 243. à linguarum confusione, cùm ipse natus esset annos 52. Qui ergo per tot annos nondum erat, quomodo ereptus dicatur, & custoditus à Sapientia, quæ de beneficiis ipsa præstitis hîc commendatur, non de conceptis? alioquin etiam à diluuio liberatus dici posset Abraham. Idcircò sunt qui hunc locum exponant de quatuor gentium regibus Gene. 14. quos Abraham fudit, Loth nepote cum præda restituto, qui societatem coierant, & ad bellum iniustum vires suas coniunxerant; ac tunc Sapientia iustum Abraham custodiuit, & spolia reportantem reduxit incolumem. 8.

De Abrahā seruato in Babel.

Refutatio.

De Abraham è bello quatuor Regum liberato.

Verius videtur, & rei, qua de agitur, commodius, fieri hîc sermonem de illo insigni beneficio, toties in Scriptura repetito, eductionis Abrahæ de Vr Chaldæorum. Nam de eo peculiari ratione gloriatur Deus, cùm Genes. 15. 7. dixit: *Ego sum Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum.* & Esdras 2. cap. 9. 7. quasi insigne referens beneficium. *Tu ipse*, inquit, *Domine Deus, qui elegisti Abraham, & eduxisti eum de igni Chaldæorum.* Quo ostenditur, tunc Abraham agnitum à Deo, vt eriperetur è periculo, cùm impij Chaldæi persecutionem in eum commouerant, quòd suæ impietati noluisset consentire. Nam hanc persecutionem contra Abraham motam, antequàm educeretur ex Vr Chaldæorum agnoscunt Iosephus lib. 1. Antiqui. cap. 15. Hieronymus in Traditionibus in Genesim, Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei, cap. 3. & R. Moses in libro Directionis perplexorum, quem refert Burgensis in 11. Genesis, eámque Philo indicat in lib. Quis rerum diuinarum hæres, & in libro de Somniis. Est ergo huius loci hic dilucidus sensus: Hæc etiam sapientia; cùm gentes Chaldæorum praua consensione conspirassent aduersus iustum Abraham, agnouit illum, & curam eius habere exorsa est, & eripuit è manu persecutorum.

Liberatus à Sapientia Abrahā de Vr Chaldæorum.

Abraham Chaldæi persecuti sunt.

Iosephus. Hieronymus. Augustinus. R. Moses. Philo.

Sensus verus.

9. *Et conseruauit sine querela Deo.* Græcè vnum est nomem ἀμέμπτον, quod inculpatum, seu irreprehensibilem significat. Itaque ait: Sapientiam agnouisse iustum Abraham, hoc est, non fuisse eius oblitam in illa graui persecutione, sed charum habuisse, & inde eduxisse, & conseruasse inculpatum, non tantùm à culpa consentiendi cum impietate Chaldæorum, sed etiam deinceps. *& sine querela Deo*, ita vt Deus nullam de illo querelam haberet, quòd non deprehenderet culpam aliquam, de qua queri posset. Ex quo loco patet verior sententia Iosephi lib. 1. Antiq. cap. 8. & Hieronymi quæstio. in Genes. cap. 12. Suidæ in verbo, Abraham, Abulensis q. 6. in 24. Iosue, Abraham idololatria non fuisse contaminatum. quod probat testimonium Achioris Iudith 5. 7. dicentis. *Hic populus primùm in Mesopotamia habitauit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum. Deserentes itaque caremonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant, vnum Deum cœli coluerunt, qui & præcepit eis vt exirent inde, & habitarent in Charan.* Hoc præceptum Abrahæ traditū est, ac proinde illi conuenit quòd noluerit sequi deos patrum suorum. Nec locus Iosue 24. 2. contradicit, qui de Thare, & Nachor tantùm loquitur.

Iosephus. Hieronymus Suidas. Abraham idololatra non fuit.

10. *Et in filij misericordia fortem custodiuit.* Græcè, *& in filij visceribus fortem præstitit.* De obedientia Abrahæ loquitur in filio immolando. Nam Sapientia adeò fortem, constantem, ac inuictum custodiuit illum, ne naturali misericordia, vel amore paterno, quo in filium Isaac erat incensus, moueretur, quominùs illum immolaret, vt constantiam eius, quasi admiratus Deus, cum iureiurando promiserit illi Genes. 22. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me.* Fortem ergo præstitit Sapientia Abrahamum, ne filij amore retardaretur ab implendo mandato Dei. Etsi libet sic accipere, *in visceribus filij*, hoc est, per viscera Christi Abrahæ filij: eius enim meritis, eius misericordia præstitum est Abrahæ, vt fortis existeret, & Deo charus.

Abrahę virtus in filio immolando.

Christi miseratione fortis fuit Abraham.

Hæc iustum. Loth intelligit, quem Sapientia illustri facinore, de incendio liberauit, pereuntibus impiis ciuibus quatuor ciuitatum, vt Genes. 19. refertur.

Loth liberatio.

11. *Cùm fugisset.* Græcè in accusandi casu est, *fugientem, descendentem ignem Pentapolis.* Fugiebat enim incendium, quo quatuor illæ ciuitates conflagrarunt: nam quinta Segor precibus Loth seruata est. Regio autem Pentapolis, seu Pentapolitana dicebatur à quinque eius ciuitatibus quibus constabat, quamuis non omnes fuerint concrematæ. Itaque cùm ait Loth fugisse ignem Pentapolis, significat ignem descendentem in Regionem illam dictam Pentapolis.

Pentapolis.

12. *Quibus.* Tria insignia monumenta nequitiæ illius impiæ gentis assignat, quibus illustrior ostenditur Sapientia impios puniendo, & Loth victum eripiendo, Græcè dicitur, *cuius etiamnum testimonium nequitiæ.*

nequitia. Refert autem relatiuum *cuius*, Pentapolis. Vnde alij vertunt, *Quarum*, nempe ciuitatum, *nequitia testimonium hoc primum extat.* Vulgatus dixit, *quibus*.

Fumigabunda. Græcè, *fumigans extitit terra*, χέρσος propriè est terra inculta, deserta, & vastata. vt significet terram illam prorsus vastatam fumum emittere iudicij Dei in se facti indicem; ideo Vulgatus transtulit *deserta terra.* Loquitur autem de terra circùm mare mortuum iacente: si quidem non solùm regio, in qua sitæ erant illæ ciuitates, obruta est, sed vicina regio circumquaque terra pestilentium aquarum euaporatione, eodem malo infecta est. Huius rei ipsi etiam prophani scriptores meminêre. Strabo lib. 17. Geographiæ, Solinus in Poli historia, cap. 37. & Tacitus lib. 5. Historiarum, sic ait: haud procul inde campi, quos ferunt olim vberes, magnísque vrbibus habitatos, fulminum ictu arsisse. Ego sicut Iudaicas quondam vrbes igne cœlesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eóque fœtus segetum putrescere reor. Sed oculatus testis Burchardus 1. p. De scriptionis terræ sanctæ, cap. 7. n. 3. sic describit latiùs, circùm mare per mediam dietam ferè sterilis, & inutilis reddita est, ita vt ne germen quidem producat in sui latitudine, quæ alicubi quinque leucarum est, alibi, sex: tanta verò calamitas ei regioni accidit, vt etiam regio ipsa pœnas luere perpetuò videatur. A dextris insuper, & à sinistris montes steriles sunt, & aridi, per multa, & longa terrarum stadia: quatenus scilicet exitialis ille vapor, impellente vento pertingere potest. hæc ille. Ex quibus constat, terram tenebris obrui, & vapore infici, non ex ipsa efflante, sed è mari emisso. Atque ideo vocatur terra fumigans, seu fumosa, quòd fumo, vel vapore illo lacus Asphaltitis oppleatur.

Regio circùm mare mortuũ fumum euaporans.
Strabo.
Solinus.
Tacitus.
Burchard.

Et incerto tempore. Græcè, & imperfectis maturitatibus fructus ferentes plantæ. ὥραις, *temporibus* transferunt alij: nam nomen ὥρα & pulchritudinem significat, & maturitatem, tempus quoque florentis ætatis. Imperfectis ergo temporibus fructus ferre plantas, vel arbores, nihil aliud est, quàm nondum tempore opportuno adueniente, quo solent arbores fructus maturare, eos ferre, ac proinde intempestiuos, immaturos deformatos vocat Quintilianus, in quibus nondum forma perfecta est. Vnde in Origene Tract. 20. in Ioan. legimus, *& plantæ intempestiuum fructum ferentes*, vt legit hoc loco Vatablus: nam terra illa maledicta maturandi vim non habet. Vulgatus autem ideo dixit, *incerto tempore*, quia nullum certum tempus assignari potest, in quo fructus maturescant, vt fit in alijs regionibus, quia semper sunt immaturi in testimonium diuini iudicij. Habemus huius rei testem, præter iam dictos, & ipsum Iosephum lib. 5. de bello Iudaico, cap. 5. qui sic ait, Denique adhuc in ea diuini reliquias ignis, & oppidorum quinque videre licet imagines, & renascentes in fructibus cineres, qui colore 13.

Fructus intempestiui regionis Pentapolis.
Quintil.
Origenes.
Iosephus.

quidem ſunt edulibus ſimiles, carpentium verò manibus in fumum diſſoluuntur,& cinerem.

14. Vxor Loth in ſalem conuerſa.

Et incredibilis. Græcè, *& incredula anima monumẽtum ſtans columna ſalis,* ſiue *ſtatua ſalis.* De vxore Loth ſermo eſt,quæ ſecuta virum,antequàm ingrederetur vrbem Segor, non credens diuinæ comminationi,quaſi nihil mali Deus eſſet illaturus, etiamſi retrò reſpiceret, indignatione plena ob patriam,bonáque relicta, & in Deum iracundia incenſa, nihil referre putans, retrò reſpexit, ac inobedientiæ pœnas

Sal monumentum incredulitatis mulieris. Sal fœderis ſignum perpetuò duraturi. Ioſephus. Burchard. Cõtra retrò reſpiciẽtes

dedit, conuerſa in ſtatuam ſalis ad perpetuum monumentum: nam ſal inuiolabile, & perpetuò duraturum notat monumentum incredulitatis,& inobedientiæ mulieris,& diuinæ iuſtitiæ. Id enim vetuſtis notabat pactum ſalis. Num. 18.19.& 2.Paralip. 13.5. hoc eſt,inuiolabile,& ſempiternum: quod reipſa eueniſſe illi ſtatuæ, teſtes ſunt Ioſephus lib. 1. Antiq. c. 12. & Burchardus in Deſcriptione terræ ſanctæ, p. 1. cap. 7 num. 34. qui eam viderunt; & Thargum Ieroſolymitanum ſuper 19. Geneſis, dicit columnam ſalis duraturam vſque ad tempus Reſurrectionis, quo mortui reuiuiſcent; ad exemplum quidem eorum,qui mittentes manum ad aratrum,reſpiciunt retrò,quos monuit Chriſtus Lucæ 17. hac pœna vxoris Loth,dicens: *Memores eſtote vxoris Loth.*

15. *Prætereuntes.* Παροδεύειν eſt contemptim præterire,ſpernere,vel contemnere. Vnde dicit, *Sapientiam per contemptum prætereuntes,* aut, *Sapientiæ enim contemptores,* vt alij vertunt.

Lapſi ſunt. Non tantùm læſi ſunt,quòd non cognouerunt pulchra, hoc eſt,non ſolùm ſunt eo incommodo affecti,quòd res bonas ignorarunt,ad quas à Sapientia informabantur.

Impij ſuæ impietatis monumẽta relinquunt.

Sed & ſuæ inſipientiæ reliquerunt vitæ monumentum: eſt enim μνημόσυνον res aliqua ad memoriam conſeruandã ſtatuta, vt ſtatua,columna.

Vt in his. Græcè, vt in quibus peccauerunt,neque latere potuiſſent. Itaque relinquunt inſipientiæ ſuæ monumenta adeò impreſſa, vt cum delictis ſuis latere nullo modo poſſint.

16. Sapientia ſuos cultores curat.

Sapientia hos qui ſe obſeruant. θεραπεύοντας, *colentes eam;* vel, *cultores ſuos,* ab ærumnis ſeu doloribus liberauit; quaſi per antithesim dicat, deſertores ſuos,ita vt diximus,punit;at ſuos cultores, vt Loth, ab ærumnis,maliſque liberauit.

17. De Iacob.

Hæc profugum. Profugum iræ,dixit,pro ab ira fratris iuſtum Iacob; hoc eſt,exulem,atque extorrem propter fratris Eſau iram, qui illi infenſus parabat inſidias. Hiſtoria refertur Geneſ. 28.

Deduxit per rectas vias, ſecuras,& tutas à calamitatibus, & proſperè ad finem deducentes, vt ei promiſerat Deus, cùm dixit: *Et ero cuſtos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc, nec dimittam, niſi compleuero vniuerſa, quæ dixi.*

18. *Et oſtendit illi regnum Dei.* Cùm Iacobo dormienti oſtenſa eſt ſcala, cuius

cuius fastigio Deus innitebatur, vt septuaginta, Iosephus, Philo, Chaldæus, & Interpretes intelligunt, & Angeli ascendebant, & descendebant. Nam ea visione significata est Dei summi prouidentia omnia prospicientis, & gubernantis, & ministerio Angelorum administrantis. Expositores putant tunc reuelatam fuisse Iacob cælestem felicitatem, quoniam dixit, *Non est aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* Videtur & aliis tunc fuisse Iacob reuelatum, se vnum fuisse ex electis, & prædestinatis, quò pergeret alacrior. At spem Iacob erigi voluit Deus ea visione, quò nosset omnia suæ subesse potestati, omniáque ad fines suos deducere ministerio Angelorum, atque ita ipsum suæ curæ futurum, vt indicant Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 19. & Philo, in libro de somniis, Theodoretus, Diodorus, & Procopius.

Scala Iacob. Prouidẽtia & cura Dei, qua suos seruat. Iosephus. Philo. Thodoret. Diodorus. Procopius.

19. *Et dedit illi* scientiam. Græcè, *cognitionem Sanctorum*, hoc est, Angelorum ascendentium, descendentiumque per scalam: nam cognouit, his ministris vti Deum, in regni sui, mundi videlicet, gubernatione. vel potiùs, *Sanctorum*. neutro genere, id est, rerum sanctarum, ad sanctitatem, animique sui cultum, ac Dei ipsius pertinentium. Quales fuêre, erigere lapidem in titulum, oleo desuper vngere, vota Deo nuncupare, decimas promittere, & locum Bethel diuino cultui sacrare: hæc enim nosse; quæ Deo placeant, scientia Sanctorum est.

Sciẽtia Sanctorũ quæ.

20. *Honestauit illum in laboribus.* Græcè, *locupletauit illum in ærumnis*, hoc est, per ærumnas artis pastoritiæ. Diximus iam Interpretis consuetudinem exponentis verbo honestare, quod Græcè est locupletare; & nomine honesti, diuitem, vt in versu sequenti.

Et compleuit labores illius. Græcè, *& multiplicauit labores eius*, hoc est, maxima bonorum copia compensauit, seu, auxit, accumulauit eum bonis, in fœtibus ouium, atque ita eius labores sua benignitate subleuauit, quod Scriptura solet dicere, *benedixit*: quantùm autem fuerit Iacob ditatus, sic dicitur, Genes. 30.43. *Ditatúsque est homo valde vltra modum, & habuit greges multos, ancillas, & seruos, camelos, & asinos.* Sed quid mirum, si sapientia illi aderat, eius agens curam?

Iacob locupletatus.

21. *In fraude.* ἐν πλεονεξίᾳ, in cupiditate plus habendi, quàm par est, etiam per fraudem, inualescentium in eum, vel opprimentium eum affuit. hoc est, cùm per auaritiam Laban, & filiorum eius, qui summa cupiditate labores Iacob defraudabant, eúmque oppressum apud se retinebant, & decem vicibus mutarunt eius mercedes, vt ipse conquestus dixit Gene. 31.7. illi affuit, tanquam patrona, & tutrix. *& honestum fecit illum*, hoc est, ditauit, vt iam notauimus.

A Laban liberatus.

22. *A seductoribus.* Græcè, *ab insidiatoribus tutauit*, vel, *tutum reddidit, ac protexit:* nempe à Laban, cùm Iacob fugientem cum vxoribus, ac filiis insecutus est: dixit enim illi in somniis, *Caue ne quicquam asperè loquaris contra Iacob.* Ab Esau quoque, qui illi insidiabatur; tum etiam à Chananæis, à quibus in magno periculo fuit, ne penitus cum vniuer-

Iacob à periculis tutatus.

sa

sa familia deleretur, cùm Simeon & Leui filij eius, furore perciti ob sororem Dinam à Sichem violatam, Sichimitas omnes crudelissimè occiderunt, Genes. 34. à quibus periculis sapientia illum tutata est.

23. *Et certamen forte dedit illi vt vinceret.* aut, *vincere dedit ei.* hoc est victoriam acerrimi certaminis cum Deo suscepti vincere, seu adipisci concessit; vnde vocatus est Israël. De certamine, aut lucta cum Angelo, omnes hunc locum exponunt. Sed fortasse collectio est vniuersalior, quâ concludit tandem, ita Sapientiam curam habuisse serui sui Iacob, vt quò illustriora ferret trophæa, & insigniores victorias reportaret, ei acerrima diuersa certamina cum præmiis proponeret: nam id significat verbum βραβεύω, certamen cum victoria, & præmio alicui proponere. Quò ergo clarior, & illustrior Iacob redderetur, variis certaminibus oblatis exercuit Sapientia, vt Martyres quoque ad suam, illorumque gloriam. Hunc autem esse veriorem sensum ostendit, quòd in lucta cum Angelo, dum Angelum Dei nomine luctantem vicit, Sapientiam ipsam, cuius agebat partes Angelus, vicisse ostenditur, quapropter non verè diceretur, & certamen forte dedit illi vt vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est Sapientia, cùm in eo certamine Iacob contra Deum præualuerit, sed Deo ipso id agente: ac proinde fuerit potentior in Sapientiam.

Certamina Iacob proposita, vt illustrior fieret victoriis.

Sapientia. εὐσέβεια, *pietas*, transfertur ab aliquibus; ab aliis, *religio.* Vt cognosceret, inquit, quòd omnium potentior est religio, quæ cum sapientia coniuncta, Deum promeretur, vt religiosum, ac cultorem Dei in omni certamine faciat superiorem.

Sapientia religionis comes.

24. *Hæc venditum, à fratribus.* Ioseph, vt refertur Genes. 37. & sequentibus, non dereliquit, sed ei comitem se præbuit.

De Ioseph.

Sed à peccatoribus. Græcè, *sed à peccato eum liberauit*, videlicet adulterij, ad quod solicitabatur ab vxore Putipharis. Non loquitur ergo de crimine pessimo fratrum, quibus ne consentiret liberatus est. Nam ordine historiæ seruato, post venditum Ioseph dicit, liberatum à peccato, & descendisse cum eo in foueam: à fratribus alij volunt liberatum, cùm venditus ab eis est.

In foueam. lacum intelligunt aliqui, in quem à fratribus coniectus est; sed verius est accipi carcerem: nam eius explicationis gratia additur, *& in vinculis non dereliquit eum.*

25. *Donec afferret.* Græcè, Donec ei attulit sceptra regni, hoc est, insigne regium: siquidem Ioseph fuit decoratus & regia dignitate, & potestate, cùm Genes. 41. 42. Pharao *tulit annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit. Fecitq; eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti.*

Ioseph prorex Ægypti.

Et potentiam. Græcè, & *potestatem imperantium ei*, hoc est, tyrannicè do

dominantium, aut vi iniusta opprimentium, aut vexantium eum: hoc enim significat verbum Græcum, itaque accepit potestatem in Putipharem, & reliquos eius oppressores, qui falsò delatum carceri mancipárunt vt adulterum.

Maculauerunt. Græcè, qui accusarunt, qui criminosè insimularunt, aut calumniati sunt, falsóve detulerūt: nam id est verbi μωμᾶσθαι, significatum, quomodo Ioseph accusatus est, & delatus ab vxore Putipharis, eiúsque seruis, cuius tamen innocentia confictum improbæ mulieris crimen coarguit: nam liberatus est, & gloriam ei Sapientia conciliauit æternam, vt decantat Dauid in Psalmo 104. Hactenus ex historia Geneseos deducta exempla. Ioseph à testimonio liberatus.

Hæc populum iustum. ὅσιον, *sanctum, & semen sine querela,* Græcè, inculpatum, irreprehensibile, omni culpa, & crimine carens. 16.

Liberauit à nationibus. Græcè, à natione prementium, seu affligentium, vel, à gente, quæ deprimebat, ipsum scilicet.

Dubitatur, qua ratione populum iustum, seu sanctum, & semen inculpatum, vocet Israëlem, quem Scriptura non semel idololatriæ insimulat? nam ex Ægypto deduxit procliuitatem, qua tam præceps ibat in idola, & ad montem Sina more Ægyptiorum vitulum seu apim adorauerunt. Quin & Ezechiel cap. 23. 2. id affirmat his verbis: *Duæ mulieres filiæ vnius matris fuerunt, & fornicatæ sunt in Ægypto in adolescentia sua.* Et infrà: *Multiplicauit fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in Ægypto.* Et mox. ver. 21 *Visitasti scelus adolescentiæ tuæ, quando subacta sunt in Ægypto vbera tua, & confracta sunt mammæ pubertatis tuæ.* Ergo in Ægypto idololatriæ studuerunt Israëlitæ, vt intelligunt Ezechielem Hieronymus, Theodoretus, & Commentatores alij; & Tostatus q. 7. in 1. caput Exodi. Quæstio. Num Israël in Ægypto idololatriæ studuit? Sententia asserens. Hieronym. Theodor.

Nihilominus verius videtur, populum Israëliticum nullo idololatriæ scelere fuisse contaminatum, dum fuit in Ægypto; vsque ad vitulum adoratum ad montem Sina quarto mense ab egressu ex Ægypto, vt colligitur ex cap. 19. & 30. Exodi & probatur, quia nulla mentio fit illius sceleris in toto Pentateucho; & quia Deus, & Moses de populo loquitur tanquam de sibi deuoto, & præcepit Exod. 3. 18. dicere Pharaoni, *Dominus Deus Hebræorum vocauit nos: ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt immolemus Deo nostro:* Et postea postulabat Moses dimitti populum, vt sacrificaret Deo, & in plagis, Israëlitæ liberi agebant, Ægyptiis percussis: quæ omnia & multa alia, quæ notari possunt, satis ostendunt, populum adhuc sanctum fuisse Domino: nec à Dei veri cultu recessisse. Ezechiel autem, cæterique Prophetæ; qui insinuāt ex Ægypto propagatam in populum Israëliticum idololatriam, loquuntur de vitulo adorato in exitu de Ægypto ad montem Sina ad imitationem Ægyptiorum. Vocatur ergo populus sanctus, & iustus, & semen inculpatum, propter vocationem, & electionem Dei, qua Sententia negans. Ratio. Israëlidololatra à vitulo adorato. Israël sanctus & iustus cur dicatur.

illum populum, reliquis prætermis selegit, & sibi sanctificauit, ad cultum verum sibi præstandum. quemadmodum Ecclesia Christi sancta, sine macula, & sine ruga vocatur, propter verum cultum, sanctas leges, fidem immaculatam, & Spiritum sanctum eam gubernantem.

27. De Mose. *Intrauit.* Græcè, in animam serui Domini, nempe Mosis, cùm dixit illi Exod. 4.12. *Perge igitur, & ego ero in ore tuo, docebóque te quid loquaris.* & alia quæ eo loco referuntur.

Amenophis rex Ægypti. *Et stetit.* Græcè, *& restitit regibus terribilibus in portentis, & signis.* hoc est, restitit Pharaoni, & principibus eius, quorum aliqui similiter reges erant suarum gentium, subiecti tamen Pharaoni, qui vocabatur Amenophis, per admiranda signa, percussa Ægypto decem grauissimis plagis, quæ referuntur Exodi 3. & deinceps.

28. *Et reddidit iustis.* Græcè, sanctis, ratione suprà adducta. *Mercedem laborum.* in Complutensi codice additur, *mercedem ὁσιότητος, pietatis, seu sanctitatis laborum suorum.* Verùm ille genitiuus in nullo alio codice Græco inuenitur, nec in Vaticano. Dedit ergo Israëlitis mercedem, qua fraudati erant ab Ægyptiis: siquidem eduxit eos cum argento, & auro, quæ commodauerant Ægyptij. Psalmo 104.37. Seruierant Hebræi Ægyptiis diu, multúmque, cùm essent tamen liberi, atque ingenui homines, nec vllam tam laboriosæ, ac diutinæ seruitutis mercedem receperant. Vnde hac ratione potuerunt bona ab Ægyptiis commodata absque vlla furti culpa sibi retinere, vt illis præceperat Deus, Exod. 3.22. c.11.2. c.12.35. & 36. Adducit eamdem rationem Philo lib. 1. de vita Mosis, Irenęus lib. 4. contra hæreses, cap. 49. Tertull. lib. 2. contra Marcio. cap. 20. & lib. 4. c. 24. Augustinus quoque lib. 22. cont. Faustum, cap. 71. cum nonnullis aliis, qui hanc præcipuam inter alias adducunt rationes, quibus Israëlitas excusant à furto perpetrato.

Merces pro seruitute data Israëlitis. — Philo. Irenæus. Tertullian. Augustinus

29. *In via mirabili.* Vel, *via mirabili,* hoc est, deduxit eos per viam mirabilem, solitudinis, spacio quadraginta annorum. mirabilem quidem non soli amœnitate, vbertate, & copia aquarum, cùm esset sterilis, inuia, & inaquosa; sed quia multa in illa edita sunt prodigia, & miracula, quæ profectionem filiorum Israël admirandam nationibus reddebant, & valde stupendam.

Iter Israël mirandum.

In velamento diei. Græcismo vsus, *diei*, dixit, pro *die*: nam Græci genitiuo vtuntur pro ablatiuo, vt Psal. 77.14. *Et deduxit eos in nube diei*; sed è Græco sic clariùs vertitur, *& fuit illis in velamentum*, vel, *tegumentum die.* hoc est per diem fuit illis pro tegumento, dum per nubem in illa profectione vmbraculum aduersùs æstus præbuit.

Et in luce. Græcè, *& in flammam stellarum nocte.* hoc est, loco ac vice splendoris; vel, pro splendore astrorum, ac syderum: ignis enim columna in itinere illis prælucebat.

Eadem nubes nocte, diéque seruiebat.

Videtur autem hic locus insinuare Sapientiam diuinam per vnam eandémque nubem duo officia in Hebræos exercuisse: nam & interdiu

diu æstum sua vmbra temperabat,& noctu suo splendore prælucebat ad viam. Nam vnam, eandémque fuisse columnam vtrique vsui deseruientem veriùs existimant Hugo Victorinus,Lyra,ac Tostatus in cap.13.Exodi,idque non obscurè indicat Scriptura Exodi 14.24.dum ait:*Iámque aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis,& nubis interfecit exercitum eorum*.Erat ergo eadem columna ignis,& nubis.Idem colligitur ex ver. 19.eiusdem capitis;& clariùs ex cap.9.Numer.ver.15.vbi dicitur:*Igitur die,qua erectum est tabernaculum,operuit illud nubes,à vespere autem super tentorium erat quasi species ignis vsque manè: sic fiebat iugiter: per diem operiebat illud nubes,& per noctem quasi species ignis.Cúmque ablata fuisset nubes, quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filij Israel,& in loco vbi stetisset nubes, ibi castra metabantur. Cunctis diebus, quibus stabat nubes super tabernaculum,manebant in eodem loco:& si euenisset, vt multo tempore maneret super illud, erant filij Israel in excubiis Domini,& non proficiscebantur;quot diebus fuisset nubes super tabernaculum:si fuisset nubes à vespere vsque manè,& statim diluculo tabernaculum reliquisset,proficiscebantur:& si post diem,& noctem recessisset, dissipabant tentoria.Si verò biduo,aut vno mense,aut longiori tempore fuisset super tabernaculum,manebant filij Israel in eodem loco*.Ex his veriùs patet, vnam eandémque nubem fuisse die tegentem populum, & nocte illuminantem.

Transtulit.Græcè *traiecit*, vel,*traduxit illos mare rubrum*: nam verbum Græcum,sicut & Latinum, duos admittit accusatiuos. Clarior tamen efficitur oratio adhibita præpositione,per mare rubrum:dedit enim eis expeditum transitum per mare rubrum. 30. Trãsitus rubri maris.

Et transuexit eos per aquam nimiam.Græcè,*per aquam multam*: erat enim aqua instar muri à dextra,læuáque,dum populus transiret.

Demersit in mari:Non est in Græco, ablatiuus,*in mari*,quanuis benè suppleatur:nam id significant,depressit in profundum mare,& vndis obruit.Ægyptios enim,qui persequebantur Israëlitas, ingressos in medium maris,refluentes aquæ penitùs operuerunt. 31. Submersio Ægyptiorũ.

Et ab altitudine.Græcè,*& à profunditate abyssi eduxit eos*,vel ebullire fecit eos.Israëlitas intelligunt aliqui, quos è profundo illo maris desiccato Deus incolumes eduxit in littus versùm desertum. Sed verius aliis videtur,Ægyptios intelligendos, quorum cadauera Deus è profundo fecit vt emergerent super aquas maris in littus deserti, vt essent spolium Israëlitis,& cibus incolentium desertum.Nam de Pharaone, & eius exercitu dicitur in Psalmo 73.14. *Tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum*. Cadauera Ægyptiorũ ad littus eiecta.

Spoliauerunt impios.siue,impiis spolia detraxerunt,dum vestes, arma,ceteráque ornamenta detraxerunt Ægyptiis, & quasi victores de illis spolia retulerunt.Aduerbium,*ideo*, satis ostendit, non esse hîc ser- 32.

monem de spoliis relatis ab Ægyptiis, cùm exeuntes Israëlitæ commodato acceperunt ab eis vasa aurea, & argentea, & cetera, de quibus suprà facta est mentio versu 17. sed de spoliis detractis è cadaueribus Ægyptiorum è profundo mari in littus eiectis, vt præcedens docet sententia: hac enim ratione, Deo pro Israëlitis pugnante, Deo ipsi agentes gratias, victoriam de illis reportarunt. Quod verò Israëlitæ spolia detraxerint Ægyptiorum in littus eiectorum, quamuis aliàs Scriptura non referat, erat tamen certum Hebræis ex traditione, itàque

Iosephus. Philo. refert Iosephus lib. 2. Antiq. c. vltimo, & Philo tertio libro de vita Mosis; & insuper tantæ cladis inquit, ostentatio, fluitantibus cadaueribus, quæ totam maris superficiem texerant: postremò tempestas procellosa, quæ in littus aduersum eiecit enectorum cumulos, quò magis seruati Hebræi salutem suam agnoscerent, non solùm euadendo pericula, sed etiam spectando hostes suos deletos ope diuina sine humanis viribus.

33. Gratiæ, pro victoria. *Et decantauerunt.* ὑμνεῖν verbum est Eucharisticum: nam est hymnis, & canticis celebrare, & laudare, ad gratiarum actionem, vnde hymnus eiusmodi laudem Eucharisticam significat.

Pariter. Græcè, *vnanimiter*, hoc est, summo consensu; vno & corde, & ore Deum triumphatorem laudauerunt, viris seorsim à fœminis, vt refertur Exod. 15. dicentes: *Cantemus Domino*, &c.

34. *Quoniam.* Laudauerunt, ait, vnanimiter omnes adusque mutos, & infantes, *quoniam Sapientia* vtrosque ad id opus disertos fecit. Expositores volunt hoc intelligi de Hebræis, qui cùm priùs Ægyptiorum timore, nec mutire quidem auderent, nec fari, sed quasi muti, & infantes esse viderentur ad Dei laudes celebrandas, instar illorum, qui dicebant Psal. 136. 4. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* nunc verò metu vndiquaque expulso, propter Dei tam illustres victorias, silentium soluerunt, & infantiam reliquerunt, & in laudes tot annis intermissas, Sapientiæ ope proruperunt. Sed nihil obstat propriè verba accipere, & affirmare pueros balbutientes, & adhuc infantes, simul cum parentibus, & ceteris viris, ac fœminis laudes quoque cecinisse gratulatorias, cùm infantium maximè loquelis delectetur Deus: nam *ex ore infantium, & lactentium perfecit laudes propter inimicos suos, & vltores.* Psalmo 8.

De metu obmutescétibus.

Infantium laudes.

SAPIEN

SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT XI.

VETVS.

1. *Direxit opera eorum in manibus*
Prophetæ sancti.
2. *Iter fecerunt*
per deserta, quæ non habitabantur, & in locis desertis fixerunt casas.

Steterunt contra hostes, & de
inimicis 3. *se vindicauerunt.*

4. *Sitierunt, & inuocauerunt te, & data est illis aqua,*
5. *de petra altissima, & requies sitis de lapide duro.*
6. *Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorum, à defectione potus sui, & in eis,* 7.
cùm abundarent filij Israël, lætati sunt;
8. *Per hæc cùm illis deessent, bene cum illis actum est.*
9. *Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis* 10. *humanũ sanguinem dedisti iniustis.*
Qui

NOVA.

Bene direxit opera eorum in manu Prophetæ sancti. (Qui) iter ferunt per desertum inhabitabile, & in inaccessis fixerunt tentoria.

Contra hostes steterunt, atque inimicos repulerunt.

Sitierunt, atque inuocauerunt te, & ex alta petra illis aqua data est, ac è duro lapide remedium sitis.

Nam per quæ pœnas dederunt eorum inimici;

Per eadem hi, cùm inopia laborarent, beneficium acceperunt.

Nam pro fonte quidem perenni fluminis tabido sanguine perturbati.

Qui cùm minuerentur 11. *in traductione infantium occisorum, dedisti illis abundantem aquam insperatè.*

12. *Ostendens per sitim, quæ tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, & aduersarios illorum necares.*

13. *Cùm enim tentati sunt, & quidem cum misericordia disciplinam accipientes, scierunt quemadmodum cum ira iudicati impij tormenta paterentur.*

14. *Hos quidem tanquam pater monens probasti: illos autem tanquam durus rex interrogans condemnasti.*

15. *Absentes enim, & præsentes similiter torquebantur.*

16. *Duplex enim illos acceperat tædium, & gemitus cum memoria præteritorum.*

17. *Cùm enim audirent per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus.*

18. *Quem enim in expositione praua proiectum deriserunt, in finem euentus mirati sunt: non similiter iustis sitientes.*

19. *Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum, quod quidam errantes colebant mutos serpentes, & be-*

stias

In correptionem infantium occisoris mandati, dedisti eis aquam abundantem insperatò.

Ostendens per sitim, quæ tunc fuit, quemadmodum aduersarios puniuisses.

Cùm enim tentati fuerunt, & quidem cum misericordia castigati, cognouerunt, quomodo in ira iudicati impij cruciabantur.

Siquidem hos, vt pater admonens probasti, illos verò, vt sæuus rex condemnans in quæstionẽ vocasti.

Et absentes autem, & præsentes similiter torquebantur.

Duplex enim mœror ceperat illos, & gemitus memoriarum præteritarum.

Nam cùm propriis pœnis audiuissent beneficio affici ipsos, Deum senserunt.

Et quem in expositione olim abiectum, abnegauerant irridẽtes, in fine euentuum admirati sunt, non eadem, qua iusti siti affecti.

Porrò pro stultis iniustitiæ ipsorum cogitationibus, in quibus errore seducti colebant irrationabiles ser-

pentes

stias superuacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam:

20. *Vt scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

21. *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa, immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones.*

22. *Aut noui generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes:*

23. *Quarum non solùm læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere.*

Sed & sine his vno spiritu poterant occidi persecutionem passi 24. *ab ipsis factis suis: & dispersi per spiritum virtutis tuæ: sed omnia* 25. *in mensura, & numero, & pondere disposuisti.*

26. *Multùm enim valere tibi soli supererat semper: & virtuti brachij tui quis resistet?*

Quoniam tanquam 27. *momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ de-*

scendit

pentes, vilesque bestias, immisisti in eos multitudinem animalium irrationabilium ad vindictam.

Vt cognoscerent, quòd per quæ quis peccat, per eadem punitur.

Non enim impotens erat omnipotens manus tua, quę mundum ex informi materia effecit, vt vrsorum multitudinem, audacesque leones in eos immitteres.

Aut iræ recens creatæ plenas feras, ignotas, aut igniuomum spirantes halitum, aut strepitus fumi ventilati, aut horribiles ab oculis scintillas fulgurantes.

Quarum non solùm noxa poterat eos conterere, verùm etiam aspectus timorem incutiens disperdere.

Atque etiam sine his, iudicij tui persecutionem passi, atque flatu tuæ potentiæ dissipati, vno spiritu cadere poterant; sed omnia mensura, & numero, & pondere disposuisti.

Nam plurimùm valere tibi semper adest, ac robori brachij tui quis resistat?

Quoniam tanquam momentum ex stateris totus mundus ante te; & quasi gutta roris matutini in ter-

ram

scendit in terram.
28. *Sed misereris omnium, quia omnia potes, & 29. dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.*
Diligis enim omnia, quæ sunt, & 30. nihil odisti eorum, quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.
31. *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset conseruaretur?*
32. *Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.*

ram delapsa.

Sed tu omnium misereris, quoniam potes omnia: & dissimulas peccata hominum ad pœnitentiam.

Omnia enim quæ sunt, diligis, ac nihil abominaris eorum, quæ fecisti: nihil enim odiens effecisses.

Quomodo autem permansisset quicquam, nisi tu voluisses; aut non vocatum abs te conseruatum fuisset?

Sed tu parcis omnibus, quoniam tua sunt Domine, amator animarum.

ARGVMENTVM.

Amplificat beneficium, quo vniuersum populum affecit diuina Sapientia in exitu Israël de Aegypto, collatum cum suppliciis, quibus Aegyptios vexauit, non quidem quoad poterat, sed quatenus oportebat.

COMMENTARIVS.

1. D*Irexit.* εὐώδωσε, benedirexit opera Israëlitarum; significat autem verbum illud, commodum, ac prosperum iter alicui concedere. Quo eodem verbo vsus est Paulus ad Roma. 1. 10. in voce passiua, *Si quomodo aliquando prosperum iter habeam*, vel, *nactus fuero*. Per metaphoram autem hoc loco idem est, quod, bene, ac feliciter gubernauit eorum opera.

Mosis ducatus.

In manu. Hoc est, opera, & ministerio Mosis Prophetæ sancti, quo duce vsa est Sapientia ad deducendum populum per vastissimam Arabiæ solitudinem.

2. *Iter.* Suppleri debet relatiuum, *qui*, quod referat Israëlitas, qui iter fecerunt per inhabitabile desertum, & tentoria fixerunt in inaccessis. τὰ ἄβατα vocat loca, ad quæ nullus patet aditus, vel accessus.

Se vindi-

Se vindicauerunt. vel vlti sunt, vt communiter transferunt Interpretes. Vnus vertit, *& inimicos repulerunt*, hoc est, vim, ac impetum eorum exceperunt, ac propulsarunt, quod Græcum verbum significet aliquem vim inferentem repellere ac prohibere: & sunt qui sermonem fieri putent contra eos, qui iurgati contra Mosem, querebantur, quod Israëlem eduxisset de Ægypto, vt siti periret in solitudine, vt refertur Exod. 17. 3. Numer. 20. 4. Verùm nec verè Israëlitas vocas, sed inimicos, nec vltio de eis sumpta est, sed de Mose, qui dubitauit. Certius ergo est, commendari sapientiam, quòd in toto illo itinere hostes obuiam populo prodeuntes, sua virtute profligauerit, protriuerit, & viam peruiam præbuerit Israëli. 3.

Sapientia hostes obuios protriuit.

Sitierunt. De beneficio aquæ ad potum datæ sitientibus Israëlitis in Cades, agitur, collato cum siti Ægyptiorum, vt per collationem maius constet donum. Historia autem refertur Exodi 17. 1. & Numer. 20. 4. 4.

Inuocauerunt te. Moses quidem, & Aaron nomine populi: nam Numer. 20. 6. ingressi Moses & Aaron in tabernaculum fœderis, clamauerunt ad Dominum, atque dixerunt: *Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ, vt satiati cesset murmuratio eorum.* Alioqui enim populus querebatur potiùs, & obloquebatur, detrahebatque ducibus suis, & Deum veriùs prouocabat ad iram.

De petra altissima. ἀκροτόμου alta, ac profunda, seu ex summa rupe: nam aqua interiùs inclusa, ex ipsis visceribus terræ, vastissima rupe aperta erupit. Videtur autem petra constituta in alto loco montis Oreb: nam Exod. 17. 6. vocatur petra Oreb: vnde alij transferunt de petra prærupta, & è summo secta. Quamuis autem nomen illud duplex hoc habeat significatum, de petra alta, & de petra dura: nam vulgatus Deuteron. 8. 16. *de petra durissima*, vertit, vbi Septuaginta Græco hoc vocabulo sunt vsi, & hic interpres Vaticanus: at quia statim adiicitur, *de lapide duro*, ne idem bis repeti dicamus, in priori significatu hoc loco accipimus cum Vulgato. 5.

Aquæ de petra beneficium.

Requies sitis. ἴαμα δίψης, remedium, aut curatio sitis, hoc est, sitis leuatio: nam sicut famis cibus, ita aqua sitis remedium est. An verò ordinario, & communi defluxu aquæ è petra manauerint, vena aperta, an aquis denuò confluentibus, aut creatis à Deo, diuersa est Auctorum sententia. Philoni placet lib. 1. de vita Mosis, venam opportuno loco apertam aquam dedisse: placet quoque aquam per miraculum in rupem corriuatam per occultos cuniculos, & diruptam in fontem profluxisse. Sunt qui putent petram scissam conuersam in stagna aquarum: aut certè absque vlla ruptione petram in aquam dissolutam. Sic indicat Gregorius Nyssæ. Episcopus in vita Mosis, & Ambrosius de initiandis, cap. 9. qui hoc exemplo confirmat, panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi conuersionem: etenim non tantùm Dei be-

Quæstio de fluxu aquæ è rupe.
Philo.
Gregor. Nys.
Ambrosius.

neficium fuit aqua, etiamsi naturaliter fluxisset, sed & miraculum: ac propterea & copiosissima fuit, & limpidissima, & dulcissima, cuiusmodi esse conueniebat aquam datam diuinitùs.

6. *Per quæ.* In omnibus Græcis codicibus hæc sola verba legimus, [*per quæ enim cruciati sunt inimici illorum, per hæc ipsi indigentes beneficium acceperunt,*] Vulgatus autem addidit illa verba [*à defectione potus sui, & in eis, cùm abundarent filij Israël lætati sunt,*] quæ ad explicatiorem sensum prioris hemistichij conducunt; absoluitur autem sensus in sequenti versu. Est ergo sensus Græcæ sententiæ: Nam per quæ pœnas dederunt inimici eorum Ægyptij, nempe per aquas in sanguinem conuersas; per eadem Israëlitæ, cùm aquæ inopia laborarent, largissimarum è rupe aquarum beneficio sunt affecti. Vulgati autem lectio sic est accipienda: Per illa, per quæ inimici illorum Ægyptij puniti sunt, cùm defecit illis potus, & filij Israël, cùm aquis abundarent lætabantur; per hæc ipsa cùm inopia aquæ in deserto laborarent, accepto aquæ beneficio, suam sitim sedauerunt, vnde bene cum illis actum est.

Aquæ donum cum siti Ægyptiorũ collatum.

7. *Cùm abundarent.* Verba hæc à Vulgato adiecta, expositores ferè omnes volunt intelligi de aquis puris, ac nitidis, quibus filij Israël abundabant in terra Gessen, dum Ægyptij siti perirent, propter aquas per vniuersam Ægyptum versas in sanguinem. Nam ita accidisse filiis Israël, inde potest probari; quòd etsi in secunda plaga, Exodi 7. 15. aquæ in sanguinem conuersæ id non asseratur, at in aliis excepta ponitur terra Gessen, in qua erant filij Israël; quam plagæ non attingerent. Ita factum est in plaga muscarum, Exod. 8. 22. & in plaga pestis, cap. 9. 4 & in grandine, versu 26. & in tenebris, versu 24. & in primogenitorum cæde, cap. 11. 7. similiter ergo in plaga aquarum factum fuisse credendum est: siquidem pro filiis Israël contra Ægyptios pugnabat diuina sapientia; idque ita factum affirmat Augustinus q. 23. 26. & 44. in Exodum. Quamuis quia Scriptura dicit aquas in sanguinem versas in vniuersa terra Ægypti, ac propterea in terra Gessen, alioqui sitim suam sedauissent ex aqua potabili conseruata Hebræis, sunt qui putent, etiam aquas Hebræis versas in sanguinem, cum hoc tamen discrimine, quod assignat Iosephus lib. 2. Antiq. cap. 5. nam si quis Ægyptiorum siti coactus gustaret de sanguineo flumine, confestim acerrimis doloribus corripiebatur: sed erat talis aqua solis Ægyptiis: Hebræis autem dulcis, ac potabilis, & omnino pristinam naturam retinens. Volunt ergo hi Auctores filios Israël lætatos in copia aquarum in terra Gessen eis concessa, cùm deficeret potus Ægyptiis. Verùm ex antecedentibus, & sequentibus certiùs probatur, sermonem esse de largissimis aquis, quæ virgæ tactu è petra fluxerunt: nam proterea præmissum est in versu præcedenti admirandum Sapientiæ facinus, quæ dedit aquas abundantes ex petra illa profunda; cuius in hoc versu

In terra Gessẽ aquas limpidas seruatas.

Augustinus.

Aqua versa in sanguinẽ Hebræis. Iosephus.

Sententia vera. Aqua virga eruta.

versu ratio redditur per collationem Israëlitarum, & Ægyptiorum, in eo,quòd cùm vtrique sitim sint passi, at Ægyptij, vt serui, & hostes, Israëlitæ vt amici,& filij,vnde illis aqua non est data, & ablata,quam habebant;his verò copiosissima,& præter spem denuò data est,quam non habuerant. At in terra Gessen nulla sunt siti pressi Israëlitæ;neque aqua abundarunt tunc,qua priùs caruissent:potiebantur enim habita priùs aqua,siue intacta, siue versa in colorem sanguineum, dulci tamen,& potabili, quæ Ægyptiis erat amara, & insalubris. Tunc ergo lætati dicuntur Israëlitæ, cùm ad leuandam sitim abundantes aquæ è petra illis profluxerunt.

Per hæc. Diximus hunc versum pendere ex præcedenti, & cum eo integram reddere sententiam, ad hunc modum, Per hæc eadem, per quæ inimici sunt cruciati, Israëlitæ sunt beneficio affecti. 8.

Cùm illis deessent. Græcè, *ipsi indigentes*, nempe Israëlitæ, de quibus dixerat, quòd sitierunt;non, vt quidam intelligunt, inimici Ægyptij: nam si intelligerentur, per ablatiuum absolutum fuisset dicendum, *Per hac, illis indigentibus, Israelita beneficio sunt affecti.*

Bene cum illis actum est, εὐεργετήθησαν, beneficio affecti sunt; benignè sunt tractati:nam data aqua de petra, leuata est illorum sitis, quæ ad exercitium eos parumper afflixerat.

Nam pro fonte. Et hi duo, qui sequuntur, versus, ita cohærent, vt 9.
vnam efficiant sententiam, quæ è Græco ad verbum sic habet: Pro quidem fonte perenni fluminis sanguine cruento perturbati, in correptionem infanticidalis præcepti, dedisti illis abundantem aquam insperatò. Quæ oratio manca videtur, si legamus participium illud, *perturbati*, vt nominatiuum pluralem, vt est in Græco, ταραχθέντες, & referat Ægyptios:non enim est cum quo conueniat:nec enim concordat cum genitiuo, *fluminis* quod cruento sanguine sit turbatum. Quare vel dicendum est pro ταραχθέντες, legi debere in genitiuo ταραχθέντος, vt rectè cum altero genitiuo, *fluminis*, conueniat; vel, quoniam nusquam aliter legitur quàm in recto plurali, ille accipiatur absolutè; turbatis, supple, inimicis, vt aliquoties solet accipi; vt sit sensus: Etenim pro fonte perenni fluminis Nili sanioso sanguine turbatis Ægyptiis, vel cùm turbati fuissent Ægyptij, ad exprobrationem edicti de infantibus occidendis editi, dedisti illis, nempe Israëlitis, copiosam aquam præter spem.

Lectionis ratio.

Infanticidij pœna.

Humanum sanguinem. Græcè αἵματι λυθρώδει, sanguine cruento, 10.
sanioso, aut tabido, turbati, nempe Ægyptij, cùm essent. Isidorus, quia legit, λυτρώδει, vertit, *redemptorio* de illo sanguine intelligens, quo postes domorum Hebræorum peruncti sunt, sed sermo est de aquis fluminis Nili in sanguinem conuersis, ita vt pisces interirent, & potari, quòd insalubres essent, & tabefactæ, minimè posset. Vulgatus explicuit cùm addidit, *humanum sanguinem dedisti iniustis*, nempe Ægyptiis.

Aquæ Nili sanguineæ.

Qui cùm minuerentur. Ita vertit Vulgatus illum nominatiuum Græcum ταραχθέντες, qui eſt idem ac perturbati, confuſi, territi, conſternati, & alij vertiſſent, cùm turbati, aut conſternati fuiſſent Ægyptij.

11. Contra edictum de infanticidio. *In traductione.* εἰς ἔλεγχον, in correptionem, redargutionem, vel exprobrationem, vel ad redargutionem, aut exprobrationem infanticidalis edicti, vel præcepti traditi à Pharaone de occidendis infantibus Hebræorum. His verbis rationem reddit Sapiens aquæ verſæ in ſanguinem per vniuerſam Ægyptum. Præcepit Pharao populo Exod. 1. 22. *Quicquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite*: Deus ergo ad redarguendum hoc præceptum, præcepit Moſi Exod. 7. 19. vt diceret Aaron, *Tolle virgam tuam, & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti, & ſuper fluuios eorum, & riuos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, vt vertantur in ſanguinem, & ſit cruor in omni terra Ægypti, tam in ligneis vaſis, quàm in ſaxeis: & factum eſt ita, & non poterant Ægyptij bibere aquam fluminis, & fuit ſanguis in tota terra Ægypti.* Eandem rationem reddit Theodoretus q. 19. in Exod. Propter pueros, inquit, Iudæorum in illum demerſos: fluuius enim ille mutatus in ſanguinem velut conquerebatur de cæde puerorum per Ægyptios commiſſa. Colligitur ſatis apertè è Græca lectione, quæ habet: *Nam pro fonte quidem perenni fluminis, tabido ſanguine cùm fuiſſent conſternati Ægyptij ad exprobrationem edicti de infantibus in flumen proiiciendis, dediſti Iſraelitis aquam abundantem inſperatò.* Sed ex Vulgati lectione videtur aliter ratio formari: nam primùm humano ſanguine putrefactum fluuium affirmat, cùm ait: *Nam pro fonte quidem ſempiterni fluminis humanum ſanguinem dediſti iniuſtis*, nempe aquam conuerſam in ſanguinem humanum. *Cumq́; minuerentur*: nam homines minuebantur, ac deficiebant ſiti; qua hominum enecatione exprobrabat Deus enecationem infantium Hebræorum in flumen proiectorum: itaque idcirco Deus aquas in ſanguinem conuertit, vt Ægyptiorum enecatione ſiti pereuntium vltionem ſumeret pro filiis Hebræorum plurima Nili aqua extinctis. Nam multos ex Ægyptiis periiſſe, ita affirmat in 1. lib. de vita Moſis Philo; hominum quoque ſiti enectorum magnus numerus iacebat in triuiis, non ſufficientibus domeſticis ad ſepulturæ officia. Verùm & ratio hæc ad ſuperiorem reduci poteſt, cùm minuere non omnino deficere, ſed extenuari, ac debilitari ſignificet. Aqua ergo fluminis humano ſanguine cruentata Ægyptij valde cruciabantur ſiti ac extenuabantur, debilitabantur que ad vltionem edicti de cæde infantium; & periiſſent quidem, niſi puteos feciſſent Ægyptij per circuitum fluminis Nili, vt & ipſi biberent, ſuaque animalia ſuſtentaſſent, cùm bibere de aqua fluminis minimè poſſent, vt dicitur Exodi 7. 24. & notauit rectè Iuſtinus Martyr in Reſponſione ad 27. quæſtionem Orthodoxorum.

Theodoretus. Sanguis fluuij, pro ſanguine infantium fuſo. Ægyptiorũ interitus præ ſiti. Philo. Iuſtinus.

Dediſti eis. Nempe Iſraëlitis, ſitim patientibus, vberrimam aquæ copiam

copiam è rupe, vt iam dictum est, *insperatò*, aut præter spem, nihilque illis sperantibus; imò adeò illis spe destitutis, vt potiùs contra Mosem, & Aaron murmurarent.

Ostendens. In Græco hæc tantùm habentur, *Ostendens, per, quæ tunc fuit, sitim, quemadmodum aduersarios puniuisses*. At Vulgatus antithesim magis explicuit, cùm adiecit, *quemadmodum tuos exaltares*. Et est sensus: Ostendens eo genere sitis, quo tuos exercuisti, ac tentasti, quàm seuerè eorum inimicos tractasses. Aut, Simúlque per sitim illius temporis ostendisti, quantopere tuos extolleres, cùm hostes ipsorum tantopere cruciauisses. Quo docet quàm dissimiliter immittat Deus afflictiones piis, ac impiis; illos punit vt exerceat, purget, & erudiat; hos vt puniat, & conficiat, nisi resipiscant. 12.

Sitis Hebræorum, & Ægyptiorũ collatio. Piorum, & impiorum afflictio diuersa.

Cùm enim. Explicat versum præcedentem eius ratione reddita. Cùm enim, inquit, tentati fuerunt, castigatione, quanuis clemente illa, & ex misericordia profecta, cognouerunt quomodo, cùm iracundè punirentur, impij fuerint cruciati. In suis quippe afflictionibus moderatè, & misericorditer tanquam filiis iniectis, cognouerunt magnitudinem, acerbitatémque malorum, quibus Deus inimicos solet vexare, vt ipsi pij suos moderatè ferant cruciatus, conferentes eos cum iis, quibus crucientur impij; ne eis inuideant, & querantur de sua sorte. Particula illa aduersatiua καίτοι, quanuis, vel etsi, non ineptè redditur per, *& quidem*, vt Vulgatus vertit; præpositio quoque *in* pro *cùm*, accipitur sæpe in Scriptura, vnde rectè dixit Vulgatus, *cùm enim tentati sunt, & quidem cum misericordia disciplinam accipientes*. Quod in Græco dicitur, quanuis in misericordia castigati. 13.

Cruciatibus impiorum consolantur in suis pij.

Hos quidem. Alij vertunt, *hos siquidem*; vt reddatur ratio versus præcedentis, siquidem Hebræos, vt pater filios, admonuit ad correctionem; at Ægyptios damnauit ad cruciatum. 14.

Interrogans condemnasti. In Græco, vniuerso ordine dicitur, *condemnans interrogasti*, hoc est, è Græci verbi significatu, quæstionem habuisti, vel cruciatu, aut tormento adhibito torsisti, aut examinasti: nam vt durus, aut sæuus rex Ægyptios damnauit ad cruciatus, & tormenta; cùm plagis immissis valde sunt contorti, ac cruciati.

Ægyptij duriter cruciati.

Absentes. Græcè, *& absentes autem*, vel *quinetiam tam absentes, quàm præsentes similiter torquebantur*. Nam Ægyptij cùm præsentes erant, Hebræis manentibus adhuc in Ægypto, siue cùm absentes erant eisdem iam Ægypto egressis, torquebantur: præsentibus quidem Hebræis cruciabantur siti aquis in sanguinem conuersis, aliísque plagis; absentibus autem, & iam profectis, cùm audirent beneficia Dei in ipsos collata, vt sitim aqua de petra fluente sedatam, dolore rumpebantur. Sequenti versu hic sensus roboratur verior ceteris. 15.

Ægyptij dolor de Hebræis potatis.

Duplex. Duplici dolore, ac gemitu, inquit, torquebantur Ægyptij ex præteritorum memoria excitato. Nam recordati præteritæ sitis, 16.

Duplex dolor Ægyptiorum.

qua torti sunt propter vlciscendos Israëlitas,& eam conferentes cum siti Hebræorum copiosa aquarum è petra manantium vbertate sedata,duplicato tædio,gemitúque cruciabantur,& quòd non interfecissent tunc eos,quorum causa tam dirè puniebantur,& quòd in deserto tam mirabiliter fuissent potati.

17. *Cùm enim.* Græcè, *Cùm enim propriis tormentis audiuissent beneficio affici αὐτὰς, senserunt Dominum.* Pronomen Græcum αὐτὰς, & referri

Sẽsus prior. potest ad Ægyptios,& verti, *se*, ad hunc modum, cùm Ægyptij audissent,cùm propriis suppliciis,plagísque afficerentur,beneficium à Deo sibi fuisse collatum in eo, quòd monebantur Israëliticum populum relinquere abire in desertum, quò eos Dominus vocabat, ni vellent consummari,senserunt Dominum vltorem, & tormentorum auctorem. Sed quia de beneficio sedatæ sitis sermo est,filiis Israël in deserto præstito,vt patet ex antecedentibus,& sequentibus,ceteri referunt illud pronomen ad Israëlitas,& ita vertunt, *Cùm per propria tormenta*

Sẽsus verus. *audissent beneficio affici ipsos,* vel, *illos.*& est sensus, Cùm audirent Ægyptij,dum ipsi affligebantur,bene cum his,vel cum illis,nempe Israëlitis,agi,Dominum senserunt. vel, Cùm Ægyptij audiuissent Israëlitas in ea re,scilicet in siti mitiganda,fuisse affectos beneficio , in qua ipsi fuerant afflictati,Dominum senserunt,seu cognouerunt,eorum fuisse auctorem : Israëlitarum enim præclaram conditionem Ægyptij ex summa suorum malorum acerbitate cognouerunt, Deúmque senserunt pro ipsis pugnasse contra se.Iuxta hunc sensum in lectione Vulgati dicentis, *bene secum agi*, accipiendum est,pro *bene*, *cum ipsis*, aut *illis agi*, nempe cum Israëlitis. Certò porrò impij colligunt ex beneficiis in simili causa piis collatis,se affligi à Deo, non casu, sed volente pios vlcisci,eorúmque res tueri.

Admirantes in finem exitus. Hæc verba nusquam in Græco reperiuntur,huc videntur transumpta ex versu sequenti, vbi collocantur.

18. *Quem.* è Græco, *Quem enim in expositione quondam proiectum abnegauerunt subsannãtes,in fine euentorum mirati sunt, non similia iustis sitientes.* Arbitratur Iansenius reddi hoc versu rationem eius, quod dictum est in extremo verbo præcedentis versus, *senserunt Dominum*, ac pro-

Sẽsus prior. inde esse de Deo hoc modo intelligendum. Nam Deum, quem proiectum à se subsannando,& irridendo abnegauerunt,repudiauerúntque,in illa expositione,qua infantes Hebræorum, in fluuio Nilo exponebantur necandi, in fine euentuum felicium Hebræorum admi-

Sensus de Mose. rati sunt.Sed ceteri expositores de Mose accipiunt, quo ministro Ægyptij Deum senserunt vindicem, sic itaque explicant: Et Mosem, quem olim, in flumine cum irrisione expositum, pro deplorato habuerunt,in exitu rerum,cùm Deus suum populum eo duce liberauit, admirati sunt.vel,Et Mosem, quem meminerant olim in ripa fluminis expositum, & eductum ex aquis, proiicientes à se cum sannis, &

risu

risu abnegauerunt,& pro nihilo habuerunt,postea in exitu de Ægypto admirati sunt. Videtur autem loqui de insidiis, quibus compulsus est Moses domum regiam deserere,& fugere in Madian, ne interficeretur,vt referunt Iosephus lib.2.Antiq.cap.5.& Philo lib.de profugis,& lib.1.de vita Mosis,& Paulus ad Hebræ.11.14.*Fide*,inquit,*Moses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis,magis eligens affligi cum populo Dei,quàm temporalis peccati habere iucunditatem; maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Quo verbo indicat,improperatum fuisse Mosi,ac risu,& sannis exceptum,ex Ægypto profligatum.

Moses è domo regia pulsus. Iosephus. Philo. Paulus.

Non similiter.Græcè,*non similia iustis sitientes*. hoc est, non eadem, qua iusti siti affecti.Nam cùm vtrique à Deo sint afflicti,tamen exitus afflictionum diuersus,ac dissimilis ostendit dissimilem fuisse Dei affligentis voluntatem, & mentem in affligendo: dissimilis enim sitis Ægyptiorum,& Hebræorum in deserto,& huius mirabilis leuatio,illiúsque maior acerbitas, ostendebat Deum contra Ægyptios durum vindicem;& in Israëlitas pium patrem.

Dissimilis exitus afflictionum piorum,& impiorum.

Atque hactenus à versu quarto prima Ægypti plaga, qua puniti sunt Ægyptij dira siti, propter aquas in sanguinem versas, cùm beneficio sedatæ sitis,per aquas è petra Israëlitis in deserto elargitas, collata est.Iam deinceps aget Salomon de plagis bestiolarum.

Pro cogitationibus.Ægyptiorum videlicet, qui coluerunt serpentes, & bestias.Et quoniam nomen λόγος, & sermonem significat,& rationem, ἄλογα ἑρπετὰ plurimi Interpretum vertunt, *irrationabiles serpentes*,vt mox animalia rationis expertia.At Vulgatus accepit,pro sermonis expertibus,id est, mutis. Agit de afflictione Ægyptiorum, quatuor plagas comprehendente bestiarum immissarum, nempe secundam ranarum,de qua Exodi 8.2.tertiam sciniphum, de qua Exodi 8.16.quartam muscarum,de qua Exod.8.21.& octauam locustarum, de qua Exod.10.4. 19.

De plagis bestiolarũ.

Vt scirent.Rationem reddit plagarum bestiarum diuersarum, quibus afflicti sunt Ægyptij,vt per easdem bestias punirentur, per quas peccauerant,diuinum cultum à Deo commutando in bestias, & animalia rationis expertia. Res enim, quas adorabant, ad eorum perniciem,infamiámque conuertebantur. Quòd si quęras,num per eadem bestiarum genera punierit Deus Ægyptios,per quæ peccauerant, cultum Deo vero debitum illis tribuendo? Respondetur, minimè quidem,sed per minora earum.Nam constat Ægyptiis pro Diis adoratos ex terrestribus animantibus leones, cynocephalos, canes,feles,lupos, serpentes,& aspides,vt tradunt Philo in libro de Decalogo,Tertullia. in Apologetico,cap.24.Cyprianus lib. ad Demetrianum,.num. 5.& Athenagoras in Apologia pro Christianis,ex aquaticis crocodilos, & pisces alios;è volucribus ibides, & accipitres, eodem Philone aucto- 20.

Ægyptis animalculis puniti pro animalibus adoratis. Philo Tertullian. Cyprianus. Athenag.

re.

re. At tantùm à Deo puniti sunt ranarum copia molesta, & non mediocriter noxia; cinnimi quoque multitudine, quos sciniphes vocauit Interpres vetus, genus animalculi molestissimum, quanuis minutissimum, non solùm superficiem cutis lædens prurituu noxio, verùm etiam interiora per aures, naresque penetrat, inuolat in oculos, nisi quis caueat. Sed quî caueri tunc poterant tot eorum dira examina? Sic Philo describit lib. 1. de vita Mosis; nec dissimiliter Origenes super Exodum, & Augustinus Sermo 87. de Tempore, & lib. de conuenientia decem præceptorum, & decem plagarum Ægypti, vt videantur indicare genus fuisse culicum. Tertiò muscarum omnis generis molestis ictibus, & demum innumerabili locustarum exercitu, quæ & homines exederent, & segetes corroderent. Ecce, ait Rupertus lib. 1. comment. in Exodum, cap. 38. quales instruxit acies, quibus ex ordinibus sua castra compleuit Dominus pugnando pro Israël in Ægyptios? ranæ, sciniphes, muscæ, atque locustæ, fuerunt castrorum eius acies, & ex huiusmodi cohortibus totas contra fortes Ægyptios composuit legiones, singuli milites secundùm se, breues quidem, & infirmi, verùm pro exercitibus Pharaonis satis valentes fuêre, duce imperio Dei. Nempe quòd multus hominum exercitus facere non potuisset, istæ phalanges locustarum strenua peregêre militia. Cur autem, inquies, ingentium animantium idololatriam, minutorum supplicio voluit Deus compensari? in huius quæstionis responsione, quæ restant in hoc capite insumuntur, quam Philo in lib. 1. de vita Mosis, his verbis comprehendit. Sed quæret fortasse aliquis, cur Deus tam minutis, & vilibus animalibus ad vindictam vti maluerit, quàm vrsis, pardis, & leonibus, ceterisque feris carniuoris? aut si hæc non placebant, saltem familiaribus Ægypto aspidibus, quarum morsus & subitam, & ineuitabilem affert mortem. Is si nescit, discat Deū voluisse Ægyptios castigare, non è medio tollere. Nam si eos omnino delere voluisset, non opus erat animalibus, sed diuinitùs immissa fame, aut pestilentia, homines quidem cùm bella gerere volunt, auxilia sibi conscîscunt potentissima, quibus suam infirmitatem suppleant. Deus verò omnipotens, & nullius egens, si quando vult, tanquam instrumentis quibusdam vti, ad exigēda supplicia, non valida eligit, sed vilia paruáque, atque ita noxios plectit, quod tunc etiam Ægyptiis accidit.

Sciniphes quales. — *Philo. Origenes. Augustin.* — *Dei exercitus qualis.* — *Philo.* — *Nō ferispuniuit Deus Ægyptios, sed minutis animalibus.* — *Deus exiguis punit.*

21\. *Non enim impossibilis.* ἠπόρει, impotens, vel potentia destituta, aut ita debilitata, vt non possit: ἀπορεῖν enim est destitui facultate, vt dixit Paulus 2. ad Cor. 4. 8. *Laborauimus, sed non destituimur.*

Ex materia inuisa. Græcè, *ex informi materia*, vt notat legi in multis exemplaribus Augustinus lib. de fide, & Symbolo, cap. 2. Non loquitur de prima rerum creatione, qua ex nihilo creata sunt cælum, & terra, sed de secunda, qua ex materia inani, confusa, & incomposita per sex sequentes dies creauit Deus res singulas, inducens formas diuersas,

Augustinus. — *Materia inuisa.*

ſas, vt legimus initio Geneſis. Dicta eſt autem materia inuiſa, non quòd non videretur, ſed quòd indigna eſſet, quæ videretur, quòd eſſet inepta, incondita, & inornata.

Audaces leones. id eſt, feroces: eſt enim leo animoſus, & audax. Ex quo loco fit certum, inter beſtias illas, & animalia irrationalia, quæ verſu 16. dicuntur à Deo immiſſa in Ægyptios, non fuiſſe comprehenſos vrſos, & leones: ac proinde, nec ſub nomine Hebræo, *habob*, quod *muſcas varias*, reddit Interpres, intelligi multas animalium ſpecies, aut omne genus ferarum, aut ſerpentum, & ſcorpionum, aliorumque animalium venenatorum, aut incurſionum leonum, pardorum, ac luporum, vt Hebræi exiſtimant, & cum eis Pagninus.

Aut noui. Non noui generis beſtias creatas dicit, quaſi tunc primùm fuiſſent natæ, ſed iram noui generis beſtiis iam creatis inditam; quòd Deus ſubitò, ac primò tunc impetum illum, furoremque excitarit; vt ſignificet nouam, & inuſitatam iram, etiam in beſtiis: poterat enim Deus nouum ita impetum, nouumque furorem ignotis feris indere, quibus Ægyptios impeterent, & occiderent. 22. Beſtiis furor nouus inditus.

Aut vaporem ignium ſpirantes. Græcè, *aut igniuomum ſpirantes halitum*, id eſt, quæ igneum vaporem emitterent, quo ſpiritus ardore maxima earum beſtiarum rabies ſignificatur.

Aut fumi odorem proferentes. In codice Complurenſi Græco legimus in ſingulari, aut βρόμον crepitum, vel ſtrepitum ventilati fumi. In Vaticano, & aliis, in plurali βρόμους, crepitus ventilati fumi, ſupple ſpirantes: eſt enim βρόμος crepitus, ſtrepitus, aut ſonitus venti vehementis.

Aut horrendas. Ab oculis ſcintillas fulgurum inſtar emittentes. Nam hic oculorum emicans ardor indicat internum furorem incitatum.

Quarum. læſura, id eſt, noxa; non enim ſolùm poterant nocere, verùm aſpectu ipſo incuſſo timore diſperdere. 23.

Ab ipſis factis ſuis. ὑπὸ τῆς δίκης, à iudicio. Quod hoc nomen δίκη ſignificet cauſam, quæ apud iudicem agitur, iudicium, ſententiam, aut pœnam: quidam hunc locum vertunt, Sed & ſine his vno ſpiritu cadere poterant à iudicio tuo preſſi, aut impulſi, quo eos, ſcilicet, coarguis, & condemnas per conſcientiam, ipſorum viſcera corrodentem. Alij, vt editio Complurenſis, & Vatab. *pœna*, transferunt, quaſi dicat: Quidquòd ſine his perurgente pœna ſcelerum ſuorum diſperdi facilè potuiſſent. Vulgatus dixit, *ab ipſis factis ſuis*, ad eundem ſenſum, quòd ſola conſcientia factorum ſuorum peſſimorum preſſi, ac ſtimulati, poterant diſperdi, ac ſpiritu potentiæ hac illacque in minutas partes diſpergi. 24. Sẽſus prior. Aliter.

In menſura. In Græco deſideratur præpoſitio, *in*. Illuſtrem hanc ſententiam ex ordine, quem Deus ſeruat in rebus omnibus, quas creauit, 25.

& conseruat, accommodat Sapiens pœnæ. Sumpta est autem metaphora ab humanis negotiationibus, in quibus iustitia seruatur dati, & accepti mensurando, numerando, & ponderando. Ita ergo Deus rerum auctor, & effector, illis primùm speciem tribuit; & quia species sunt sicut numeri, auctore Philosopho 8. Metaphysicæ, rebus omnibus quasi opifex tribuit numerum, quo res in se constituta à ceteris distinguatur. Deinde quia est causa exemplaris per rerum idæas in sua mente existentes, quatenus producit res arti seu idæis conformes, quæ existunt in mente artificis, modum illis tribuit, & mensuram iuxta artem, quæ est mensura rerum arte factarum. Tertiò, quia finis est omnium Deus, indit rebus impetum quendam quo tanquam pondere ferantur in suum finem, & in ea magnitudine seu quantitate, quæ deseruiat, conducátque ad finem adipiscendum. Simili modo, inquiunt, tres has rationes seruauit Deus in pœnis infligendis pro peccatis, in numero, vt vna infligatur, & non illæ; quædam, non omnes. in mensura, & proportione, vt commensuretur culpæ iuxta mensuram à Deo definitam: & in pondere, vt deseruiat fini, nempe, vt diuina iustitia illustretur, eíque fiat satis. Sed nihil aliud est, in mensura, numero, & pondere disposuisse Deum omnia, quàm summa æquitate, & ratione ordinasse omnia; quod sapientiæ munus est. Quia ergo Deus sapienter omnia disponit, disposuit quoque sapienter pœnas Ægyptiis infligendas, eas quidem demetiens iuxta mensuram à Sapientia definitam, quatenus opus erat iustitiæ illustrandæ, & populo liberando. & numerãs eas, ne plures fuissent, aut pauciores, deinde & ponderans ne grauiores infligerentur, cùm non iuxta Dei potentiam, sed iuxta eius sapientiam inflictæ sint; & idcirco minutis animalibus contentus, non ferocioribus bestiis immissis eos puniuit, nec exquisitioribus modis suam voluit in Ægyptios exercere potentiam.

Metaphora à negotiatione.

Numerus, pondus, & mensura rerum quid sit.

Vera intelligentia.

Deus metitur pœnas iuxta sapientiam, non iuxta potentiam

26. *Multum.* Græcè: Nam plurimum valere, aut posse hoc est, summa, vel ampla potestas semper est penes te & quis robori brachij tui resistat?

27. *Momentum stateræ.* Græcè, tanquam momentum ex stateris, aut trutinis totus mundus ante te. Comparat totum mundum momento stateræ, quòd omnes creaturæ nutui diuino facilè pareant, vt nunc huc, nunc illuc propendeant, & guttæ roris, quæ Sole exorto dissipatur, quòd Dei sit posse quascumque res perdere; quibus metaphoris vtitur Isaias cap. 40. 15. cùm ait: *Ecce gentes quasi stila situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt.*

Mundus vti statera.

28. *Sed misereris.* Quamuis totus mundus coram tua potentia sit, vt momentum, inquit, stateræ, & vt gutta roris, quem vel tuo nutu possis in nihilum redigere, nihilominus non perdis, vt potes, sed tua misericordia conseruas, quia potes omnia, id est, quia Dominus omnium es, & omnia tua sunt, & tanquam Dominus eorum conseruationi

Deus suis prospicit.

pro

prospicis. Hæc est illa sententia infrà versu 27. repetita. *Parcis omnibus, quoniam tua sunt Domine.* & cap. 12. v. 16. *Et ob hoc quòd omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.* Vel quia omnia potes, cùm omnia possis perdere, & saluare, punire, & misereri, potes tuam potentiam exerere, & eam tua misericordia continere, & temperare. Hoc est illud Dei elogium, in Scriptura valde repetitum, *Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit: Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat, & subleuat.* Cùm ergo in Dei potestate sit perdere, & saluare, nihilominùs quia natura propensior ad saluandum, miseretur omnium; & cùm Ægyptios posset omnino perdere, misericorditer, ac temperatè puniuit.

Deus potentiam cōtinet misericordia.

Dissimulas. παρορᾷν, est oculis aliquid præterire, & quasi ad rem aliquam conniuere, quæ clementia, seu lenitas Deo tribuitur Michææ 7. 29.
18. illis verbis: *Quis similis tibi, ô Deus, qui tollis iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hereditatis tuæ?* id est, conniues ad peccatum, atque oculos claudis, vt acerbè non obserues. quod rectè dixit Vulgatus, *dissimulas.*

Clementia Dei.

Propter pœnitentiam. Græcè, *ad pœnitentiam,* vt scilicet, resipiscant: non enim significat propter pœnitentiam iam peractam Deum dissimulare ne puniat, & quasi qui non videat, præterire, expectans vt pœniteant; iuxta illud Isaiæ 30. 18. *Expectat Dominus vt misereatur vestri.* & Pauli ad Roma. 2. 4. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.*

Nihil odisti. Nihil abominaris eorum, quæ fecisti: siquidem tuas 30.
creaturas agnoscis, ac diligis.

Nec enim. Græcè, Nihil enim odiens effecisses, aut meliùs, Nam tu quidem nihil vmquam tibi inuisum effecisses: nam si odiuisses, non condidisses. Augustinus lib. 1. de diuersis quæstionibus ad Simplicianum, legit: Neque enim odio habens aliquid constituisses. Et Hieronymus in cap. 1. ad Ephesios: Diligis omnia, & nihil abiicis eorum, quæ fecisti: neque enim odio quid habens condidisti. Itaque illud secundum verbum (*aut fecisti*) quod adiecit Vulgatus, non est in Græco.

Augustin. Hieronym.

Quomodo. hoc est, nihil contra tuam voluntatem, & auctoritatem 31.
manere vnquam, nec saluum esse potuisset; ita omnia, auctore Deo, ac volente effecta fuêre, & conseruantur.

Aut quod. hoc est, aut quod tu non iussisses conseruari, incoluméque esse, non conseruaretur.

Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine. hoc est illud suprà 32.
dictum versu 24. *Misereris omnium, quia omnia potes.*

Qui amas animas. φιλόψυχε, amice animarum, vel, amator animarum. Dei erga homines suauissimum elogium & beneficiis ostensum, & in periculis pro animabus vsque ad mortem subitis demonstratum satis. vel, qui amas vitas hominum, quas vt conserues, non pœnas infligis, vt potes; sed cum mediocritate.

Elogium Dei erga homines.



SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT XII.

VETVS.

1. *O Quàm bonus & suauis est Domine Spiritus tuus in omnibus!*
Ideóque eos, qui exerrant, 2.
partibus corripis: & de quibus
peccant, admones, & alloqueris:
vt relicta malitia, credant in te
Domine.

Illos enim antiquos inhabi-
tatores terræ sanctæ tuæ, 3. *quos*
exhorruisti,
Quoniam odibilia opera 4.
tibi faciebant per medicamina,
& sacrificia iniusta,
5. *Et filiorum suorum neca-*
tores sine misericordia, & co-
mestores viscerum hominum,
6. *& deuoratores sanguinis*
7. *à medio sacramento tuo,*

8. *Et auctores parentes ani-*
marum

NOVA.

NAm incorruptus tuus Spiritus inest omnibus.

Ideo eos, qui labuntur, paulatim corripis, & de quibus peccant, commonefaciens admones, vt cùm à malitia recesserint, credant in te Domine.

Etenim antiquos illos habitatores terræ sanctæ tuæ cùm odisses,

Eò quòd odiosissima facerent opera veneficiorum, & sacrificia impia,

Atque immisericordes liberorum interfectores, & viscerum comestores humanarum carnium, & epulùm sanguinis ex abominatione, è medio sacramenti tui.

Ac patres auctores cædis ani

marum inauxiliatarum, perdere per manus parentum nostrorum.

Vt dignam perciperent 9. *peregrinationem puerorũ Dei, quæ tibi omnium charior est terra.*

10. *Sed & his tanquam hominibus pepercisti, & misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent.*

Non quia impotens eras in bello subiicere impios iustis, aut bestiis sæuis, aut 11. *verbo duro simul exterminare:*

12. *Sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.*

Semen enim erat maledictum ab initio: 13. *nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum.*

Quis enim dicet tibi, quid fecisti? 14. *aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in cõspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?*

15. Non

animarum auxilio destitutarum, perdere per manus patrum nostrorum voluisti.

Vt dignam serui Dei coloniã acciperet terra apud te omnium honoratissima:

Sed his quoque vt hominibus pepercisti, & misisti præcursores exercitus tui vespas, quæ illos paulatim exterminarent.

Non impotens in acie impios sub manũ iustorum tradere, aut feris truculentis, aut verbo seuero simul abolere:

Sed iudicans paulatim dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quòd praua esset generatio eorum, & ingenita malitia ipsorum, & quòd non immutaretur cogitatio eorũ in perpetuum.

Semen enim erat execrationi deuotum ab initio: neque quemquam metuens ob ea, quæ peccauerunt, veniam dabas.

Quis enim dicat (tibi), quid egisti? aut quis resistat iudicio tuo? quis verò crimen intendat tibi de gentibus, quæ perierunt, quas tu fecisti? aut quis in conspectum tuum veniet vindex pro iniquis hominibus?

15. *Non enim est alius Deus, quàm tu, cui cura est de omnibus, vt ostendas quoniam non iniustè iudicas iudicium.*

Neque Rex, neque Tyrannus 16. *in conspectu tuo inquirent de his, quos perdidisti.*

Cùm ergo sis iustus iustè omnia 17. *disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum astimas à tua virtute.*

18. *Virtus enim tua iustitiæ initium est: & ob hoc, quòd omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.*

19. *Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus,* 20. *& horum, qui te nesciunt, audaciam traducis.*

21. *Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos: subest enim tibi, cùm volueris, posse.*

Docuisti autem populum tuum per talia opera, 22. *quoniam oportet iustum esse, & humanum, & bonæ spei fecisti filios tuos: quoniam iudicans das locum in peccatis pœnitentiæ.*

Si enim inimicos seruorum tuorum, & 23. *debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, dans tempus, & locum, per quæ* possent

Neque enim est Deus præter te qui curam habes omnium; vt ostendas quòd non iniustè iudicasti.

Neque Rex, aut Tyrannus intueri contra te poterit, de his, quos tu punieris.

Iustus autem cùm sis, iustè gubernas omnia: eum, qui non debet puniri, condemnare, existimans alienum à tua potentia.

Robur enim tuum iustitiæ principium est; ac omnibus te dominari, omnibus parcere te facit.

Robur enim ostendis cùm non crederis in potentiæ perfectione, te esse, & in scientibus audaciam redarguis.

Tu autem dominans potentiæ, in æquitate iudicas, & cum multa indulgentia gubernas nos: quoniã posse, cùm volueris, prestò tibi est.

Per huiusmodi autẽ opera docuisti populum tuum quòd iustum oportet esse humanum, & bonæ spei fecisti filios tuos, quòd in peccatis pœnitentiæ locum concedis.

Si enim inimicos seruorum tuorum, & debitos morti cum tanta vltus es attentione, ac obtestatione, dans

posſent mutari à malitia.

Cum quanta 24. diligentia iudicaſti filios tuos, quorum parentibus iuramenta, & conuentiones dediſti bonarum promiſsionum?

25. *Cùm ergo das nobis diſciplinam, inimicos noſtros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes: & cùm de nobis iudicatur, ſperemus miſericordiam tuam.*

Vnde & illis, qui in vita ſua inſenſatè, & 26. iniuſtè vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dediſti ſumma tormenta.

27. *Etenim in erroris via diutiùs errauerunt, deos æſtimantes hæc, quæ in animalibus ſunt ſuperuacua, infantium inſenſatorum more viuentes.*

28. *Propter hoc tanquam pueris inſenſatis iudicium in deriſum dediſti.*

29. *Qui autem ludibriis, & increpationibus non ſunt correcti, dignum Dei iudicium experti ſunt.*

30. *In quibus enim patientes indignabantur, per hæc quos putabant deos, in ipſis cùm exterminarentur videntes illum, quem olim negabant ſe noſſe, verum*

dans illis tempus, & locum, quo à malitia recederent:

Cum quanta diligentia iudicaſti filios tuos, quorum patribus iuramenta, & conuentiones dediſti bonarum promiſſionum?

Nos igitur caſtigans, in mille flagellas inimicos noſtros, vt tuam bonitatem ſolicitè cogitemus iudicantes; iudicati autem ſperemus miſericordiam.

Vnde & eos, qui in inſipientia vitæ vixerunt iniuſtè, excruciauiſti per ſuas ipſorum abominationes.

Nam longiùs viis erroris aberrauerunt, Deos exiſtimantes etiam quaſdam infames inimicorum animantes, infantium more ſtultorum decepti.

Propterea vt pueris ratione carentibus iudicium in deriſum miſiſti.

Illi autem ludibriis increpationis non correcti, dignum Dei iudicium experientur.

In quibus enim ipſi patientes indignabantur, in his, quos putabant deos, in ipſis puniri videntes, quem olim negabant noſſe, Deum agnoue

verum Deum agnouerunt: propter quod & finis condemnationis eorum venit super illos. | agnouerunt verum: quamobrem extrema etiam in eos condemnatio superuenit.

ARGVMENTVM.

Ad Sapientiam commendandam beneficium amplificat Israëlitico populo collatum in introitu terræ sanctæ, expulsis ex ea impiis habitatoribus, magna cum moderatione flagellatis, vt eos ad pœnitentiam induceret; quo hoc exemplo filij quoque ipsi ad bene de Deo sperandum inducerentur.

COMMENTARIVS.

1. Hieronymus. O *Quàm bonus.* Græcè est, *Nam incorruptus tuus Spiritus est in omnibus*, vt habent alij omnes interpretes. & Hieronymus in cap. 3. Epistolæ ad Galatas. Est autem ratio extremi versus capitis præcedentis, nempe, parcis omnibus cùm sis amator animarum, quarum curam, & amorem in eo ostendis, quòd incorrupto tuo Spiritu ades omnibus, etiam impiis, vt eos à sua reuoces impietate: nec tamem corrumpitur, læditur, aut polluitur ab eis. Et præterea suauis est, & bonus omnibus, quia omnium bonum procurat, & incorruptus, quia lædi non potest. Est autem in omnibus, quia omnes afflat, ad bonum omnibus inspirat pietatem; omnes incitat ad virtutem, & vt peccata sua deserant.

Spiritus Domini ad bonum homines excitat.

2. *Partibus corripis.* Hoc est per partes, aut paulatim aut sensim. Ita hic modus loquendi Vulgati hîc & inferiùs versu 10. est accipiendus: nam per suum incorruptum Spiritum lapsos Deus paulatim coarguit, vt leniter, ac moderatè eos reuocet ad pœnitentiam. *Non enim accendit omnem iram suam.* Psalmo 77. 38.

Malos sensim corripit.

Alloqueris. In corde scilicet, eos admonens in quibus peccauerint, ait, commonefaciens admones, in memoriam peccatorum reducens, quorum cogitationem, ac sensum sæpe nullum habent.

Vt relicta. Græcè, *vt liberati à malitia*, vel, *cùm recesserint à malitia*, vel, *prauitate, credant in te Domine*, vel, *collocent in te fiduciam.* Hoc boni Dei officium in Chananæos terræ promissæ habitatores ostendit sua miseratione.

Chananæos ad pietatem Deus induxit.

3. *Quos exhorruisti.* Græcè, *odio habens*, vel, *cùm odio habuisses* Chananæos intelligit, qui terram Chanaan postea dictam Iudæam, seu terrã sanctam, incoluerunt.

Tibi faciebant. Pronomen *tibi* adiecit Vulgatus, cùm in Græco non sit, vt

sit,vt ostenderet,quàm essent Deo infensa, & inuisa illarum gentium opera.

Per medicamina. Græcè,opera φαρμακειῶν, medicamentorum, pro veneficiorum, sumpto vocabulo in malam partem; sicut pharmacum in 1.huius libri capite versu 14. diximus accipi pro veneno. Itaque hoc loco eo nomine comprehenduntur incantationes, quibus venefici, magicique vtuntur, omniaque superstitiosa, ac diabolica maleficia.

Sacrificia iniusta, ἀνοσίους, non sancta, aut impia, quòd sacrificiis impiis essent dediti, qualia sunt quæ fiebant idolis, vel quòd sacrificia obirent impij ipsi cùm essent, cùm non nisi Sanctis eo munere fungi liceat. quod alij dicunt, quoniam erant sacerdotes initiantes sacris impiis, vel ipsi sacris impiis initiati. Chananæorum sacra.

Et filiorum. Satis immisericordes,& inclementes,qui immolabant filios suos & filias dæmoniis,vt alio in loco diximus latiùs. 5.

Viscerum. Græcè, *& viscerum comestores*, seu *voratores humanarum carnium*, hoc est,qui visceribus,ac carnibus vescerentur humanis. Ita Complutensis codex Vulgato conformiùs, comestores ponit, in casu accusandi. At codex Græcus Vaticanus collocat in genitiuo plurali, & comestorum viscerum humanarum carnium conuiuium & sanguinis:quasi oratio pendeat ex superiori verbo, *faciebant*, hoc modo: Et quoniam faciebant conuiuium comedentium viscera humanarum carnium,& sanguinis:nam θοίναν conuiuium interpretantur illius loci translatores, & præcedentibus adiungunt, quia ponitur ante coniunctionem, θοίναν καὶ αἵματος, *conuiuium & sanguinis.* Sed Græca altera lectio verior videtur, quatenus Latinæ Vulgati conformior est,vt diximus. Viscerum autem nomine non tantùm exta significantur,sed caro potiùs ipsa. Vnde Virg. 6. Aeneid. dixit, Lectionis ratio. Viscera quid sint. Virgilius.

Et solida imponit taurorum viscera flammis.

Vnde visceratio priscis erat carnis crudæ distributio, quæ fieri solebat in festis solennibus, vel in funere excellentis personæ. Hinc lib. 8. Liuius refert,& populo viscerationem datam à M. Flauio in funere matris. Itaque Chananæi turpiùs in hoc delinquebant,quòd viscerationem dabant non aliarum animantium carnium, sed humanarum, & fortasse filiorum, quos immolabant: quo quid immanius, & horribilius? Visceratio quid. Liuius.

Et deuoratores sanguinis καὶ θοίναν αἵματος, *& deuoratorem sanguinis*, vt vertit Complutensis. Alij, *& dapes*, seu *epulum sanguinis*, hoc est,epulum sanguinolentum,seu cruentum;nisi quòd Vatablus & recentiores alij iungunt huic membro sequentem genitiuum cum sua præpositione,legentes ἐκ μύσων, vel, ἐκ μύσους, contractè pro μύσεος, *ex scelere*, vel, *ex abominatione*, vel, *ex fastidio*, aut, *nausea*, vt integrum membrum sit,& epulum sanguinis ex abominatione, hoc est, epulas 6. Lectionis ratio.

abominabiles, quæ fastidium, aut nauseam hominibus afferre possent. Aptè autem θοίναν vocauit conuiuium, ac epulum, à θεὸς, & οἶνος, quod in festis deorum largiùs solerent bibere. Vtque quædam erant conuiuia vinolenta, ita harum gentium epulæ erant sanguinolentæ, ac cruentæ. Voluit autem Interpres vulgatus, vt cum nominibus præcedentibus necatores, comestores, conueniret, epulum in epulatores, seu deuoratores conuertere: nam simul Hebræi, qui voluêre perdere epulum, & epulatores cum eo perdere conati sunt. Illud autem ἐκ μύσους, *ex abominatione*, non conuenit cum Græca lectione Complutensi, Regia, & Vaticana, ἐκ μέσου, *è medio*, quam secutus est vulgatus Interpres, estque difficilis explicatu, vt dicemus. Ex hoc loco certum fit Chananæos consueuisse, & homines sacrificare dæmoniis, & parte sacrificiorum vesci in suis sacris conuiuiis, aut epulis, quamuis nusquam huius legatur facta mentio.

Conuiuium sanguinolentum.

Chananæorum sacrificia, & epulæ.

7. *A medio sacramento tuo.* Græca huius lectio loci nequaquam conuenit. Complutensis & Regia sic habent, ἐκ μέσου μύστας θείας σοῦ, *è medio sacramenti diuini tui.* Sed quomodo accusatiuum μύστας vertat per Genitiuum, *sacramenti*, non video: potiùs dicendum erat, *è medio mystas*, sacerdotes initiatos, vel cultores diuini tui vt pendeat ex sequentibus oratio, voluisti perdere per manus patrum nostrorum. Vt possit esse vtcumque hic bonus sensus, inter alios illius terræ habitatores, voluisti perdere initiatos sacris impiis, mystas, seu cultores è medio diuini tui, hoc est, è terra, in qua tu colendus eras. ita ἐκ μέσου conuenit cum θείας, *è medio diuini tui.* Plerique manuscripti codices legunt, ἐκ μέσου μύστας θιάσων, mystas, sacerdotes, seu initiatos è medio choro debacchantium, qui componunt vnum nomen ex θίας, & σου, qua si diceret, voluisti perdere per manus patrum nostrorum, necatores filiorum, comestores humanarum carnium, voratores sanguinis, & sacerdotes è medio choreæ Bacchi. Sunt alij, qui pro θείας σου volunt legi θειασμὸν, quod nomen significat furorem diuinum, afflatum aut furiosam inspirationem hominum, quorum ingenia, & corda spiritu diaboli potiùs quàm Dei occupantur, agitanturque, qui fanatici dicuntur, & diuino quodam numine afflati, quem furorem, seu afflatum diuinum, ἐνθουσιασμὸν appellat Plato. Iuxta hanc lectionem Vatabli interpretatio, & Vatablus volunt sic legi, μύστας τε θειασμῶν, *& sacerdotes diuini furoris*, vel, *sacerdotesque fanaticos*: nam ἐκ μέσου cum præcedentibus verbis coniungunt, legentes μύσος, vel μύσους, vt iam notauimus. Quod si hîc transferamus, *è medio*, non erit sensus ineptus *è medioque fanaticos sacerdotes perdere voluisti cum ceteris facinorosis suprà relatis.* Vaticanus codex habet, ἐκ μέσου μυσταθείας σου, faciens genitiuum μυσταθείας, compositum ex μύστης, & θείας, vt ita Latinè vertatur, è medio sacramenti tui; quod est, è medio arcani diuini tui. Quæ lectio propterea ceteris præferenda, quòd cum Vulgata

Lectionis ratio.

Sensus primus.

Sensus secundus.

Enthusiasmus.

Plato.

Sensus tertius.

Sensus quartus.

Vulgata per omnia consentiat: atque ita erit sensus communis expositorum: Hos omnes idolorum cultores voluisti perdere è medio sacramenti tui, id est, è medio terræ, in qua tua sacramenta constituisti, arcana tua, aut cultum tuum; nempe è medio cultorum tuorum: non enim decens erat, vt in medio tot impiorum pius populus moraretur, aut inter tot execranda sacra cultus Dei verus exerceretur. Ecclesia Dei separanda à cultu impiorum.

Et auctores. Græcè, καὶ αὐθέντας γονεῖς. Vocat αὐθέντας, qui manu sua aliquem percutiunt, ac cædunt, atque ita hoc loco transferendum, *& parentes principes*, seu *auctores cædis animarum auxilio destitutarum*; aut, *percussores animarum miserarum, quas genuerant.* Quod si à parentibus filij occidebantur, à quibus vel maximè defendi deberent, quinam illis opem ferrent? 8. Filiorum cæsores.

Peregrinationem. Pro peregrinis dixit, qui peregrè aduenerunt, sicut transmigratio sumitur pro his, qui aliò transmigrant, coloniam clariùs vertunt alij, vt terra, inquit, dignam seruis Dei coloniam acciperet. 9. Iudæam dedit Israëli Deus.

Charior. Omnium honoratissima, seu pretiosissima terra. Ita vocatur Iudæa propter electionem Dei, & benedictionem: nam eam delegit Deus, in qua habitaret, ac conquiesceret.

Sed & his. Nempe Chananæis, tanquam hominibus pepercisti, vt non simul, ac statim interirent, sed paulatim, vt interim ad pœnitentiam reuocarentur, & simul Iudæi exercerentur. 10.

Antecessores. Græcè, præcursores exercitus tui vespas, σφῆκας, insecta enim, noxiáque animalia præmissa sunt ad hostes vexandos, paulatimque profligandos, vt promiserat Deus Exodi 23. 27. *Terrorem meum*, inquit, *mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris. Emittens crabrones priùs, qui fugabunt Heuæum, & Chananæum, & Hethæum antequam introeas. Non eiiciam eos à facie tua anno vno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ.* & Deuteron. 7. 20. *Insuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes, atque disperdat, qui te fugerint, & latere potuerint.* Et ne quis putet per metaphoram hæc esse accipienda, reipsa præstitam hanc Dei promissionem refert Iosue cap. 24. 12. cùm ait: *Misiq; ante vos crabrones, & eieci eos de locis suis, duos reges Amorrhæorum, non in gladio, nec in arcu tuo.* Septuaginta vbique σφηκίας vocant vespas: sunt autem crabrones vespis similes, sed maiores, alati, spiculisque armati, vulgò *tabanos* dicimus. Hebræum nomen צרעה *tsirah*, illis in locis positum speciem muscæ significat venenum emittentis, quæ percutiebat oculos, & veneno illos afficiebat. Vnde non poterant gentes pugnare & tunc Israël occurrebat, & facilè illas occidebat. Crabrones, muscarum species.

Verbo duro. Pro peste sunt qui verbum durũ, seu seuerum accipiant, quòd nomen Hebræum דבר *dauar* eam quoque habeat significationem, vt etiam exponunt illud Psalm. 90. 3. *Ipsi liberabit me de laqueo* 11. Verbi significatum pro peste.

venantium, *& à verbo aspero*, à peste exitiali, à noxio periculo. Sed
Iussus seuerus Dei. simplicius, ac verius est idem esse dicere, *verbo duro*, quod nutu diuino, ac iussu seuero, aut aspero: nam vult exaggerare vim diuinæ potentiæ, quæ vel nutu ipso posset abolere gentes illas impias.

12. *Sed partibus.* hoc est, per partes, vt notauimus versu 2. quod est, paulatim, vt dixerat versu 8. ait ergo, Iudicans autem paulatim dabas locum pœnitentiæ, id est, paulatim puniens, aut damnans inuitabas ad pœnitentiam, vt Paulus dixit ad Roman. 2. 4. *sua lenitate, ac mansuetudine, ad pœnitentiam te adducit*: laneis enim pedibus quasi incedit, feróque se vindicat.

Nequam. praua, seu improba esset generatio eorum, hoc est, non ignorans, quòd ab origine sua mali essent, & filij iræ.

Chananæorum malitia congenita. *Et naturalis*, Græcè, *& ingenita*, seu *innata*, vel, *insita malitia eorum*, quam scilicet à suis parentibus imbibissent, & longa consuetudine velut in naturam conuertissent. Ne quis naturam à Deo creatam, tamque ex se malam calumnietur cum Manichæis.

Non poterat. Græcè, & quòd non mutaretur cogitatio eorum in perpetuum. Nam illorum voluntas ita erat in impietate obfirmata, vt ad timorem Dei reuocari se minimè pateretur.

13. *Nec timens.* Græcè, *Neque metuens aliquem, veniam, vel impunitatem dabas.* hoc est, sponte parcebas eis, & punitionem differebas, paulatim supplicio afficiens, non metu alicuius compulsus. Potest & hoc modo intelligi. Nullius metu compelli potuisti, vt eis veniam dares, hoc est, vt non tandem eos deleres, qui sensus sequentibus probatur verior.

14. *Aut quis stabit.* Græcè, *aut quis resistet aut se opponet iudicio tuo, quo damnaueris, aut deleueris gentes illas?*

Aut quis in conspectu. Hoc membrum in fine huius versus, post id quod sequitur, *aut quis tibi imputabit* exponitur in Græco. *In conspectum*, Græcè, εἰς καταςασιν, vt habent codices Complutensis, Regius, & Vaticanus. Alij legunt, εἰς καταςτασιν, *in constitutionem*, vt sit sensus, Quis constituetur iudex, aut vindex, cùm agetur causa hominum iniustorum vindicanda? Quis illud ius occupabit, sibíque vsurpabit, quod Dei proprium est, dicentis, *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Illud autem, *vindex iniustorum hominum*, idem est quod vindex pro iniustis hominibus aduersùs te, qui tanquam patroni eos tueantur. Vnde subiicitur: *Neque enim est alius Deus præter te, qui rationem à te reposcat de his.*

Nemo Deũ damnet impios punientem.

Aut quis tibi imputabit? Græce, *quis autem accusabit te.* hoc est, quis crimen intendet tibi de gentibus, quæ, te agente, perierunt, cùm perdere eas tanquam dominus potueris, vtpote qui feceris eas.

15. *Non enim.* Græcè, Nec enim est Deus præter te, & vt ostendas quòd rectè iudicasti. *Iudicium*, quod adiicit Vulgatus, non est in Græco.

Docet

Docet neminem esse, qui possit Deum reprehendere propter impios punitos; primò, quia neminem habet superiorem, vel æqualem, qui rationem de facto eius ab eo reposcat, cùm nullus sit alius Deus præter ipsum; vt aliàs ipse affirmat Deuteron. 32.39. *Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo; & non est, qui de manu mea possit eruere.* Deinde quia ipse curat omnia, & omnibus prouidet, vti Dominus omnium; quo ostendit summam iudiciorum Dei æquitatem, siquidem non ex in curia, aut ex maleuolentia iniustos afficit supplicio. Dei æquum iudicium punientis.

In conspectu tuo. hoc est, resistet coràm, vel, vt vulgò dicitur; in faciem. Græcum verbum αὐτοφθαλμῆσαι, significat aspectum contra aliquem torquebit; aut oculos coniiciet animi indignantis, aut irati indices: sumpta metaphora à contendentibus, qui seipsos non rectis aspiciunt oculis. Est ergo sensus. Nullus vel rex, vel tyrannus oculos contra te attollere audeat, vt tacitè saltem, quæstionem tibi moueat, cur ita punieris. 16.

Disponis. Græcè, iustè omnia gubernas. Dixerat in versu præcedente, neminem adeò esse potentem, qui audeat cum Deo contendere, illique se opponere, vt de factis eius poscat rationem; in hoc versu ostendit neminem esse, qui iustè possit iudicium Dei de iniustitia arguere. 17. Iudicium Dei iustum.

Ipsum quoque. Iustè, ait, gubernas omnia, iudicans indignum tua summa potestate condemnare innocentem, qui nullam commeruit pœnam. Hæc est vera huius loci lectio, Græcis omnibus codicibus consona, & meritò prælata in editione vulgata correcta. Nam altera, quam habent Augustinus lib. 83. q. q. 53. & Gregorius lib. 3. Moralium, cap. 11 & expositores interpretantur, videlicet, Eum quoque, qui non debet puniri condemnas, & externum existimas à tua virtute: impietatem potiùs sonat, & iniustitiam, & vix aliquem bonum sensum præfert; cùm sententia satis sensu aliena sit à præcedentibus, & sequentibus, in quibus Dei summa iustitia asseritur, & commendatur. Lectio vera. Deus innocẽtem non damnat. Augustinus. Gregorius. Sententia difficilis.

A tua virtute. δυνάμεως, à tua potentia: non enim de virtute sermo est vitio opposita, sed de potestate faciendi aliquid.

Virtus enim tua. ἰσχύς: nam vis tua, robur, aut fortitudo tua iustitiæ initium est. In aliis, inquit, potentia, & fortitudo est iniustitiæ initium, qui sua potentia abutuntur in miserorum afflictorum, & oppressorum perniciem; at in te tua potestas, & fortitudo initium iustitiæ est. Rationem reddit statim. 18. Dei potentia, iustitiæ fons.

Et ob hoc. Quia tuus, ait, in omnia dominatus facit vt ignoscas omnibus; tua in omnes potestas non te impellit ad sæuiendum in omnes, sed potiùs ad parcendum: nam summum tuum imperium summa lenitate, & misericordia temperatum est, vt quò maior es, eò sis clementior; quæ est virtus boni Principis, nempe vt & Dominus sit Princeps Dominus, & pater.

ſubditorum,& pater,vt Chriſtus dixit Matth.11.25.*Confiteor tibi Pater Domine cœli,& terræ*: nam potentiam Domini liberè opprimere potentiis,patris affectus frænat,ac temperat.

19. Potentia exerit ſe in nouis ei ſubiectos. *Virtutem*.Robur enim oſtendis cùm non crederis in potentiæ perfectione;hoc eſt,cùm non exiſtimaris,ac crederis ſumma, ac perfecta pollere potentia,vim tuam exeris,& ſummam poteſtatem declaras in eos,qui eam nolunt agnoſcere.

20. *Et horum*. Græcè, *& in ſcientibus audaciam redarguis*, ſeu *palàm reprehendis*,quod Vulgatus dixit,*traducis*.Legit & Auguſtinus loco iam dicto ſimiliter:Sed in his,qui ſciunt audaciam traducis;hoc eſt, & intelligentiam,ac ſapientum huius mundi, qui tuam potentiam nouerunt,expertíque ſunt,& tamen inſolenter contra eam ſe efferunt, audaciam,ac ſuperbam perſuaſionem reprehendis,& confundis contumaciam.Itaque contra ſapientes hæc dicit, qui potentem Deum nouerunt,& ſicut potentem non glorificauerunt,& contra potentes,qui Dei potentiam experti pro nihilo habuerunt. Quod verò dixit Vulgatus,*& horum,qui te neſciunt,audaciam traducis*,cùm in Græco legamus,*& in ſcientibus audaciam redarguis*, eundem ſenſum præfert : eos enim ſignificat,qui per humanam philoſophiam, & ſapientiam huius mundi nouerunt Dei potentiam;at nolunt eam venereri, timere, illíque ſe ſubiicere,ac proinde nolunt vtiliter ſcire:vnde etſi humano ingenio ſciant Deum potentem, at piè, & religiosè neſciunt, cùm illi non ſe ſummittant. Atque hi ſunt ſuperbi, quibus *Deus reſiſtit, cùm humilibus dat gratiam* Iacobi. 4.6. nam,vt ait Eccleſiaſticus cap. 3. 21. *magna potentia Dei ſolius,& ab humilibus honoratur*. & hæc eſt vera ſapientia,vt inquit Salomon Prou.11.3.*Vbi fuerit ſuperbia,ibi erit & contumelia:vbi autem eſt humilitas,ibi & ſapientia*.

Deus ſuperbis ſapiétibus reſiſtit.

Potentiam honorant humiles.

21. Auguſtinus. *Tu autem dominator virtutis*. Auguſtinus eo loco legit, *Tu autem Dominus virtutum*.Græcè eſt,*Tu autem dominans potentiæ*, vel,*qui ſumma poteſtate polles*,vel,*qui ſub tua poteſtate aliorum potentiam contines,ne ea abutantur,ἐν ἐπιεικείᾳ, in æquitate*,vel,*manſuetudine iudicas*:nam ampliſſimum imperium tuum cum æquiſſimo iudicio coniunctum eſt, non puniens pro poteſtate.

Et cum magna reuerentia.Græcè,*& cum multa parcitate gubernas nos*. φειδὼ námque indulgentiam, ſeu ignoſcentiam ſignificat, itaque hîc pro clementia,& miſericordia ſumitur,quam Vulgatus vocauit reuerentiam, quòd ſe Deus habeat ad modum reuerentis ſuam poteſtatem,vt non per omnia eam exerat.

Clementia Dei.

Subeſt.hoc eſt, non quòd non poſſis, cùm volueris perdere; ſiquidem poſſe pro tuo nutu præſtò tibi eſt,at quia tuæ potentiæ dominaris,eam tua clementia contines,& miſeratione moderaris.

22. Iuſtus humanus eſſe debet. *Quoniã oportet iuſtum eſſe, & humanum*.Græcè,quòd oportet iuſtum eſſe humanũ,vel quòd qui iuſtus eſt,debet eſſe & humanus vel benignus.

nus. Vnde coniunctio illa, *&*, non copulat, sed auget, ac pro *etiam* ponitur; quoniam, inquit, virum iustum etiam humanum esse oportet.

Et bonæ spei. vel, *& bene sperantes fecisti filios tuos*; quòd das existentibus in peccato locum pœnitentiæ. Itaque ex misericordia, qua vsus est in seruos Chananæos, duo suo exemplo tradidit documenta Deus; alterum, iustum iudicem debere cum humanitate iudicare, vt Deus sese benignum præstitit Chananæis; alterum, quo bene sperare fecit filios, quà ipsis etiam peccantibus dabit locum pœnitentiæ, siquidem & hostibus, ac seruis illum concessit. Misericordiæ fructus geminus.

Quoniam iudicans. Hoc participium, *iudicans*, non est in Græco, nec tamen sensui obest, qui est huiusmodi. Cùm sententiam fers in aliquem, vel damnas peccata, non illicò executioni mandas, sed longanimis differs, dans locum pœnitentiæ.

Debitos morti. Vocat debitos morti, mortem commeritos, morti obnoxios, qui ea commiserunt propter quæ debitas, meritásque mortis pœnas luere debeant. 23.

Cruciasti. vindicasti, vltus es, aut puniuisti.

Attentione. προσοχῆς. prouida ratione, vel moderatione. Significat autem Deum, non sicut potentem crapulatum à vino, vt dixit Dauid Psalmo 77.65. qui non attendat rationem, nec modum seruet; sed vt prudentem Dominum, curare, non perdere; qui cogitabundus paulatim applicat remedia, & salutis ingerit spem. In codicibus aliis Græcis, vt in Vaticano, inuenitur alius genitiuus καὶ δεήσεως, qui non est in Complutensi & Regio, nec in Vulgato. Vertitur, *& obtestatione*; in versione Vaticana transfertur, *& parsimonia*, est, *& indigentia*: quo significatur Deum vltum se de Chananæis cum tanta attentione, quantam diximus: & cum tanta obtestatione, petendo ab illis, & obtestando nisi sibi consulerent, tandem perituras; & cum tanta parsimonia, moderatione, indigentia, ac si Deus illis indigeret, ac propterea nollet eos perdere. Quod ostendit sumendam Dei nostri sustinentiam, ac ingentem clementiam. Deus punit vt medeatur.

Dans tempus, & locum. τόπον, *locum* habent Græci codices communiter, & Vaticanus; & hanc lectionem secutus est Vulgatus. Complutensis habet τρόπον, *modum*, quo à malitia recederent.

Diligentia. Græcè ἀκριβείας. Est autem accurata, & attenta consideratio, seu exquisita animaduersio, quæ negligentiæ, iracundiæque temerariæ, atque inconsideratæ opponitur: est enim ira præceps ad supplicium sumendum. At Deus diligenti, ac solicita consideratione, (quam cautionem alij, seu circunspectionem vocant) iudicauit, supplicium sumpsit, aut castigauit filios suos. 24.

Quorum patribus. quoniam heredes fecit bonorum patribus promissorum, propterea filios vocat: nam *si filij & heredes*; *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*.

Cùm

25. *Cùm ergo das.* Græcè, *Nos ergo* παιδεύων, *castigans, inimicos nostros in mille flagellas.* Castigans, ait, nos, vt pater filios paterna castigat disciplina; hostes flagellas in mille, id est, infinito grauiùs, aut infinitis partibus grauiùs affligis inimicos.

Vt bonitatem. Græcè, *vt tuam bonitatem*, μεριμνῶμεν, *solicitè cogitemus*, aut *anxiè cognosceremus iudicantes*; vt sit sensus, Vt tuam, quam nobis ostendis, bonitatem, iudicantes, & expendentes, solicitè consideremus, ac curemus, ne ab ea excidamus: ea enim consideratio in fiducia, ac in Dei timore continebit. vel, Vt iudicantes, nempe, alios, cùm scilicet alios damnamus, bonitatem tuam cogitemus, vt clementiùs, ac humaniùs res illorum tractemus, iuxta illud suprà dictum in versu 19. Atque hunc sensum indicat sequens sententia.

Clementia Dei in nobis pœnas in aliis videntibus.

Et cùm de nobis iudicatur. Græcè, *iudicati autem speremus misericordiam. Iudicati*, dixit passiuè, vt Paulus 1. ad Corinth. 11. 31. *Nam si nos ipsos diiudicaremus, nequaquam iudicaremur; cùm iudicamur autem à Domino corripimur.* & est sensus, Cùm verò fuerimus à te iudicati, damnati, aut flagellati, eadem tua bonitate perpensa, non desperemus.

Flagellum Dei spem generat.

26. *Iniustè.* Hoc aduerbium non est in Græcis aliquibus codicibus; repetitur tamen in Complutensi, Regio, & Vaticano: atque ita habet Vulgatus.

Vnde. Hoc loco *vnde*, sumitur pro, *idcirco*, vel, *quocirca*: redit enim ad ostendendum grauissimum supplicium, quo Deus idololatras excruciauit propter scelus idololatriæ.

Per hæc. Græcè, *Per suas abominationes; per idola quæ coluerunt.* nam idola consueuit Scriptura vocare abominationes, vt hîc, & inferiùs; quibus impulsus est Deus ipsos cultores cum idolis suis exterminare.

27. *Etenim.* Græcè, *etenim erroris viis longiùs errauerũt.* Hyperbolica locutio, qua ostenditur quàm longiùs in errore fuerint gentes illæ progressæ, vt peiùs aberrarent, quàm ipsæ erroris viæ: nam sic stultitia stultiorem hominem supra modum stultum vocamus; & sapientia sapientiorem, præstantem in sapientia. Aut qui diutiùs persliterant in erroris viis. Etsi autem de Israëlitis quidam hîc sermonem fieri exponant, alij de Ægyptiis. At verius videtur, de Chananæis institui antiquis terræ sanctæ habitatoribus, cum quibus in hoc capite Israëlitæ comparantur.

Hyperbole. Chananæorum scelera.

Deos æstimantes. Græcè, *Deos existimantes quæ in animalibus inimicorum vilia.* hoc est, viles quasdam animantes, etiam apud hostes suos infames, Deos putauerunt. Nam gentes, quæ incolebant terram Chanaan, finitimarum gentium viles deos, ex infamibus animantibus constitutos, etiamsi hostes essent, deos putauerunt. Ita Beelzebub muscarum Deum coluerunt, crocodilos, cynocephalos, feles, & ceteros Ægyptiorum Deos.

Chananæi vilium animaliũ cultores.

Infantium. Græcè, *infantium more stultorum decepti*, seu *ludificati.*

hoc

hoc est, in modum stolidorum puerorum: nam vilissima quæque animalia admirabantur, & obseruabant quasi numina.

Propter hoc. Quoniam puerorum more gentes peccauerant, tam friuolas res, vt Deos venerantes, tanquam imprudentibus pueris, ridiculis pœnis, & planè puerilibus illusisti, dum grauiter eas punisti per res leniculas; vespas, crabrones, & huiusmodi, ad earum derisionem, ac ludibrium. Nónne satis leuiculè ad septem circuitus vrbis Iericho, Iosuæ 6.15. & ad clágores buccinarum, & voces populi, muri vrbis funditùs ceciderunt; & propterea valde mirabiliter? Quid vrbs Hai? nónne puerilibus capta est insidiis, & clypeo à Iosue in altum sublato? Iosue 8.19. Nónne & Gedeon Iudic. 7.19. trecentis cum viris tubas personantibus, & lampadibus splendentibus post confractas lagenas, exercitum fudit Madiam? Nec opus est cetera huiusmodi referre, multa quidem, & admiranda. 28.

Tanquam pueri rebus puerilibus puniti.

Iericho ruina.

Hai vrbis.

Madianitarum fuga.

Qui autem. Græcè, *illi autem ludibriis increpationis non correcti dignum Dei iudicium experientur.* Futurum positum est pro præterito, Hebræo more: siquidem Sapiens antiquam refert historiam; illi enim prisci habitatores Chanaan, cùm admirandis modis increpati, & probrosis ipsis ludificationibus admoniti, nollent subijci populo Dei, vsque ad internecionem tandem, Dei iudicio atque sententia, interiniebantur, vt satis ostenditur in libro Iosue. 29.

Chananæorum interitus.

In quibus. Clariùs Vatablus: nam iis ipsis rebus, quas passi sunt (incolæ scilicet terræ Chanaan) indignabundi, cùm propter eos, quos deos existimabant, punirentur, quem olim se nosse negabant, sentientes, verum esse Deum perceperunt. 30.

Propter. hoc est, Propterea quòd Deo agnito superbè restiterunt, in extremam damnationem delapsi sunt; qua tandem omnes illæ gentes, vsque ad internecionem percussæ periêre, vel è terra expulsæ sunt aut si subiectæ Israëlitis manserunt, tributa penderunt.



SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT XIII.

VETVS.

1. *Vani autem sunt*
sensus hominis,
in quibus non
subest sciētia Dei:
& de his quæ videntur bona,
non potuerunt intelligere eum,
qui est, neque operibus atten-
dentes agnouerunt quis esset
artifex:

2. *Sed aut ignem, aut spiri-*
tum, aut citatum aërem, aut gy-
rum stellarum, aut nimiam
aquam, aut Solem & Lunam,
rectores orbis terrarum deos
putauerunt.

Quorum si 3. *specie delecta-*
ti, deos putauerūt; sciant quantò
his dominator eorum speciosior
est: speciei enim generator hæc
omnia constituit.

4. *Aut si virtutem, & opera*
eorum mirati sunt, intelligant
ab

NOVA.

Etenim vani sunt omnes homines natura, quibus adest Dei ignorantia, & ex his, quæ videntur, bonis, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnouerunt artificem:

Sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut circulum astrorum, aut violentam aquam, aut lumina cœli, & gubernatores mundi deos esse putauerunt.

Quorum si quidem pulchritudine delectati deos putauerunt, sciant quantò his Dominus est melior: nam pulchritudinis generandæ auctor creauit ea.

Sin potentiam, atque efficaciam sunt admirati, ex eisdem

ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis:

5. *A magnitudine enim speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.*

6. *Sed tamen adhuc in his minor est querela: & hi enim fortasse errant, Deum quærentes, & volentes inuenire.*

7. *Etenim cùm in operibus illius conuersentur, inquirunt: & persuasum habent quoniam bona sunt quæ videntur.*

8. *Iterum autem nec his debet ignosci.*

9. *Si enim tantùm potuerunt scire, vt possent æstimare seculum: quomodo huius Dominum non faciliùs inuenerunt?*

10. *Infelices autem sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellauerunt Deos opera manuum hominum, aurum, & argentum, artis inuentionem, & similitudines animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ.*

11. *Aut si quis artifex faber de sylua lignum rectum secuerit, & huius doctè eradat omnem corticẽ, & arte sua vsus, diligenter fabricet vas vtile in* *conuer*

eisdẽ animaduertere, quantò est potentior is, qui ea effecit.

Nam ex magnitudine pulchritudinis, ac creaturarum proportione conditor horum conspicitur.

Sed tamen in his reprehensio parua est: etenim ipsi forsitan errant, Deum quærentes, ac volentes inuenire.

Nam in operibus eius versantes perscrutantur, & credunt visui, quoniam pulchra sunt quæ videntur.

Rursus autem neque ipsi sunt venia digni.

Si enim tantam vim intelligendi habuerũt, vt possent coniectura mundum comprehendere, quomodo horum Dominum non potiùs inuenerunt?

Infelices autẽ, & in mortuis spes ipsorum, qui manuum humanarum opera, aurum, & argentum, artis meditationem, atque simulachra animalium, aut lapidem, inutile manus opus antiquæ, deos appellarunt.

Si autem quis cæsor materiæ, cùm arborem accommodatam secuerit, circumrasit scienter omnem corticem eius, & arte adhibita,

 decorè

conuersationem vitae;

12. *Reliquiis autem eius operis, ad praeparationem escae abutatur:*

13. *Et reliquum horum, quod ad nullos vsus facit, lignum curuum, & vorticibus plenum, sculpat diligenter per vacuitatem suam, & per scientiam suae artis figuret illud, & assimilet illud imagini hominis,*

14. *Aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniēs rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam, quae in illo est, perliniens.*

15. *Et faciat ei dignam habitationem, & in pariete ponens illud, & confirmans ferro,*

16. *Ne forsè cadat, prospiciens illi, sciens quoniam non potest adiuuare se: imago enim est, & opus est illi adiutorium.*

17. *Et de substantia sua, & de filiis suis, & de nuptiis votum faciens, inquirit. Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est:*

Et pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vita rogat mortuum, & in adiutorium. 18. *inutilem inuocat:*

decorè parauit vas vtile in ministerium vitae,

Reiectamenta verò operis, cùm in praeparationem escae consumpsit, expletus est:

Quod autem ex illis reiectum ad nihil vtile, lignum incuruum, ac ramis nodosum accepit; sculpsit in diligentia otij sui, & peritia intelligentiae figurauit illud, & similauit illud imagini hominis.

Aut animali alicui vili simile effecit illud, deliniens minio, & fuco rubrum faciens colorem eius, & omnem, quae in eo erat, maculam perliniens.

Et facta ei ipso digna aedicula, in pariete posuit illud, stabiliens ferro.

Itaque ne decideret, prouidit ei, sciens illud non posse sibi opitulari: est enim imago, & opus habet auxilio.

Ac pro possessionibus, & nuptiis suis, & liberis orans, non veretur inanimum alloqui.

Et pro valetudine quidem infirmum inuocat, pro vita autem mortuum rogat, pro auxilio verò inexpertissimo supplicat.

19. *Et pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest: & de acquirendo, & de operando, & de omnium rerum euentu, petit ab eo, qui in omnibus est inutilis.*	Pro itinere autem suscipiendo, quod ne gressu quidem vti potest (ei supplicat) pro quæstu autem, & opere, & manuum successu ab ignauissimo manibus vim postulat.

ARGVMENTVM.

Occasione accepta ex suppliciis, quibus propter idololatriam affectos fuisse Chananæos dictum est, in eorum inuehitur insaniam, qui vanos deos vel primi coluerunt, vel huius sceleris inuentores imitati sunt; quorum duo recensentur genera, vnum eorum qui admirati pulchritudinem, aut magnitudinem, aut vtilitatem rerum, quarum Deus opifex est, diuinitatem illis tribuerunt: alterum eorum, qui operibus artificiosè factis, ex argento, auro, aut quauis alia materia, eandem præstiterunt.

COMMENTARIVS.

VAni autem. In Græco est, μὲν γὰρ, quam particulam sunt qui vertant, *siquidem*, sunt qui, *etenim*, alij *enim*, quòd hîc reddatur causa, cur Chananæi in tot scelera deuoluti, tam grauibus suppliciis plexi fuerint. Ait ergo, *vani siquidem erant omnes homines natura.* 1.

Hominis. In Græco hîc subiicitur φύσει, *natura.* hoc est, reuera vani erant omnes homines, vel indole, & propensione, vel natura peccato infecta, peccatique legi subiecta.

In quibus. Græcè, *quibus aderat Dei ignoratio*, hoc est, qui versabantur in Dei ignoratione.

Et de his. Græcè, *& ex his, quæ videntur, bonis.* In aliquibus Græcis codicibus desideratur coniunctio καὶ, &. Non autem loquitur de bonis apparentibus, quæ talia videntur, cùm non sint, sed de bonis veris visibilibus, de quibus dixit Paulus ad Roma. 1. 20. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.*

Cùm qui est. τὸν ὄντα, ens quod semper est, ortumque non habet, vt vocat Plato, qui in Timæo, fuit, & erit, sempiternæ attribui essentiæ non debent, cui tantummodò congruit, est, vnde Exod. 3. 14. à septuaginta vocatur ὁ ὢν, qui est. Thales Milesius interrogatus quid esset Deus, respondisse fertur, quod semper est. Refert Plutarchus in quo- Plato. Dei descriptio. Thales Milesius. Plutarchus.

Salutatio. dam opusculo, à viris sapientibus in foribus templi Apollinis Delphici hanc vocem adscriptam, εἶ, Tu es, qua ingredientes Deum salutabant, ipsum verum esse confitentes. Et Deus ipse Mosi illo in loco, *Ego sum qui sum*, dixit, *& qui est, misit me ad vos.* Quod nomen respondet nomini Tetragrammato, de quo aliàs sæpe. Inuehitur autem in primis Sapiens in illud genus idololatriæ, quo colebantur res inanimes à Deo creatæ, vt Sol, Luna, stellæ, & elementa.

In idololatriam animalium.

2. *Sed aut ignem.* Vulcanum nominabant in sua mystica philosophia philosophi, vt spiritum puriorem, & æthereum Iouem, citatū aërem, Iunonem, gyrum, seu circulum stellarum, quarum plerisque deorum nomina sunt tributa. *aut nimiam.* Græcè, vehementem aquam Tethim appellabant; aut lumina cœli, quæ Vulgatus explicuit, Solem, quem Apollinem, seu Phœbum, & Lunam, quam Dianam, seu Phœben nominabant. His nominibus vocabant Gentiles creaturas Dei, non sine documento: nam propterea Petrus 2. sua epistola, cap. 1. 16. *doctas fabulas* appellauit, quòd sub illis inuolucris aliquid præferrent doctrinæ ad naturam, vel mores pertinentis.

Dij gentiū.

Sub nominibus deorum doctrina tecta.

Rectores. Deos mundi gubernatores putauerunt, tribuentes eis potentiam, prouidentiam, & diuinitatis honorem, Dei proprium.

3. *Specie.* Hoc nomine pro pulchritudine solet vti Vulgatus: nam Græcè est καλλονή.

Sciant. Hoc verbum resolui potest, in, *scire debuerunt*, aut *potuerunt.* Pronomen autem τούτων, referri potest vel ad nomen comparatiuum, *melior*, & ita verti, *quantò his melior*, aut *speciosior est*; vel ad nomen, *Dominus*; & dicendum erit. Quantò horum Dominus melior est.

Specie decepti deos coluêre.

Speciosior. Græcè, *melior.* Cyprianus lib. 3. Testimoniorum ad Quirinum, cap. 59. legit, *preciosior*, conformiùs Græco.

Cyprianus.

Speciei. Græcè, *nam pulchritudinis genesiarcha creauit ea.* Genesiarcha fons est, & prima origo, auctor, aut princeps pulchritudinis generandæ.

Deus genesiarcha pulchritudinis.

4. *Aut si.* Ex collatione facultatum creaturarum, & earum operatione debuêre colligere infinitam Dei potentiam, & opera. Cyprianus aliquantò differentiùs legit lib. de exhortatione Martyrum, cap. 1. & lib. 3. ad Quirinum, cap. 59. inquiens: Aut si virtutes, & opera eorum mirati sunt, intelligant ab ipsis, quoniam qui hæc constituit fortia, fortior est illis.

Cyprianus.

Dei excellentia è creatis colligitur.

5. *A magnitudine.* Aliter habent Græca: ex magnitudine enim pulchritudinis, & creaturarum analogicè conditor horum conspicitur. Complutensis codex, & Regius legunt, *ex magnitudine enim*, *& pulchritudine*, *& creaturis.* In Chrysostomo homil. 4. in Genesim sic habetur: *Ex magnitudine, & pulchritudine creaturarum vniuersi conditor decenter consideratur.* Et nō dissimiliter Gregorius lib. 16. Moral. cap. 8.

Chrysostomus.

Gregorius.

Per magnitudinem enim, ait, creaturæ,& speciem potest intelligibiliter creator videri.

Cognoscibiliter. ἀναλόγως, analogicè, proportione, seu collatione pulchritudinis, & creaturarum cum Deo: argumentando, seu ratiocinando à minori ad maius, vel ab effectis ad causam; qui est modus homini concessus Deum intelligendi, & contemplandi decens, propterea Vulgatus dixit, *cognoscibiliter*, Gregorius, *intelligibiliter*, & apud Chrysostomum, *decenter*, translatum est, quòd hoc modo hominem Deum cognoscere magis deceat. Deus ex rerum pulchritudine cognoscitur.

Sed tamen. Adhuc, non est in Græco. Verbum autem, *est*, sumitur per concessionem pro, *sit*. Sed tamen in his parua sit reprehensio. Nam videtur quædam forma concessionis, qua hanc philosophorum culpam extenuat, vt aliam inferat, quasi dicat: Verumtamen in his paruam hi reprehensionem mereantur, vel, fortasse minorem hi reprehensionem mereantur: nempe si cum sequentibus conferantur. 6. Philosophorum tolerandus error.

Et hi enim. hoc est, Nam etsi errant, studio inuestigandi, & assequendi Deum fortasse errant, & idcircò eorum error tolerabilior est.

Etenim. hoc est, Nam in operibus eius inquirendis occupati, oculis obsequuntur, ostendentibus quoniam pulchra sunt quæ videntur. & hæc est causa, cur licèt errauerint, sint aliquantò venia digni. 7.

Iterum. Græcè, *Rursum autem neque ipsi venia digni.* hoc est, sed nec hac quidem excusatione studij, summæque voluntatis veniam merentur. 8.

Si enim tantùm potuerunt scire. Valere legit Augustinus lib. 5. de Genes. cap. 16. vt possent coniectura consequi sæculum, aut contemplatione assequi naturam huius mundi, horum Dominum quomodo citiùs non inuenerunt? hoc est, Nam si tantùm labore, & industria proficere potuerunt, vt mundum, & res, quæ complexu eius continentur, peruestigarent, quomodo conditorem omnium rerum non inuenerunt? cùm, vt diuinus ait Dionysius in epistola ad Titum, ipsa mundi fabrica diuinarum rerum, quæ non videntur, sit integumentum, quemadmodum dicit Paulus: & vera est ratio. Sic ille referens epistolam ad Romanos, c. 1. 19. vbi similiter philosophi accusantur vt ingrati. 9. Augustinus. Philosophi ingrati Deo. Dionysius.

Infelices autem. id est, multò miserius est, & infelicius alterum genus hominum, qui colunt idola inanima, ex auro, argento, aliáve materia, humano artificio fabricata: nam priores illi colebant opera Dei, hi verò opera hominum. 10. Cultores operum hominum miseri.

Et in mortuis spes ipsorum. hoc est, spes illorũ mortuis est annumeranda: mortua enim est: nã planè sunt desperati, & nulla reliqua est de eorum salute spes. Alij explicant, *in mortuis rebus spem habentes sunt*, in idolis scilicet, mutis, & surdis, omni motu sensúque carẽtibus. *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes, qui confidũt in eis*, vt canitur in Psal. 113. Spes illorũ mortua.

Artis

Artis inuentionem. Seu meditationem,hoc est, opus summa arte excogitatum, & elaboratum, vt vocat Paulus Actuum.17.29. *Sculpturam artis,& cogitationis hominis,* id est, effigiem ab homine artificiose excogitatam,& expressam.

11. *Aut si quis.* Græcè, Si autem & quis lignarius faber rectam arborem cùm secuerit, circumrasit scitè omnem corticem eius, & arte vsus decorè præparauit vtile vas in ministerium vitæ.hoc est, Si quis materiæ cæsor, faberve lignarius eximiam aliquam arborem cædens, doctè amputauit circumquaque corticem eius,& arte adhibita politè parauit vas vtile in ministerium vitæ: plerumque enim accidit, vt peritus aliquis artifex in sylua eximiam aliquam arborem, vt cedrum, aut abietem, præcidat, & ex eius præcipua parte faciat aliquid ad suum vsum,vt arcam,aut scrinium.

Faber lignarius. *Artifex faber.* ὑλοτόμος τέκτων, cædens materiam, aut cæsor materiæ,faber materiarius, vel lignarius. Ita vocatur, qui parat materiam ad opus aliquod.

Lignum rectum. εὔτμητον φυτὸν, *erectam*, vel, *eximiam arborem*, legit Complutensis, & Regius codex, & hanc lectionem secutus est Vulgatus. Alij legunt, εὔτυκτον φυτὸν parabilem arborem, aptam, accommodatam, hoc est,factu facilem,tractabilem,quæ manu,& arte elaborari possit. Vaticana editio legit εὐκίνητον φυτὸν, bene mobile lignum,aut arborem.

In conuersationem. in ministerium vitæ;quod Paulus 2.ad Timoth. 2.21.dixit, *Vas vtile domino ad omne opus bonum paratum.*

12. *Reliquiis.* Græcè, *Reiectamenta verò operis in præparationem escæ expendens, satiatus est.* Exaggerat vilitatem materiæ idolorum; Siquidem ex eodem ligno conficitur idolum,ex cuius ramentis, seu ramis cibus coquitur,quo recreetur,& saturetur.

Ad præparationem. εἰς ἑτοιμασίαν, in ignem, quo cibus coquitur, aut paratur: nam igne è ramis accenso cibum parat. Quod præterit Vulgatus, *satiatus*, seu *expletus est*, in omnibus Græcis codicibus reperitur,sed sensui non multùm obest,quòd desideretur.

Exprobrat idololatris artis opus.

13. *Et reliquum.* hoc est, & sumens illud lignum, quod reiectum est, nulli vsui aptum,quòd curuũ sit,& nodosum,summa cura, ac diligentia, quam otio abundans adhibere potuit,& summa artis experientia formauit illud figura hominis.

Vorticibus plenum. ὄζοις συμπεφυκὸς, compressum ramis, nodosum, cum nodis natum, vel natura nodosum. Nodos autem Vulgatus vortices vocat, quòd in seipsos vertantur, & contorqueantur.

14. *Aut alicui.* hoc est, in eo ligni trunco alicuius vilis animalis effinxit simulacrum, quod minio fucóque deliniens, rubrum facit eius colorem,omni,quæ in eo erat macula,obducta.

15. Et

Et faciat. hoc est, & facello illi extructo pro eius dignitate, posuit in pariete ferro firmatum ne cadat. 15.

Ne forte. Imago enim in becilla cùm sit, ope indiget. Irrisione idola prosequitur eadem, qua Isaias cap. 44.12. 16.

Et de substantia. Græcè, *Pro possessionibus autem & nuptijs suis, & liberis orans. Inquirit*, non est in Græco. 17.

Idololatriæ origo. Irridet illa.

Votum faciens. προσευχόμενος, *orans*, vertunt ferè omnes, est, *& votum nuncupans*, *non veretur*, seu *erubescit inanimum alloqui:* nam sic connectenda hæc sententia, remoto è medio verbo *inquirit*, quamuis sensui non obsit. Votum, inquit, faciens, inquirit de suis bonis, nuptiis, & filiis & non erubescit alloqui inanimum.

Inutilem. τὸ ἀπειρότατον, *ignauissimum*, vel, *inexpertissimum supplicat.* Vatabli lectio vertit, *inopem*; at nomen eum significat, qui nulla experientia, & vsu rerum præditus sit, quòd nihil intelligat, sentiat, animaduertat: huiusmodi enim, qui nihil sunt experti, nequaquam affici possunt aliorum incommodis; sicut Paulus ad Hebræ. 2.18. Christum dicit *Tentatum per omnia*, vt nostras expertus infirmitates, nostris miseriis condolesceret. Et Dido Virgiliana ait, 18.

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Et pro itinere. Petit, addidit Vulgatus, quod subintelligebatur. Pro profectione, inquit, suscipienda, supplicat ei, qui ne gressu quidem vti potest, cùm nullum habeat motum, aut vim ambulandi; quia, vt dicitur in Psalm. 115.7. *Pedes habent, & non ambulabunt.* 19.

De acquirendo. Plutum, & Pecuniam notat Deos, & lucrios. De operando Mercurios.

De omnium rerum euentu. Et manuum successu, ab ignauissimo manibus εὐεργέτειν vim, facultatem, efficacitatem, aut gnauitatem postulat, vt benè succedat opus.

Prosecutus est hoc argumentum eisdem penè rationibus, ac sententiis Dauid in Psalmo 113. Isaias cap. 44. v. 11. Ieremias cap. 10. & in exemplari epistolæ, quæ continetur cap. 6 Baruch, venustissimè, & copiosissimè, & Ioannes in Apocalypsi cap. 9. Contra idololatriam inuectores sacri.



SAPIENTIÆ SALOMONIS
CAPVT XIV.

VETVS.

1. ITerum alius naui-
gare cogitans, &
per feros fluctus
iter facere incipiens, ligno por-
tante se, fragilius lignum in-
uocat.
2. Illud enim cupiditas ac-
quirendi excogitauit, & arti-
fex sapientia fabricauit sua.

3. Tua autem Pater, prouiden-
tia gubernat: quoniam dedisti
& in mari viam, & inter flu-
ctus semitam firmissimam.
Ostendens quoniam potens
es 4. ex omnibus saluare,
etiam si sine arte aliquis adeat
mare.
5. Sed vt non essent vacua
Sapientiæ tuæ opera: propter
hoc etiam & exiguo ligno cre-
dunt homines animas suas, &
transeuntes mare per ratem li-
berati sunt.
Sed & ab initio cùm peri-
rent

NOVA.

RVrsus quis ad nauigandum se comparans, & feros pertransiturus fluctus, nauigio ipsum portante putrius lignum inclamat.

Nam illud quidem lucrorum cupiditas excogitauit, artifex autem Sapientia confecit.

Tua verò, Pater, gubernat prouidentia, quoniam dedisti & in mari viam, & in fluctibus iter tutum.

Ostendens quòd ex omni seruare potes, etiã si sine arte quis ascenderit.

Neque tamen vis opera sapientiæ tuæ esse otiosa: propterea minimo etiam ligno credunt homines animas. & cùm transissent tempestatem, rate seruati sunt.

Nam & initio cùm superbi

rent superbi gigantes, 6. spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit sæculo semen natiuitatis, quæ manu tua erat gubernata.

7. *Benedictum est enim lignum, per quod fit iustitia.*

8. *Per manus autem quod fit idolum, maledictum est & ipsum, & qui fecit illud: quia ille quidem operatus est: illud autem cùm esset fragile, Deus cognominatus est.*

9. *Similiter autem odio sunt Deo impius, & impietas eius.*

Etenim quod factum est, cum illo, qui fecit, 10. tormenta patietur.

11. *Propter hoc & in idolis nationum non erit respectus: quoniam creaturæ Dei in odiũ factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.*

12. *Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum, & adinuentio illorum corruptio vitæ est.*

13. *Neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum.*

14. *Superuacuitas enim hominum hæc adinuenit in orbem terrarum: & ideo breuis illorum finis est inuentus.*

Acerbo

perbi perirent gigãtes, spes mundi cùm ad ratem confugisset, reliquit sæculo semem generationis, tua gubernata manu.

Benedictũ enim lignum, per quod fit iustitia.

Ac manufactum, maledictũ ipsum, & qui fecit illud: quoniam hic quidem effecit; illud verò Deus nominatus est, cùm esset obnoxium corruptioni.

Nam ex æquo inuisi sunt Deo impius, eiusque impietas.

Etenim quod factum est, cum eo, qui fecit, punietur.

Quamobrem in simulachra etiam gẽtium visitatio erit, quoniam in creatura Dei in abominationem facta sunt, & in scandala animabus hominum, & in laqueum pedibus insipientiũ.

Initium enim fornicationis excogitatio idolorum, inuentio autem eorum, corruptio vitæ.

Neque enim erant ab initio, neque in æternum erunt.

Vana enim hominum gloria introierunt in mundum, & ideo breuis eorum finis excogitatus est.

Acerbo

15. Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra, & sacrificia.

16. Deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.

Et hos, quos in palam homines honorare non poterant propter hoc, quòd longè essent 17 è longinquo figura eorum allata, euidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt, vt illum, qui aberat, tanquam præsentem colerent sua solicitudine.

18. Prouexit autem ad horum culturam, & hos, qui ignorabant, artificis eximia diligentia.

Ille enim volens placere illi, qui se assumpsit, elaborauit arte sua, vt similitudinem 19. in melius figuraret.

Multitudo autem hominum 20. abducta per speciem operis, eum, qui ante tempus, tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deum æstimauerunt.

21. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio:

Acerbo enim luctu afflictus pater, citò abrepti filij imagine facta, tunc mortuũ hominem, nunc vt Deum honorauit, & tradidit subditis mysteria, & sacrificia.

Deinde in tempore confirmata impia consuetudo, tanquam lex custodita est; & tyrannorum mãdatis colebantur simulachra.

Et quos in conspectu nõ poterant honorare homines, eo quòd longè habitarent, eorum aspectum longè remotum cùm figurassent, claram imaginem honorati regis fecerunt, vt absenti tanquam præsenti assentarentur per studium.

Ad intentionem autem cultus etiam ignorantes artificis adhortata est ambitio.

Nam hic quidem fortasse dominãti volẽs placere, elaborauit arte similitudinem, quàm pulcherrimè potuit.

Vulgus autem attractum per venustatẽ operis, eum, qui paulò antè homo honoratus fuerat, nunc vt numen habuit.

Et hoc fuit vitę in insidias

deceptio: quoniam aut affectui, aut regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.

22. *Et non sufficerat errasse eos circa Dei scientiam, sed & in magno viuentes inscientiæ bello, tot, & tam magna mala pacem appellant.*

Aut enim 23. *filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut* 24. *insaniæ plenas vigilias habentes.*

Neque vitam, neque nuptias mundas iam custodiunt, sed alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contristat:

25. *Et omnia commista sunt, sanguis, homicidiū, furtum, & fictio, corruptio, & infidelitas, turbatio, & periurium, tumultus bonorum,*

26. *Dei immemoratio, animarum inquinatio, natiuitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ & impudicitiæ.*

27. *Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, & initium, & finis.*

Aut enim dum lætantur insaniunt:

dias, quoniam aut calamitate, aut tyrannide in seruitutem redacti homines, nomē non cōmunicabile lapidibus, ac lignis imposuerūt.

Deinde non sufficerat errasse circa Dei cognitionem, sed etiam in maximo ignorantiæ bello viuentes, hæc tot, ac tanta mala pacem appellant.

Aut enim sacrificia, quibus liberos occidunt, aut secreta mysteria, aut insanas ex aliis ritibus comessationes agitantes,

Neque vitam iam, neque coniugia conseruant pura, sed alter alterum aut insidiãs occidit, aut adulterans tristitia afficit.

Omnes autem promiscuè habet sanguis, & cædes, furtum ac fraus, corruptela, infidelitas, turbulenti motus, periurium, tumultus bonorum.

Gratiæ obliuio, animarum inquinatio, generationis immutatio, nuptiarum inordinatio, adulterium, & impudicitia.

Innominatorum enim simulachrorū cultus, omnis mali origo, & causa, & finis est.

Aut enim (eorum culto-

saniant: aut certè vaticinantur falsa, aut viuunt iniustè, 28. *aut peierant citò.*

Dum enim confidunt in idolis, quæ sine anima sunt malè iurantes 29. *noceri se non sperant.*

30. *Vtraque ergo illis euenient dignè, quoniam malè senserunt de Deo, attendentes idolis, & iurauerunt iniustè, in dolo contemnentes iustitiam.*

Non enim 31. *iuratorum virtus, sed peccantium pœna perambulat semper iniustorum prauaricationem.*

res) dum lætantur, insaniũt, aut falsa vaticinantur, aut viuunt iniustè, aut facilè peierant.

Inanimatis enim confidentes idolis, cùm malè iurauerint, se læsum iri non expectant.

Vtraque verò ipsos complectentur iusta (supplicia) quòd & attendentes idolis malè de Deo senserunt, & quòd spreta sanctitate iniustè per dolum iurauerunt.

Non enim eorum, qui iurantur potentia, sed peccantium vltio exequitur semper iniustorum transgressionem.

ARGVMENTVM.

Prosequitur inuectiuam in idola ex ligno confecta, quibus nauigantes se commendant, cùm nauis inuentio, & gubernatio Dei opus sit. Inuehitur deinde in idola homines referentia, eorúmque initium describit, innumeráque mala, quæ in mundum inuexerunt, & pœnam, qua idololatra essent puniendi.

COMMENTARIVS.

1. I*Terum.* hoc est, Rursus alius nauigationem suscipiens, mare procellosum, sæuum, ac periculosum decursurus magno clamore inuocat simulachrũ ligneum, vitiosius, ac corruptius eo nauigio, quo ipse per mare deportatur. *Ligno portante se* dixit, cùm Græcè legatur, πλοίῳ, *naui*, vel, *nauigio portante se*, posita materia pro naue ex ea confecta, vt comparatio fieret manifestior ligni cum ligno.

2. Nauigandi ars præfertur idolis. *Illud.* Quæstus, inquit, homines excitauit, vt illud nauigium sibi compararent, quo sua maritima negotia obire possent, sed artifex perita Sapientia, artisque magistra id effecit. Docet nauigium plurimùm

ido

idolis excellere,& pluris illis æstimandum esse,tum ab eius auctore: siquidem homo lucri gratia,& nauigandi excogitauit, vnde magnam sibi vtilitatem decerperet:ars autem peritorum confecit.

Tua autem. Tum quòd Dei summi prouidentia gubernat; quod valde extollit artem nauigandi,contrà ac accidit idolo, cùm in mediis fluctibus iter tutum parauerit Israëlitis. Licèt autem expositores hîc sermonem fieri putent de transitu maris rubri, per quod Israëlitæ pedibus iter fecerunt:sunt tamen qui hunc locum intelligant de via ostensa per mare hominibus,qua naui conscensa tutò per medios fluctus transigant.Verùm prior intelligentia verior:argumentatur enim à maiori ad minus : qui sine nauibus per mare rubrum aperuit iter Israëlitis,poterit etiam cum nauibus incolumes homines seruare,& in quæuis loca perducere. De nauium inuentore multi varia scripsère, Neptunum , Cretenses primum artem nauigandi inuenisse putarunt. Mineruam primam nauim molitam fuisse dixit Tertullia. in lib. de corona militis,cap.8. Athlantem in Africa Clemens Alexand. lib. 1. Stromat.Phœnicas Pomponius Mela.Longa naui Iasonem primum nauigasse scripsit Plinius lib. 6.Histor.naturalis, cap. 26. alij alios eius artis primos inuentores retulerunt.Sed nemo priùs Noë,qui Dei iussu ingentem nauem, ad similitudinem arcæ fabricauit, in qua humani satores generis, paucos illos quidem ab communi eluuione conseruauit,Genesis 6.Non est tamen negandum,diuersis in locis, negotiationis causâ,vt Sapiens hîc dicit, diuersos fuisse inuentores artis nauigandi. 3.

Deus iter præbuit per mare Israëli.

Nauium inuentores.

Noë nauis inuentor primus.

*Ex omnibus.*Græcè,*ex omni seruare*,nempe ex omni loco periculoso,vt ex mari,vel ex omni periculo:vel ex omni, hoc est,omni modo seruare,sine naui arte confecta,siue sine naui:nam subditur, etiam, si sine arte quis ascenderit,vel ingressus sit, supple, mare, vt contigit filiis Israël absque artis adminiculo,sola nixis Dei prouidentia. 4.

Sed vt. Iocunda in hac sententia continetur allusio, dum dicitur. vis autem non ἀργὰ otiosa esse, sapientiæ tuæ ἔργα opera. Quanuis possis,inquit,sine naui seruare, aut eripere è maris periculis, nihilominus vis opera tuæ sapientiæ non esse otiosa,hoc est,vis exportari res tua sapientia apud aliquam gentem factas in aliam eis indigentem,ne dum ibi delitescunt otiosa sint,& inutilia tuæ sapientiæ opera:ita quidam hunc locum intelligunt.Alij veriùs,& iis,quæ subiiciuntur conformiùs explicant de arte nauigandi,& naues conficiendi,in qua maximè elucet diuina sapientia. Voluisti hoc fieri per nauigationem, ne opera tua essent otiosa,hominésque inertiâ languerent,sed potiùs laborarent,& industriam adhiberent in fabricandis nauibus,& scientia nauigandi,& syderum obseruatione. 5.

Nauigandi vsus.

*Propter hoc.*Propterea vitam,ac salutem suam exiguo homines nauigio committunt,& tam paruo vase:quantum est σχεδία ex tam vasto, pro

procelloso, ac periculoso mari incolumes euadunt. quod ostendit vim Sapientiæ diuinæ. σχεδία genus est nauigij inconditum, trabibus tantùm inter se connexis ratem appellant. Nam ante nauem conditam, ratibus, & paruis quibusdam actuariis nauigare solitos antiquos, scribit Diodorus.

Ratū vsus.

6. *Spes orbis.* Spes mundi fuit Noë, in quo totius mundi instaurandi spes sita erat: nam in arca seruatus, & Dei manu gubernatus, semen pereunti mundo reliquit: nempe tres filios cum eorum vxoribus, qui salui facti sunt in rate ex aquis, omnibus aliis pereuntibus, quemadmodum per Baptismum fideles seruantur Deo per aquam omnibus peccatis summersis, vt dixit Petrus in 1. sua canonica, cap. 3. 20.

Noë spes mundi seruatus.

Baptismus instat arcæ.

7. *Benedictum lignum.* De patibulo aliqui intelligunt, in quo iustè plectuntur rei. Alij de naui in vniuersum, quæ huic vsui deseruit, vt exerceatur iustitia in mercimoniis; cùm idolum nec hanc apportet vtilitatem. Veriùs alij de arca Noë exponunt, in qua iustus Noë cum sua familia iuxta legem iustitiæ seruatus est, impiis iustè pereuntibus, vnde ait, benedicta nauis, aut arca ex ligno confecta, in qua iustitia exercita est secundùm quam iustus seruatus est; & impij iustè ex ea profligati perierūt, cùm ligneum idolum neminem liberauerit, nec seruare potuerit; vnde nauis in multis præstat idolo. Ambrosius in Psal. 118. sermo. 8. videtur legisse, *Benedictum lignum, quod fit per iustitiam*; quamuis in commentariis Vulgati lectionem sequi videatur: explicátque de cruce Christi, per quem iustitiam obtinuimus, & vitam, peccatis cum ceteris humani generis inimicis profligatis, & destructis. sed mysticè hunc sensum prosecutus est.

Arca Noë iustum seruauit, idolū nullum.

Ambrosius.

Crux Christi iustè seruat.

8. *Per manus.* Græcè, *at manufactum.* Sic per contemptum vocat idolum. Ambrosius legit, *maledictum autem lignum quod fit per manum hominum.* Igitur, manufactum maledictum ipsum, & qui fecit illud.

Quia. Reddit rationem cur tam manufactū sit execrandum, quàm eius effector; quia illud cùm sit obnoxium corruptioni, & periturum, nominatur Deus qui incorruptibilis est, & æternus; hic autem, quia effecit manu sua, & manu sua factum, qua posset etiam destruere, nominauit Deum.

Opus, & factor eius execrandi.

9. *Similiter autem.* Græci codices communiter, & Vaticanus habent, γὰρ, hoc est, *ex æquo enim*, vel, *nam ex æquo*, aut similiter inuisa sunt Deo impius, & impietas eius. Codices Complutensis, & Regius particula rationali carent, & legunt. *similiter*, vel *æquè odiosa sunt Deo.* Redditur ratio eius, quod fuerat dictum, maledictum esse manufactum, & qui fecit illud, quia videlicet æquè Deo inuisa sunt impius, & impietas eius: si enim impius, quia impius, Deo inuisus est, ergo impietas eius inuisa est: ac proinde pari odio dignus cum sua impietate.

Impius, & impietas inuisa Deo.

10. *Tormenta patietur.* Græcè, *punietur*, vtrumque pœnam sibi debitam

susti

fuftinebit;impius propriè perpetuis afficietur fuppliciis, idolum verò ligneum impropriè, flammis comburetur, vt cetera ligna, & fic deftruetur,nifi velis dæmonem intelligi in idolo cultum, qui perpetuò cruciandus eft,vt Lyræ videtur. Impius & idolum punietur.

*Propter hoc.*Ipfum fcelus vfurpandi nomen diuinitatis,& tribuendi idolo;& in idolis gentium non erit refpectus. Cum negatione legit Vulgatus. 11.

Non erit refpectus. quia abfque vllo refpectu vifitanda funt, & deftruenda idola;non enim vllo refpectu eximentur à vifitatione,& deftructione.vel,Nullus refpectus,nullus honor,nulla reuerentia exhibebitur idolis, Chrifti religione abolendis, & è medio tollendis. In Græco affirmanter legimus, *& in idolis nationum vifitatio erit*; vel, vt Vulgatus ait, *refpectus erit*;nam refpectum pro vifitatione folet Vulgatus vfurpare. Atque ita ait,inquirendum effe in idola nationum, vt penitus deleantur.Nam Deus in gentium idola fuum exercebit iudicium,vel ea delendo,vel animaduertendo in actiones hominum Dei creaturis abutentium. Refpectus, pro vifitatione.

Quoniam creaturæ. Græcè,quoniam in creatura Dei,videlicet,quoniam in creatura Dei bona, qualis eft aurum, argentum, lignum, & quæuis alia materia,confecta funt ab hominibus ad rem abominabilem,nempe,vt adorentur tanquam Deus, eis diuinitatem affingentibus cum Creatoris contumelia. Vulgatus dixit ad eundem fenfum, quoniam creaturæ Dei, à Deo factæ bonæ,vt aurum, argentum,lignum,odiofæ,& abominabiles Deo funt factæ,dum ex illis funt idola fabricata.

Et in tentationem. Græcè, *& in fcandala animabus*,vel, *animarum hominum*,hoc eft,quò offendant hominum animæ,& pereant.

Et in mufcipulam. Græcè, *& in laqueum pedibus infipientium*,hoc eft, ad pedes infipientium illaqueandos. Tribus nominibus vituperat fimulachra,abominationis,fcandali, & laquei:cùm enim qui rectè animo affecti funt,cum Dauide in Pfalmo 91.5. dicant, *Delectafti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* At ftulti illis abutuntur,vel ad fuperbiam,vt ambitiofi,vel ad voluptatem, vt libidinofi,vel ad fuperftitionem,vt idololatræ,vel ad fimilia fcelera, & flagitia,quæ inde oriuntur. Simulachrorum inuectiua. Abufus rerũ ad vitia.

Initium. Idololatrãdi initium ex eo fumptum eft, quòd fimulachra funt excogitata; poftquam autem inuenta funt, ftatim orta eft vitæ corruptela, dum vita pura, & integra hominum in varia diftracta flagitia,quæ in hoc capite enumerantur, corrupta eft. Nomine fornicationis,feu fcortationis, vfu Scripturæ, intelligit idololatriam: nam quamuis anima,quoties aliquo fcelere difiungitur à Deo fponfo amantiffimo fornicari, aut adulterium committere dicatur vt Pfalmo 72. 27. *Perdidifti omnes, qui fornicantur abs te*; at præcipuè hoc illis conue- 12. Idololatria, fornicatio.

Ff nit,

nit, qui idolis diuinitatem tribuunt, & cultum Deo debitum dæmonibus exhibent. Leuit. 17. *Nunquam immolabunt hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt.* Iudic. 8. 33. Auersi sunt filij Israël, & fornicati sunt in Baalim.

13. *Neque enim.* Probat initium habuisse idola, & finem habitura, cùm nec ab initio mundi fuerint, nec sint in æternum futura, ac proinde nulla eis inest diuinitas, quæ æternitatem habet coniunctam.

Idola æterna non sũt, ergo nec dij.

Quæstio de origine idololatriæ.

De idololatriæ initio, quoniam hic locus nobis præbet occasionem, breuiter nobis dicendum est, ne celebrem quæstionem indiscussam prætereamus.

Sententia prima. Irenæus. Epiphan.

Primùm igitur Irenæus in oratione parænetica ad Gentes, & Epiphanius hæresi 37. Ophitarum, & Auctor quæstionum veteris, & noui Testam. q. 83. referunt initium idololatriæ ad vocem serpentis Genes. 3. 5. *Eritis sicut dij, scientes bonum, & malum*, qua decepti primi parentes diuinitatem sibi arrogare voluerunt, vnde in idololatriæ crimen delapsi sunt.

Refutatio.

At certè nec protoparentes se vt Deos adorari voluerũt, nec simulachrum aliquod construxerũt, de quo in præsentiarum nobis sermo est, sed tantùm studiosi fuerunt sciendi, & experimentum sumendi, quidnam boni cibus vetitus contineret.

Sententia secunda. Hieronym.

Secundò Hebræorum sententia fuit, cuius meminit Hieronymus, tempore Enos filij Seth, Adæque nepotis ortam esse idololatriam, probant illis verbis Genes. 4. 26. Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos: iste cœpit inuocare nomen Domini, quæ illi legunt. Tunc prophanata est, aut pollui cœpit inuocatio nominis Domini: quia videlicet nomen Domini cœpit accommodari creaturis, & idolis.

Refutatio.

Verùm hæc Hebræi verbi acceptio reiicitur ab Hieronymo in lib. quæstio. in Genesim super illa verba, & aliis Hebræis, qui eo verbo significari dicunt, incipere, vt ex locis aliis probamus lib. 2. q. in Genes. q. 29. vnde Chaldæus, Aquila, cum ceteris Interpretibus transferunt, *Tunc cœpit inuocari nomen Domini.*

Sententia tertia.

Tertiò quibusdam videtur sub Enoch, quem Iudas in sua canonica septimum prædicat ab Adam, summopere idololatriam viguisse, in quam grauiter inuectus est: sic enim idololatras sui temporis alloquitur, vt refert Tertullianus lib. de idololatria, 4. c. iure vobis peccatores, quòd in diem sanguinis perditionis pœnitentia parata est, qui seruitis lapidibus, & qui imagines facitis aureas, & argenteas, & ligneas, & lapideas, & fictiles, & seruitis phantasmatibus, & dæmoniis, & spiritibus infamibus, & omnibus erroribus, non secundùm scientiam, nullum ab iis inuenietis auxilium. Hæc ille, & plura alia.

Tertullian.

Refutatio.

Verùm inuectiua hæc non ferit illius temporis idololatras, sed futuros prædamnat in cõminatione, vt ibi ait Tertullia. & cap. 15. Hæc igitur ab initio (inquit) præuidens Spiritus sanctus, etiam ostia in superstitionem ventura præcecinit per antiquissimum Prophetam Enoch. Imò & Apo

Apoſtolus Iudas in ſua canonica verſ. 14. *Prophetauit autem & de his,* ait, *ſeptimus ab Adam Enoch.* Itaque Scriptura Enoch Prophetias futurorum temporum continebat, non increpationes ſui temporis vitiorum. Atque in vniuerſum per primam illam mundi ætatem ab Adam vſque ad Noë, quam Barbariſmum vocant Epiphanius, & Damaſcenus, quòd nullus tunc gereret principatum, ſed vnuſquiſque ſuo arbitratu vitam traduceret: nulla fuit idololatria, vt affirmant Clemens Roman. lib. 1. Recognit. & lib. 4. ad finem. Epiphanius in præfatione librorum de hæreſibus, & in initio Panarij, & in Ancoratu, & Damaſcenus in principio libri de hæreſibus, & ceteri qui ſequenti ætate conſtituunt originem idololatriæ.

Barbariſmus. Epiphanius. Damaſcen. Nulla tunc idololatria. Clemens Rom. Epiphanius. Damaſcen.

Quartò in ſequenti ætate, à diluuio vſque ad Sarug proauum Abrahæ, per 193. annos, quam Epiphanius, & Damaſcenus vocant Scytiſmum, quòd ædificatores turris Babel diſperſi vtramque Scythiam occuparint, exortum fuiſſe genus quoddam idololatriæ, nō quidem per imagine, & ſtatuas, fatetur Clemens Roman. locis iam dictis. Nam Zoroaſter, quem Miſraim filium Cham eſſe exiſtimat, magicis, & aſtrologicis artibus induxit plebem, vt ſe ſcintillas è cœlo retrahentem admiraretur, & igni opera dæmonis conſumptum, in cœlum ſubleuatum putaret, & ſydus viuum, hoc enim ſonat Zoroaſter, nuncuparent, & adorare auſi ſunt. Deinde Nembroth, pronepos Noë, facta diuiſione linguarum, ignem ſacrum, quem Orimaſda vocabant, in Perſiam, & Chaldæam, tanquam Deum adorandum inuexit; ad imitationem ignis ſacri, qui in piorum ſacrificia ſolebat cælitùs demitti; hunc autem tanti fecêre Perſici reges, vt e quo impoſitum ſibi vellent anteferri; eiúſque cultum vſque ad Theodoſij tempora durasse refert Nicephorus lib. hiſto. 14. cap. 19.

Sententia quarta. Scytiſmus. Genus idololatriæ in Scytiſmo inuectum. Clemens Rom. Zoroaſter quis. Nembroth ignem adorandum inuexit. Ignis prælatus regibus Perſicis. Nicephor.

Quintò à diebus Sarug proaui Abrahę cœpit Helleniſmus, ſeu Græciſmus, vſque ad tempus Abrahæ, in quo idolorum cultus exortus eſt, non quidem ex lapide, & auro, ſed penicillo, coloribus, & delineamentis eos, quos honore afficere nitebantur, depingebant. Deinde Thare, pater Abrahæ, etiam per ſtatuas idololatriæ errorem induxit, primos ſuos parentes per effigies colendo, & eos qui ante ipſos vita functi erant fabricandos ex figulari primùm arte; prætęrea ſucceſſu temporis, & reliqui artifices ex lapide, ligno, argento, & auro, ſtatuas iuxta propriam artem conſtruxerunt: ita Ægyptij Babylonij, Phryges, ac Phœnices huius ſuperſtitionis primi auctores fuêre: deinde ad Gręcos tranſlata eſt, qui innumeros homines in Deorum catalogum contulerunt. Hæc ita de idololatriæ initio tanquam certiora ſint conſtituta ex Epiphanio, & Damaſceno locis iam dictis, ex Cantecuzeno in Apologia. 3. circa principiū, & ex Theophylacto in illa verba Matth. 1. *Iudas autem genuit Phares, Zoram de Thamar.* Vnde verum cenſetur quod Hieronymus affirmat in 2. caput Oleæ. Ninum, qui tempore

Sententia quinta. In Gręciſmo imaginum idololatria. Statuas inuexit Thare. Auctores idololatriæ. Epiphan. Damaſcen. Cantacuzenus. Theophyl. Hieronym.

Thare cœpit regnare,in tantam gloriam peruenisse, vt patrem suum
Belus Deus. Belum referret in Deum, qui Hebraicè dicitur Bel. Saturnum voca-
Saturnus. bant gentes,aliàs Iouem,vt putat Plinius lib. *6*. Natural. histor. c. *36*.
Plinius. & lib.37.cap.10.

14. *Superuacuitas.* κενοδοξία quidam quasi rectum accipiunt, vt Vulgatus cùm dixit, *superuacuitas*,id est,inanitas,vana gloria. Alij vt datiuum, vt Athanasius in oratione contra idola, & ceteri,qui vertunt, *vana gloria*,vel *ambitione idola ingressa sunt in mundum* : nam homines ambitiosi honorem diuinitatis appetentes , idolum in mundum in-
Ambitio idola inuexit. uexerunt. Quanuis autem ambitio prima fuerit homini causa idola effingendi, eisque sacrificandi; at inuidia diaboli, odiúmque, quo
Diaboli inuidia. Deum,hominésque prosequitur, vt scribit Tertullia. in libro de ido-
lolatria,hunc ignem accendit,& auxit.
Tertullian. *Et ideo breuis illorum finis est inuentus.* Excogitatus à Deo, vel destinatus. Athanasius legit eo loco, *& ideo compēdiaria eorum consumma-*
Idololatriæ exortæ vera religio obiecta. *tio excogitata est.* quatenus statim ac cœpit idololatria in statu illo, quem Græcismum vocarunt Epiphanius,& Damascenus, cœpit veri vnius Dei cultus in Iudaismo, in Abrahæ familia palàm ostendi, & conualescere. Itaque statim exortæ idololatriæ obstitit Deus , vero suo cultu,ac religione, per Abraham, & posteros eius instaurata, & confirmata legibus.Hic sensus verior,quàm ille qui ait inuentum ambitionis humanæ,breuiter desiisse idololatriam:nec enim breuiter desiit,quæ vsque ad Christum multis annis permansit.

15. *Acerbo.* Græcè. ἄωρω, ἄωρον dicitur in fructibus intempestiuum, ac immaturum,quod calore Solis non est coctum, sed adhuc acerbum manet;transferrur ad vitæ incommoda,& mala, & ad hominis celerem decessum,vt suprà cap.10.v. 7. Luctus ergo acerbus, seu intempestiuus dicitur,quòd filius ante tempus raptus lugeretur.

Sacra,Græcè,*mysteria*, *& sacrificia*.hoc est, cæremonias, & ritus, &
Amor charorum causa idololatriæ. quicquid ad cultum pertinet,parauit,sacrificiáque constituit. Primam causam assignat idola conficiendi,amorem inordinatum, siue parentum in filios,siue filiorum in parentes,siue aliorum charorum : quam in vniuersum assignat quoque Cyprianus initio libri de Idololatria, & Sapiens hoc loco adducit in exemplum imaginem effictam à patre, dilecti filij, cùm posset adducere effictam à filio Nino ad honorem Beli patris.

16. *Deinde.* id est, progressu temporis cùm inualesceret impia consuetudo,pro lege seruata est,& tyrannorum mandatis simulachra religioso cultu afficiebantur.

17. *E longinquo.* Græcè, *à longè conspectum figurantes*. hoc est, eorum aspectum, aut vultum longè remotum figurantes:nam ὄψιν ἀποτυπωσάμενοι, sunt qui formam, vultum, figuramque hominis absentis, ac remoti sculptura,picturáve referunt, ac exprimunt, & hoc est quod dixit

dixit Vulgatus, attulisse figuram è longinquo, & Athanasius legit, *eorum speciem imaginibus expresserunt.* Athanasius.

Sua solicitudine, Græcè, *studiosè*, vt summo studio colerent, & obseruarent, vt tanquam præsentibus hæc opera adularentur.

Prouexit. Græcè, ad extensionem, seu intentionem cultus, hoc est, 18.
ad amplificationem cultus instituti, accessit ipsius artificis ambitiosa diligentia, quæ commendatione artis imperitos homines magis allexit, atque ad hominis venerationem excitauit: vulgus enim imperitum operis venustate deceptum, diuinitatem tribuit hominibus, qui morte fuerant sublati, cuiusmodi fuêre Saturnus, Iupiter, & ceteri. Huc pertinet quod Actuum 19. 23. refertur de opificibus, qui Ephesi populum concitauerunt in Apostolum, quòd eorum quæstum impediret. Ars auxit idoli cultum.

In melius. Græcè, elaborauit arte similitudinem in pulchrius, 19.
vel ad maiorem pulchritudinem, aut venustatem. hoc est, quàm elegantissimè, ac pulcherrimè arte effinxit, in eáque omnem vim artis, ac facultatem adhibuit. hoc totum significat verbum Græcum ἐξεβιάσατο.

Abducta. ἐφελκόμενον, attracta multitudo, vel abducta; sed hæc at- 20.
tractio, abductio quædam est, vt rectè vertit Vulgatus.

Nunc Deum. σέβασμα, *numen.* est autem id, quod colimus, veneramur, adoramus honore Deo proprio; quo nomine vsus Paulus 2. ad Timoth. 2. 4. de Antichristo dixit, *Effertur aduersùs omnem, qui Deus nominatur, aut σέβασμα quod colitur.* Numen quid.

Et hæc fuit deceptio. Græcè, *& hoc fuit vita in insidias.* id est, fuit hu- 21.
manæ vitæ insidiosum, ac perniciosum. Ideo versu 8. vocatum est lignum execrandum, & maledictum: nihil enim magis homini calamitosum, quàm Deo vero despecto; creaturis numen tribuere, quæ nec studiosos virtutis præmio afficere, nec vitiis deditos supplicio poterunt. Idolum homini perniciosum.

Affectui. συμφορᾷ. *calamitati*, seu *incommodo, & tyrannidi inseruientes homines*, ne scilicet à Tyrannis opprimerentur calamitatibus, & vi seu potestate, vel quo vitarent calamitates: nam existimantes se id posse à Diis suis obtinere, eos effinxerunt; & hoc est, quod dixit Vulgatus, *aut affectui.*

Et non. Græcè, *postea*, aut *deinde.* Bellum ignorantiæ vocat: quòd 22.
tot mala ex illa concitata tanquam quidam Tyranni contra rationis arcem bellum mouerent. Bellũ ignorantiæ.

Filios suos sacrificantes. Græcè, *filiorum cædentia sacrificia*; quæ sci- 23.
licet polluebantur filiorum cæde, cùm in illis immolarentur: nam *immolabant filios suos, & filias suas dæmoniis.*

Obscura sacrificia. Græcè, *occulta mysteria.* id est, nocturna sacra Veneris, Sacra occulta.

neris, Priapi, Cybeles, ac similia, in quibus turpissima committebantur scelera in locis subterraneis, & occultis.

24. Bacchanalia. *Insaniæ plenas vigilias.* Græcè, *aut insanas ex aliis legibus, aut ritibus comessationes, seu bacchationes*; sic vocat Bacchanaliorum ritus, & cæremonias.

25. Mala idololatria inducta. *Et omnia.* πάντας *omnes*, legunt alij: nam omnes, nullo excepto, sunt iis vitiis implicati; ac contaminati; quæ sunt, fictio, quæ dolum, fraudémve significat; infidelitas, qua fides omnis violatur. Turbatio τάραχος perturbatio, motus turbulentus, qui paci, otio, ac quieti opponitur; tumultus bonorum, hoc est, bonarum rerum confusio.

26. *Dei immemoriatio.* gratiæ obliuio, χάριτος, gratiæ, seu doni obliuio, aut ingratitudo, qua beneficia obliuioni traduntur, præsertim Dei.

Natiuitatis immutatio. vel generationis. Notatur vitium contra naturam, ex quo nulla spes generationis; vel rei genitæ immutatio, dum supponitur filius adulterinus loco legitimi.

Nuptiarum inconstantia. Græcè, *nuptiarum inordinatio*, seu *connubiorum confusio*, quòd idololatræ vxores alias, aliásque pro libidine ducerent, ac commutarent.

27. Idola nec nominâda. *Infandorum.* Græcè, *innominatorum*. Infanda, seu innominata vocat idola, quæ ne nominanda quidem sunt, à quibus nostra etiam oratio abhorrere debet, vt Psal. 16. 4. neg r Dauid se sacrificia eorum labiis assumpturum, *Vt non loquatur*, inquit, *os meum opera hominum.*

28. Peierât impunè. *Aut peierant citò.* Facilè, vel temerè, quòd videant se ab idolis sensu carentibus non posse affici supplicio: nam sequitur.

29. *Noceri se non sperant.* lædi se non expectant, pro, non metuunt ab iis pœnis periurij plecti.

30. Pro vtroque puniêtur. *Vtraque.* Vtraque iusta vindicta eos inuadet, aut pœnam de illis sumet. Vtraque supplicij iusta causa, ratióque eos corripiet, iusque suum exequetur. Vtrumque hoc ad supplicium illis imputabitur, & quòd de Deo malè senserunt, & quòd peierauerunt. In Græco plurale est, vtraque iusta comprehendent eos: videlicet supplicia; vel quia duo hæc scelera illos pœnis subiiciunt. Pro *iustitiam*, Græca habent *sanitatem* seu *religionem iuramenti.*

31. *Iuratorum.* ὀμνυομένων, eorum, per quos iuratur, quod passiuè dixit Vulgatus, *iuratorum* quoniam dixerat, ideo homines idololatras non timere supplicium pro periuriis, quòd non timeant inanimatos Deos, addit, falli eos quidem: non enim potentia, vísque idolorum, per quæ fit iuramentum est, quæ pœnas sumet de eorum periuriis: sed ipsa vltrix pœna debita malefactis; perambulat, id est, expetit supplicium prauè factorum: non enim

Culpa pœnâ indicit.

quid

quid possint idola, considerandum est, sed quæ committant impij.

Pœna. *Δίκη* hîc sumitur pro vindicta iniquitati improborum debita. Ipsa, inquit, iustissima vltio pœnas ab improbis repetet. hoc est, quod dixit Vulgatus: *peccantium pœna perambulat semper iniustorum transgressionem.* nempe, definita peccantibus pœna ambulat per iniustorum transgressionem. ipsa enim praua conscientia pœnas expetit transgressionis. Similiter enim dictum est Caino Genes. 4. 7. *Nonne si bene egeris, recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit* id est, vltio peccati instat, & persequitur te. Vltio sequitur peccantem.

SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT XV.

VETVS.

TV autem Deus noster, 1. suauis & verus es, patiens, & in misericordia disponens omnia.

Etenim si peccauerimus, tui sumus, 2. scientes magnitudinem tuam: & si non peccauerimus, scimus quoniam apud te sumus computati.

3\. *Nosse enim te consummata iustitia est: & scire iustitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis.*

Non enim in errorem induxit nos hominum 4. malæ artis excogitatio, nec vmbra picturæ labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores.

5\. *Cuius aspectus insensato dat concupiscentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima.*

NOVA.

TV verò Deus noster benignus, & verus es, longanimis, ac misericordia gubernans omnia.

Etenim si peccauerimus, tui sumus, scientes tuam potentiam: non peccabimus autem, scientes quòd tui censemur.

Scire enim te cõsummata iustitia est; & tuam intelligere potentiam, radix immortalitatis.

Neque enim decepit nos malum moliens hominum excogitatio, neque pictorũ labor infructuosus, species maculata coloribus variegatis.

Quorũ aspectus insipientibus in cõcupiscẽtiã venit, desiderátq; mortuæ imaginis formam spiritu carentẽ.

6. *Malorum amatores, digni*
sunt qui spem habeant in talibus,
& qui faciunt illos, & qui dili-
gunt, & qui colunt.
7. *Sed & figulus mollem ter-*
ram premens laboriosè fingit ad
vsus nostros vnumquodque vas,
& de eodem luto fingit quæ
munda sunt ad vsum vasa, &
similiter quæ his sunt contraria;
homini autem vasorum quis sit
vsus, iudex est figulus.

8. *Et cum labore malo Deum*
fingit ex eodem luto: ille qui pau-
lò antè de terra factus fuerat, &
post pusillum reducit se vnde ac-
ceptus est, repetitus animæ debi-
tum quam habebat.
Sed cura est illi, 9. *non quia*
laboraturus est, nec quoniam bre-
uis illi vita est, sed concertatur
aurificibus, & argentariis: sed
& ærarios imitatur, & gloriam
præfert, quoniam res superua-
cuas fingit.
10. *Cinis est enim cor eius, &*
terra superuacua spes illius, &
luto vilior vita eius:
Quoniam ignorauit qui se
finxit, & qui inspirauit illi 11.
animam, quæ operatur, & qui in-
sufflauit ei spiritum vitalem.
12. *Sed & æstimauerunt lusum*
vitam nostram, & conuersatio-
nem vitæ compositam ad lucrum,
& spes

Malorum amatores, di-
gni talibus spebus, & qui fa-
ciunt, & qui concupiscunt,
& qui venerantur.
Etenim figulus mollem
terram premens laboriosè
fingit ad ministeriū nostrū
vnumquodque vas: sed ex
eodem luto finxit & mūdis
operibus seruientia vasa, &
contraria omnia similiter:
horum autē vtriusque quis
cuiusque est vsus, iudex fi-
gulus.
Et malè laborans ex eo-
dem luto Deum effingit
vanum, qui paulò antè è
terra natus, paulò pòst abi-
bit, ex qua sumptus est, ani-
mæ repetitus debitum.
Sed ei cura est, non quòd
sit laboraturus, neque quòd
breuem vitā habet: sed cer-
tat quidem cum aurificibus,
& argentariis, ærariósque
imitatur, & gloriā arbitra-
tur quòd adulterina fingit.
Cinis est cor illius, spes
item eius terra vilior, & ab-
iectior luto vita eius.
Quoniam eum, qui se
finxit, ignorauit, & qui in-
spirauit illi vegetam animā,
qui insufflauit spiritū vitalē.
Verùm isti ludicram vi-
tam nostram sunt arbitrati,
& cōuersationem conuen-

& oportere vndecumque etiam ex malo acquirere.

13. *Hic enim scit se super omnes delinquere, qui ex terra materia fragilia vasa, & sculptilia fingit.*

14. *Omnes enim insipientes & infelices supra modum animæ superbi, sunt inimici populi tui, & imperantes illi:*

15. *Quoniam omnia idola nationum deos æstimauerunt, quibus neque oculorum vsus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spiritum, neque digiti manuum ad tractandum, sed & pedes eorum pigri ad ambulandum.*

16. *Homo enim fecit illos: & qui spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit Deum fingere.*

17. *Cùm enim sit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior enim est ipse his, quos colit, quia ipse quidem vixit, cùm esset mortalis, illi autem numquam.*

18 *Sed & animalia miserrima colunt: insensata enim comparata his, illis sunt deteriora.*

19. *Sed nec aspectu aliquis*

ex his

tùm lucrosum: oportere enim dicunt, vndecumque etiam ex malo acquirere.

Hic enim præter omnes nouit quòd peccat, materiæ ferreæ vasa fragilia, & sculptilia fabricans.

Omnes autem longè sunt insipientissimi, & infelices supra animas infantium, hostes populi tui, qui eum in potestatem redegerunt.

Quoniam omnia idola gentium deos existimauerunt; quibus neque oculorum vsus ad visionē: neque nares ad attractionem aëris: neque aures ad audiendum: neque digiti manuum ad contrectationem; & pedes eorū pigri ad ingressū.

Homo enim eos effecit, & qui mutuatus est spiritū, effinxit illos: neque enim vllus est homo, qui similem sibi Deum formare possit.

Mortalis autem existés mortuum operatur manibus iniquis: præstantior est enim numinibus suis, quoniam ipse quidem vixit, illa verò nunquam.

Et animalia autem odiosissima colunt: dementia enim aliis comparata sunt deteriora.

Nec quatenus desiderare

(ea

ex his animalibus bona potest conspicere: effugerunt autem Dei laudem, & benedictionem eius.

(ea possint, habent) quòd in conspectu animalium pulchra sint: effugerunt autem & Dei laudem, & eius benedictionem.

ARGVMENTVM.

Gratiis Deo actis, quòd populo Dei non ita contigerit, vt Gentibus idololatris, rursus inuehitur in figulos, qui ex luto Deos fingebant, sicut suprà inuectus fuerat in artifices, & reliquos fabricandi arte peritos.

COMMENTARIVS.

SVauis. χρηςὸς, *benignus*, benignitas autem Dei facit eum suauem hominibus: idcirco Vulgatus nomen hoc consueuit vertere, *suauis.* 1. Benignitas suauē Deum reddit.
Patiens. μακρόθυμος, *longaminis.* hoc est, multa lenitate, ac patientia præditus: cui animi affectioni contraria est iracundia, quæ subitò ad vlciscendum exardescit.

Disponens. Gubernans omnia, qui misericordia moderaris omnia. Quasi dicat, Hæc quidem est idolorum imbecillitas, & inanium deorum fallacia. At tu Deus noster omnipotens cùm sis, & nutu possis omnes disperdere, benignus tamen, & magnificus es, & omnia moderaris patientia, & misericordia.

Scientes magnitudinem tuam τὸ κράτος, *potentiam tuam*, vt legit Augustinus lib. de fide, & operibus, cap. 22. & omnes Interpretes. vt sit sensus, Si peccauerimus, profitemur ingenuè quòd non possimus te effugere, vt putabant idololatræ effugere se posse deos suos, qui tui sumus, tuóque dominio subiecti. Et scimus summam tuam potentiam, qua nos punire potes quocumque tandem fugerimus aliter quàm idola imbecilla, & impotentia. Nam, vt ait Dauid Psalmo 138. 8. *Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum ades, si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illic manus tua deducet me & tenebit dextera tua.* Augustinus paulò differentiùs explicat, *Et si peccauerimus, tui sumus*, quoniam scilicet, bonum, & magnum Deum habemus, qui velit, atque possit pœnitentium peccata sanare; non qui nequaquam audeat permanentes in malignitate disperdere. Vnde subdit, *scientes potentiam tuam*, cui se subtrahere nequeat aut occultare peccator.

2. Augustinus.

Peccatores à Deo fugere nequeūt.

Et si non peccauerimus, Græcè est, *non peccabimus autem.* Augustinus per præteritum dixit, *non peccauimus autem.* In Vulgato autem, vt cum

Græco conueniat, ita legendum, ***Et si non peccauerimus,*** ideo est, quia scimus quoniam apud te sumus computati. Est ergo sensus, At ex eo confidimus non peccaturos nos, quòd sciamus tibi esse in pretio, tibi nos charos esse, in tuam nos adscriptos esse amicitiam, & familiaritatẽ.

Dei amor efficit vt nõ peccemus.

Apud te sumus computati. Græcè, ***scientes quòd tui censemur,*** aut ***habemur.*** vel vt legit Augustinus, ***quoniam tui sumus deputati.*** Quis enim ait ille, dignè cogitans habitationem apud Deum, in qua omnes prædestinatione sunt deputati, qui secundùm propositum vocati sunt, non enitetur ita viuere, vt tali habitationi congruat? Verùm Salomõ loqui videtur de populi electione præ alijs populis, non de prædestinatione, de qua Moses Deuteron. 32. 8. ***Quando diuidebat Altissimus gentes: quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël. Pars autem Domini populus eius: Iacob funiculus hereditatis eius.*** Hæc igitur cognitio, & persuasio quòd sumus de numero populi Dei, & quòd sumus adscripti in catalogum fidelium eius, maximè nos continet, aut continere debet in omni pudore, ac timore ne peccemus, & eò magis, quò magis in eius familiaritatem insinuamur. Vulgatus sua translatione hunc sensum indicat: Non peccando magis tui sumus, adscripti in tuam amicitiam. Sed prior sensus verus, & vulgato accommodandus eo modo, quo diximus.

Augustinus.

Populum esse Dei, retrahit à peccando.

3. *Nosse*: hoc est, cognitio vera, & perfecta iustitiam integram, ac solidam affert secum. Nam cùm Dei voluntas sit omnis regula iustitiæ, quæ in lege illius est declarata, qui eius habuerit cognitionem perfectæ omnis iustitiæ compos efficietur, aliter quàm qui philosophorum cognitione præditus est, quæ adducit dimidiatam iustitiam.

Vera iustitia vnde.

Et scire iustitiam. Græcè, ***& nosse tuam potentiam radix est immortalitatis,*** seu ***tuam virtutem,*** vt vertit Vulgatus. Itaque in Græco non est, ***tuam iustitiam.*** Igitur cognitio diuinæ potentiæ, cùm ingeneret nobis timorem Dei, qui nos facit abstinere ab omni peccato, omnis corruptionis ac mortis origine, ideo inducit omnem virtutem, quæ est radix immortalitatis, & incorruptionis, ac felicitatis.

Potentia timorem generat, timor virtutes.

4. *Mala artis.* κακότεχνος, malum texens, malum moliens, aut mali artifex excogitatio, aut insidiosum inuentum. quasi dicat, inter cetera beneficia, quibus cumulasti populum tuum, illud eximium est, quòd à fallacibus, ac perniciosis hominum inuentis conseruasti eum, qui contra Dei legem multa excogitant, multáque constituunt.

Dei beneficium ingẽs, vera religio.

Nec vmbra picturæ. Græcè, σκιαγραφῶν, adumbratio picturarum. Ita cum vulgato legunt codices Complutensis, & Regius. Alij vna dictione dicunt σκιαγράφων pictorum, seu adumbrantium, vt habet Vaticanus: sunt enim σκιάγραφοι, qui lineamenta, vmbrásque inducunt, quibus ea, quæ plana sunt in picturis eminere videantur: horum enim inanis labor, inquit, non decepit nos.

Effigies sculpta. Græcè, ***maculata,*** hoc est, figura coloribus distincta, ornata,

ornata,& polita;maculas vocat notas, quibus pictores solent imagines distinguere,& illustrare. Imaginis picturæ.

Cuius aspectus. ὧν, *quorum*,scilicet colorum aspectus:nam dum varios colores aspiciunt stulti homines, excitantur ad amanda, colendáque simulachra: nam amor (vt est in prouerbio)ex oculis nascitur. Vulgatus,cùm dixit,*cuius*,voluit referre effigiem sculptam. 5.

Concupiscentiam. εἰς ὄρεξιν, *in concupiscentiam*, habent ferè omnes Græci codices,quos est secutus Vulgatus. Alij, vt Vaticanus, legunt, εἰς ὄνειδος,in opprobrium:nam probris illis vertitur aspicere,ac colere eiusmodi imagines.

Quæritur meritò hoc loco,quàm verè dixerit Salomon, *Non enim induxit nos in errorem,hominum mala artis excogitatio,nec vmbra pictura,aut effigies sculpta per varios colores*;cùm luce clarius sit,Israëlitas pestifero idololatriæ morbo valde laborasse. Nam, vt ait Stephanus Actuum 7. in deserto per quadraginta annos omnem militiam cœli coluerunt,ac fecerunt vitulum in Oreb & adorauerunt sculptile. ingressi deinde terram promissam,tempore Iudicum, per quadringentos annos hac ipsa de causa, crebrò sunt à tyrannis oppressi; tempore quoque Samuelis, vt constat 1. Regum 7. 3. seruiebant Baalim, & Astaroth; tum etiam senescente Salomone, & eo vita functo, decem tribus,auctore Ieroboam, vitulos aureos adorauerunt, donec sexto anno Oseæ eorum regnum deletum est per Salmanassarem, sicut & duarum tribuum, eandem ob causam,per Nabuchodonosorem. Responderi potest in primis,loqui Salomonem de communi populi errore:nam eximium est beneficium, ita vniuersum populum Deo affectum, vt publicè simulachra colere nemo auderet; nec populus omnis se in idolorum cultum duci pateretur;quod tempore Eli, Samuelis,Saulis,& maximè Dauidis,& ipsius Salomonis, vsque ad eius senectam,verum fuisse compertum est,licèt aliqui ei malo se subiicerent. Deinde toto Dauidis tempore,& ipsius Salomonis vsque ad eius senium,quo cœpit delirare, nulla inuenitur de idolo tunc ab aliquo culto facta mentio,quo tempore hunc librum ab eo scriptum credimus,atque tunc verè dicebat, gratias agendas quàm maximas Deo, quòd ipse cum populo in vero Dei cultu persisteret,nulla idololatrarum arte deceptus,aut à nationibus in errorem inductus. Verùm quia ab Ægyptiis sumpta est occasio insurgendi in idola, & in Ægyptios sermo redit, de eo tempore loqui videtur,quo Israël erat in Ægypto, quando nullum coluit idolum,nulla Ægyptiorum arte deceptus est, cùm Ægyptij hostes Israëlis infestissima,& amentia colerent animalia,vt inferiùs dicitur.

Quæstio, Num Israël fuerit idololatra? Multis constat, idola coluisse.

Responsio.

Palàm nemo idololatra sub Dauide.

De tempore Ægypti.

6. *Malorum*.hoc est,qui capti amore, studióque idolorum, & digni, qui vanam in illis habeant spem,hi sunt,tam qui ea faciunt,quàm qui desiderant,vel amant,quàm qui colunt.

7. *Sed &c.* Græcè, *Nam &*, seu *etenim figulus mollem terram, seu argillam premens*. modum refert Eccles. c. 38. 32. *Et de eodem luto*, vel argilla, *fingit*, vt ait Paulus ad Rom. 9. 2. *aliud vas in honorē, aliud in contumeliam*. *Horum autem* figulus autem est arbiter, ac moderator totius eorum facultatis, ac commoditatis ad aliquem vsum opportunæ: sub arbitrio enim eius est & vas fingere, & Deum ex illo luto.

8. *Et cum* κακόμοχθος, *malè laborans*, aut *malè laboriosus*, pessimè locans operas, cuius labor, & opera in rebus malis ponitur. Ille, inquit, figulus, qui ad opera nefaria laborem suum confert ex eodem luto, ex quo finxit vasa munda, & immunda, Deum vanum, & idolum fingit: ille ipse, qui ex terra formatus est, ex qua idolum, in quam paulò pòst est abiturus.

Moriturus Deum facit immortalē. *Repetitus debitum*. hoc est, reddens debitum vitæ exactum, quæ mutuò data est, vt reddatur cùm reposcitur. Est autem ridiculum valde, ac detestabile, qui paulò antè natus non multò pòst mortem obiturus est, suo arbitrio deos fingere, & mortalem immortalitatem, & numen eis tribuere; qua insania nulla maior esse, aut cogitari potest.

9. *Non quia laboraturus est*. Nullam rationem habet de labore suo in conficiendo idolo: nec quòd breuiorem reddat vitam suam perlato labore, dummodò lucrum reportet, vt versu 12. Sic expositores communiter exponunt. Alij verò sic: Nullam curam habet de labore, qui eum manet post hanc vitam, de afflictione, aut supplicio, quo afficiendus est non multo pòst tempore, nempe, post vitam suam adeò breuem, cuius breuitatem si considerasset, reuocatus fortasse opus illud dimitteret,

Et pœnæ futuræ oblitus.

Sed concertatur. hoc est, tota illi concertatio est cum aurificibus, & argentariis, & fabris ærariis, vt eis paria cōfingat idola, id solum curat, vt vel superare, aut saltem æquare possit in arte aurifices, argentarios, & ærarios, licèt in materia superetur.

Et gloriam præfert. Et gloriam suam putat simulachra facere, aut gloriam sibi ducit quòd fingat idola inania.

Res superuacuas. imposturas, seu adulterina fingat, quæ nempe speciem habeant eorum, quæ faciunt aurarij, argentarij, & ærarij, vt tam illustria opera faciat ipse ex luto, quàm faciunt illi ex auro, argento, & ære; & quanuis in materia superent, in arte superentur, vel saltem æquentur.

10. *Cinis*. σποδὸς, propriè cinis est puluerulentus, sordidúsque, qui mixtos habet carbunculos. Pro puluere hîc accipiunt alij, quòd res puluerulentas meditetur, nempe deos ex puluere fictitios. In Græco desideratur particula rationalis, *enim*, quòd nulla reddatur ratio prædictorum; quin potiùs incipiat inuectiua in figulum idola fingentem.

Inuehitur in figulum. *Terra superuacua*. Græcè, *terra vilior spes illius*. Complutensis legit, *illorum*. est certè spes figuli illius vilior terra, ex qua fingit idolum, & luto

luto,seu argilla,ex qua frustum sumpsit ad Deum suum conficiendum.

Et luto vilior. Et luto abiectior vita eius, quia spem suam habet in luteo idolo;quod ideo terra ipsa vilius est:nam terra,vti à Deo creata, manet id,quod est;at idolum habet id,quod non est:existimatur enim Deus,cùm minimè sit. Vnde & abiectius figulus viuit, quàm est ipsa terra,seu lutum idoli,quia luto se subiicit, vt seruum domino, & vt creaturam creatori suo. — Figulus luto vilior. Idolum terra vilius.

Animam,quæ operatur. ἐνεργοῦσαν, operantem, vegetam, efficacem, quæ non est cassa, sed agit semper aliquid, quod vim eius declarat. Reddit rationem eius,quod dixerat,quòd cinis sit cor figuli, & terra vilior,& luto abiectior,quia luto se subiicit, ignorans Deum vitæ suæ, & omnium bonorum auctorem,& largitorem. 11

Sed &. Coniunctio hæc non est in Græco; cùm verò hactenus locutus sit in singulari de figulo,iam ad similes extendit sermonem dicens,verùm isti,aut qui eiusmodi sunt,arbitrantur vitam nostram non esse aliquam rem seriam,cuius postea sit ratio reddenda. 12

Lusum esse. παίγνιον, ludum puerilem esse vitam, veluti cùm pueri ludunt imaginibus fictis,& nihil serij habere. — Vita hominis non est ludus.

Et conuersationem. Et viuendi rationem,seu vitam nundinationem quæstuosam,id est, ad lucrum,& quæstum comparatam, quod dixit Vulgatus,*compositam ad lucrum*; vt Aristoteles vitam vtilem, & quæstuosam, in qua auari summum bonum constituunt. Vnde & quæstum sibi proponunt Deum.

Vndecumque. Quæstum esse faciendum putant modis omnibus, ac rationibus,siue per fas,siue per nefas;siue bonis artibus, siue malis: nam,vt quidam dixit,bonus est odor lucri ex re qualibet.

Hic enim. Confert artifices cum aliis idololatris, sic dicens: Alioquin enim cùm vnius Dei notitia omnibus hominibus natura insita sit, si nolit insanire, supra omnes nouit se grauissimum committere scelus,dum ex materia terrea vasa fragilia simul,& sculptilia, aut effigies fabricat:quia ex eadem argilla,ex qua finxit vasa fragilia ad ministerium,finxit & idola non minùs fragilia;quæ sola ratio illum suæ impietatis conuincit,si nolit cæcutire. 13 — Insania artificis.

Omnes enim. In Græco non est, *enim*, sed δὲ, *autem*, cùm non reddatur ratio præcedentium, sed in vniuersum conuertat sermonem ad gentes idololatras, quæ hostili odio populum Dei persequebantur. Longè autem,ait,vincunt ceteros miseria,& stultitia populi illi, qui Israëlitas veros Dei cultores odio prosequuntur;cùm ipsi ridicula colant simulachra,vt Ægyptij, Ammonitæ, Moabitæ,& similes aliæ nationes. 14

Supra modum animæ superbi. Græcè, *& infelices super animas infantium*, id est, infeliciores, miserioresque animis infantium. Infantes accipit pro stultis,in quibus non plus est intelligentiæ,ac prudentiæ, quàm — Infantes stulti.

quàm in infantibus, qui fari nondum norunt. Et hoc est, quod dixit Vulgatus, *supra modum animæ superbi*, id est, præsumentes supra id quod valent animo concipere; & vt pueri stulti desipientes.

Et imperantes ei, vel, *dominantes ei, qui eum suæ potestati subiecerunt*, vel, *qui eum potentia sua oppresserunt*. Ex sequenti capite videtur colligi hic sermonem esse contra Ægyptios.

15. Cyprianus. *Quoniam*. Hunc locum, vt habet Vulgatus, affert Cyprianus lib. de exhortatione Martyrum, cap. 1. & lib. 3. Testimoniorum ad Quirinum, cap. 59. tantùm differt, quòd illud Vulgati, *neque digiti manuum ad contrectandum*, sic ille legit, *neque digiti in manibus ad contrectandum*. Ait ergo: insipientissimi sunt, & miserrimi hostes populi tui, (de Ægyptiis quidam intelligunt omnes nationum deos colentibus) quòd omnia simulachra gentium pro diis habeant, séque viliora, quibus neque est oculorum vsus ad videndum opportunus: neque nares ad attrahendum, aut hauriendum aërem: neque digiti ad contrectandum, tangendum, aut palpandum; & pedes eorum ad ingrediendum immobiles sunt; quibus si similes fierent, homines esse desinerent.

Simulachra sine vita.

16. *Homo enim*. Et hunc integrum versum habet Cyprianus locis dictis. Non mirum, inquit, si omnia Gentium simulachra sensibus orbata sint, cùm homo sit, qui facit illa; is scilicet, qui mutuò accepit à Deo, spiritum suo tempore redditurus.

Nemo enim Cyprianus legit, *nemo autem*; & Complutensis, ac Regius codices pro ἑαυτῷ, *sibi*, legunt, αὐτῶν, *illorum*; & addunt, *virtute*, hoc modo: *Nullus enim illorum similem homo virtute fingere poterit Deum*. Verior est lectio Vulgati: nam redditur ratio præcedentis sententiæ, qua dictum est, sensibus idola carere, quia homo fecit illa, qui mutuò spiritum accepit. Cùm ergo non possit illis inserere spiritum, quem ipse à Deo accepit, nullus homo erit, qui possit sibi similem Deum formare.

Homo Deũ facit se inferiorem.

17. *Cùm enim*. Cyprianus & hunc versum affert: tantùm differt, quòd legit, *melior est autem*; & illa verba, *cùm esset mortalis*, quæ nulli Græci codices habent, nec ipse habet.

His quos colit. σεβασμάτων, culturis suis, id est, rebus quas colit, quæ sunt ficta numina. Diximus de hoc nomine suprà.

18. *Sed & animalia*. Græcè, *& animalia autem, odiosissima colunt*.

Miserrima. ἔχθιστα, *odiosissima*, vel, *infestissima*, & idcircò miserrima, colunt Ægyptij, vt crocodilos, feles, serpentes, ibides, & similes bestias hominibus noxias, & valde infestas.

Insensata. Græcè, ἄνοια, quod nomen si in recto sit, concordat cum *animalia*, vt coniunxit Vulgatus, sic sentiens: Quæcunque animalia insensata, vel amentia, si cum his comparentur, quæ colunt Ægyptij, inueniemus hæc illis deteriora. hoc est, Animalia ab Ægyptiis culta, cùm, si aliis comparentur, amentia inter rationalia sint habenda, proinde

Ægyptiorũ idola despicit.

inde deteriora sunt:nam cùm omnia expertia rationis sint, illa alia magis cum mente humana consonant,quoniam benigna sunt, hominíque vtilia;hæc verò sunt illi inimica, quòd venefica sint, & illi infestissima,vt mireris quæ colant homines suæ obliti humanitatis. Alij putant ἀνοίᾳ esse in dandi casu,pro Latino auferendi,vt sit sensus:Hæc animalia infestissima, quæ colunt Ægyptij amentia hac, seu propter hanc amentiam,qua capti Ægyptij cultum eis exhibent, comparata cum ceteris animalibus, eis sunt deteriora, quòd illa Deo placeant, cùm vsibus humanis deseruiant, ad quos sunt creata, hæc verò execranda , cùm vsui sibi indebito vsurpatæ diuinitatis accommodata sint. Deteriora animalia culta ab Ægyptiis aliis.

19. *Sed nec aspectu.*Græcè,*Neque quatenus desiderare*, vel, *Nec quatenus desiderentur,quòd*, vel,*quasi in conspectu animalium pulchra sint*. Sunt qui nomen ὄψις, *conspectus*, accipiant pro forma, & pulchritudine, vertentes,*in animalium pulchritudine formosa sunt:*hoc sensu : Sed nec ea sunt forma,ac pulchritudine inter animalia,vt desiderare ea;aut illis affici quis possit,cùm sint omnium deformissima:multò minùs vt coli debeant.Vnde rectè vertit quidam, *Quæq;* nec tanta pulchritudine præditæ sunt,qualem animalium forma capit, vt expetatur. Ait ergo Sapiens:Hæc animalia infestissima,quæ colit Ægyptus, si vel inter animalia conspiciantur,nihil habent speciosum,pulchrúmve,propter quod desiderentur; multò minùs propter quod colantur. Cui sensui hoc modo Vulgatus conformandus : Sed nec si quis aspiciat aliqua ex his animalibus,bona ea,vel pulchra potest conspicere:nulla enim prædita deprehendet pulchritudine, vt propter eam sint amanda,necdùm colenda. Nulla pulchritudine prædita, qua colantur.

*Effugerunt.*Græcum verbum singulare est, ἐκπέφευγε, *effugit*, vt huius verbi suppositum esse non possint cultores idolorum, vt volunt expositores,sed ζῶα animalia, quia Græcis neutrum plurale iungitur eleganter verbo singulari.Ait ergo,non solùm eiusmodi animalia, in conspectu aliorum animalium non sunt bona,aut pulchra; sed etiam sunt aliena à Dei laude,& benedictione : siquidem illis diuino cultui expositis neque benedicit Deus,neque probat;imò potiùs maledicit, sicut in Genesi cap.3.*maledixit serpenti*,quòd protoparentes seduxisset, dicens,*Quia fecisti hoc,maledictus es super omnia animalia terræ.* Sunt à Deo maledicta.



SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT XVI.

VETVS.

1. *PRopter hæc, & per his ſimilia paſſi ſunt dignè tormenta, & per multitudinem beſtiarum exterminati ſunt.*

2. *Pro quibus tormentis bene diſpoſuiſti populum tuum; quibus dediſti concupiſcentiam delectamenti ſui nouum ſaporem, eſcam parans eis ortygometram:*

3. *Vt illi quidem concupiſcentes eſcam propter ea, quæ illis oſtenſa & miſſa ſunt, etiam à neceſſaria concupiſcẽtia auerterentur; hi autem in breui inopes facti, nouam guſtauerunt eſcam.*

4. *Oportebat enim illis ſine excuſatione quidem ſuperuenire interitum exercentibus tyrannidem: his autem tantùm oſtendere quemadmodum ini-*

mici

NOVA.

OB hanc cauſam, per ſimilia dignè puniti ſunt, & per multitudinem beſtiarum cruciati.

Pro quo ſupplicio beneficium populo tuo præſtitiſti: quibus in concupiſcentiam appetitus nouum ſaporem, cibum paraſti coturnicem.

Vt illi quidem cibum appetentes propter oſtenſam immiſſorum etiam neceſſariam appetentiam auerſarentur: hi verò ad breue penuria affecti, noui etiam ſaporis participes fierent.

Oportebat enim illis quidem penuriam ineuitabilem ſuperuenire tyrannidem exercentibus: his verò tantummodò oſtẽdi, quem-

admo

mici eorum exterminabantur.

5. *Etenim cum illis superuenit sæua bestiarum ira, morsibus peruersorum colubrorum exterminabantur.*
6. *Sed non in perpetuum ira tua permansit, sed ad correptionem in breui turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ.*
7. *Qui enim conuersus est, non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium saluatorem.*
8. *In hoc autem ostendisti inimicis nostris, quia tu es, qui liberas ab omni malo.*

9. *Illos enim locustarum, & muscarum occiderunt morsus, & non est inuenta sanitas animæ illorum: quia digni erant ab huiusmodi exterminari.*

Filios autem tuos nec draconum venenatorum vicerunt dentes: misericordia enim tua
10. *adueniens sanabat illos.*

11. *In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, & velociter saluabantur, ne in altam incidentes obliuionem, non possent tuo vti adiutorio.*

admodum hostes ipsorum cruciarentur.

Etenim cùm ipsis grauis superueniret bestiarum ira, morsibúsque peruersorum perimerentur serpentum.

Non ad finem vsque mansit ira tua; ad admonitionem autem ad breue fuêre perturbati, signum habentes salutis ad reminiscentiam mandati legis tuæ.

Nam conuersus non per id, quod videbatur, seruabatur, sed per te omnium seruatorem.

Et in hoc autem persuasisti inimicis nostris, te eum esse, qui omni ex malo eripis.

Illos enim locustarum, ac muscarum interficiebant morsus; nec remedium vitæ ipsorum repertum est, quia digni erant qui à talibus punirentur.

Filios verò tuos ne venenatorum quidem draconum dentes vicerunt: misericordia enim tua venit in auxilium, & sanauit ipsos.

In memoriam enim sermonum tuorum stimulabantur, & celeriter seruabantur, ne in profundam delapsi obliuionem, retrahi non possint tuo beneficio.

Etenim neque herba, neque
12. *malagma sanauit eos, sed*
tuus, Domine, sermo, qui sanat
omnia.

Tu es enim Domine, qui vi-
tæ, & mortis habes potestatem,
& 13. *deducis ad portas mor-*
tis, & reducis.
14. *Homo autem occidit qui-*
dem per malitiam, & cùm exie-
rit spiritus non reuertetur, nec
reuocabit animam, quæ recepta
est.
15. *Sed tuam manum effuge-*
re impossibile est.
16. *Negantes enim te nosse*
impij, per fortitudinem brachij
tui flagellati sunt nouis aquis,
& grandinibus, & pluuiis per-
secutionem passi, & per ignem
consumpti.
Quod enim mirabile erat,
in aqua, quæ omnia extinguit,
17. *plus ignis valebat: vindex*
est enim orbis iustorum.

18. *Quodam enim tempore*
mansuetabatur ignis, ne com-
bureretur quæ ad impios missa
erant animalia: sed vt ipsi vi-
dentes scirent, quoniam Dei iu-
dicio patiuntur persecutionem.
19. *Et quodam tempore in*
aqua supra virtutem ignis, ex-
ardescebat vndique, vt iniqua
terræ nationem exterminaret.
20. *Pro quibus Angelorum*
esca

Neque enim herba, nec fomentum curauit eos: sed tuum, ô Domine, verbum sanans omnia.

Tu enim vitæ, & mortis potestatem habes, ad portásque inferorum deducis, & reducis.

Homo autem mortem quidem infert malitia sua, spiritum autem egressum non facit reuerti, neque animam assumptam reducit.

Tuam verò manum effugere impossibile est.

Nam impij te nosse negantes vi brachij tui flagellati fuerunt nouis pluuiis, grandinibus, imbribus, persecutionem passi ineuitabiliter, atque igne consumpti.

Nam, quod maximè admirabile est, in aqua omnia extinguente plus operabatur ignis: propugnator enim mundus est iustorum.

Interdum enim mitescebat flamma, ne immissa in impios combureret animalia: sed ipsi se iudicio Dei exagitari palàm viderent.

Interdum autem etiam supra vim ignis exardescebat, vt iniustæ terræ germina vastaret.

Pro quibus cibo Ange-
loru

eſca nutriuiſti populum tuum,
& paratum panem de cœlo præ-
ſtitiſti illis ſine labore, omne de-
lectamentum in ſe habentem,
& omnis ſaporis ſuauita-
tem.
21. *Subſtantia enim tua dul-*
cedinem tuam, quam in filios
habes, oſtendebat: & deſeruiens
vniuſcuiuſque voluntati, ad
quod quiſque valebat, conuer-
tebatur.
22. *Nix autem, & glacies ſu-*
ſtinebant vim ignis, & non ta-
beſcebant: vt ſcirent, quoniam
fructus inimicorum extermi-
nabat ignis ardens in grandi-
ne, & pluuia coruſcans.

23. *Hic autem iterum vt nu-*
trirentur iuſti, etiam ſuæ vir-
tutis oblitus eſt.
24. *Creatura enim tibi fa-*
ctori deſeruiens, exardeſcit in
tormentum aduersùs iniuſtos:
& lenior fit ad benefaciendum
pro his, qui in te confidunt.
Propter hoc & tunc in o-
mnia transfigurata omniũ nu-
trici 25. *gratiæ tuæ deſeruie-*
bat, ad voluntatem eorum, qui à
te deſiderabant:

26. *Vt ſcirent filij tui, quos*
dilexiſti Domine, quoniam
non natiuitatis fructus paſcunt
homines, ſed ſermo tuus, hos,

lorum cibaſti populũ tuum, & paratum panem ipſis de cœlo miſiſti ſine labore, qui omnem voluptatem poſſet efficere, atque omni guſtui congrueret.

Nam tua quidem ſubſtantia tuam in filios dulcedinem oſtendebat: admouentis autẽ cupiditati ſubminiſtrans, ad quod quiſque volebat, temperabatur.

Nix autem, & glacies ita vim ignis ſubſtinebant, vt non liqueſcerent, vt intelligerent quòd ignis ardens, per grandines, pluuiasque coruſcans, fructus inimicorum abſumpſiſſet.

Hoc autem iterum, vt nutrirentur iuſti, & ſuæ propriæ potentiæ oblitum eſſe.

Creatura enim tibi effectori ſubſeruiens intenditur ad pœnã aduersùs iniuſtos, & remittitur ad beneficium pro his, qui in te confidunt.

Propter hoc & tunc in omnia transformata tuæ gratiæ omnia nutrienti deſeruiebat ad indigentium voluntatem.

Vt diſcant filij tui, quos dilexiſti Domine, quòd prouentus fructuum non nutriunt hominem, ſed ver-

qui in te crediderint, conseruat.	bum tuum eos,qui tibi credunt,conseruat.
27. *Quod enim ab igni non poterat exterminari, statim ab exiguo radio Solis calefactum tabescebat.*	Quod enim ab igne non consumebatur omnino, ab exiguo Solis radio calefactum liquescebat.
Vt notum omnibus esset, quoniam oportet praeuenire solem 28. *ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis se adorare.*	Vt notũ esset quòd oportet Solem anteuertere ad agẽdas tibi gratias,& ad ortũ lucis tibi obuiã procedere.
29. *Ingrati enim spes tanquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tanquam aqua superuacua.*	Nam ingrati spes tanquã prunia hyberna colliquescet, & sicut aqua inutilis diffluet.

ARGVMENTVM.

Digressus Sapiens è Sapiẽtiæ encomiis impios supplicio afficientis, & pios defendentis, vt contra idololatras inueheretur, iterum redit ad Sapientiæ laudes, collato beneficio cibi in deserto parati Israëlitis cum supplicio, quo affecit Deus eorum hostes Ægyptios.

COMMENTARIVS.

1. PRopter hæc. Græcè, propter hoc autem similiter sunt puniti dignè, vel meritò. non est sensus: propter hæc scelera, & his similia puniti sunt; sed, propter hæc scelera colendi bestias, passi sunt his similia supplicia, cùm bestias vltrices senserunt. De Ægyptiis loquitur, qui propter supradictum scelus colendi animalia, per similia animalia, muscas, ranas, ciniphes, & alia, puniti sunt pro suo merito, pœna scilicet suo maleficio conueniente: nam per quæ peccauerunt, per eadem puniti sunt; & cùm bestias coluissent, easdem vltrices habuerunt.

Ægyptii puniti per animalia, per quæ peccauerunt.

2. *Pro quibus*. Ostendit Dominum diuersa ratione suos, ac inimicos tractauisse: quorum supplicia cum beneficiis in populum collatis componit: nam res hæc contrariorum contentione illustriores efficiuntur.

Supplicia beneficio opponit.

Concupiscentiam. Græcè, *in concupiscentiam appetitus*: nam cùm in deserto immoderata edendi cupiditate permoti fuissent; illis tamen cibum inusitati saporis comparasti, ac præbuisti.

Ortygometram. ὀρτυγομήτραν, coturnicum matrem, regem, ac ducem,

cem significat, quæ coturnice aliquantò maior est, ac nigrior; qua duce coturnices aduolant, vt refert Plini. lib. 10. Natural. historiæ, cap. 23. quia verò ea duce totus coturnicum exercitus aduolabat ad filios Israël, ideo ortygometræ fit hîc mentio, vel certè asserendum multitudinem illam coturnicum Dei iussu aduentantium fuisse ortygometrarum quæ pinguiores sunt, ac suauiores. Nam septuaginta Exod. 16. 13. & Nume. 11. 31. Hebræum nomen שלו *Selau*, ortygometram vertunt, quamuis in Psalmo 104. 40. legant *coturnicem*. Ortygometra. Plinius. Beneficium coturnicũ.

Vt illi. Confert Ægyptios cum Hebræis, & cibos illorum cum cibis his immissis è cœlo in solitudine. 5.

Propter ea, quæ illis ostensa, & missa sunt. Græcè, *propter ostensam immissorum*, supple, τροφὴν escam, ex præcedenti oratione. Nam Ægyptij edendi cupidi propter immissa in eos animalia, magna vi in mensas, ciboſque irruentia, & inficientia, non solùm non sunt saturati, sed necessariorum etiam appetitum amiserunt, ac fastiditi sunt. Pro τὴν δειχθεῖσαν, ostensam, sup. escam, quæ est communis lectio, quam secutus est Vulgatus. Vaticanus codex legit, ἀειδχθείαν, deformitatem odiosam, & detestabilem; confirmátque sensum iam dictum: nam Ægyptij propter odiosam deformitatem immissorum animalium, quæ in eós immissa sunt, etiam necessariorum appetentiam auersati sunt. Quo supplicio affectos fuisse Ægyptios, constat ex cap. 8. Exodi, ver. 3. vbi sic comminatur Moses: *Et ebulliet fluuius ranas, quæ ascendent, & ingredientur domum tuam, &c. & in reliquias ciborum tuorum.* Iosephus quoque lib. 2. Antiqui. cap. 5. sic explicatiùs tradit: Quia & domesticum cibum fœdabant, in esculentis, atque poculentis nusquam non repertæ, & in cubilibus quoque passim obertantes, ita vt omnia fœterent, putore è ranis mortuis exhalante infecta. Cibi Ægyptiorũ cum cibo Israëlis collatio. Ciborum fastidium. Iosephus.

In breui inopes facti: Græcè, *hi verò ad breue penuria affecti*, vel, *paululùm famem experti:* nouum, seu peregrinum participarent saporem, aut suauitate cibi recrearentur, nempe coturnicum, de quibus est factus sermo: nam cibos infectos à bestiis Ægyptiorum, comparat cum cibis volucrum Israëlitis immissarum. Sapore coturnicum Israëlitæ recreati.

Oportebat. Oportebat, inquit, illis, qui populum Dei acerba, & iniusta dominatione tenebant oppressum, ineuitabilem penuriam accidere, quæ interitum pararet; his autem Israëlitis eam tantùm penuriam, qua experiri possent, quàm grauiter inimici eorum puniti essent. 4.

Sine excusatione. Græcè inexcusabilem, seu ineuitabilem, aut ineuitabiliter superuenire indigentiam, seu penuriam quæ scilicet illis interitum adduceret.

Exterminabantur. cruciabantur, vel puniebantur, hoc est, cruciati fuissent, qualem cruciatum hostes eorum pertulissent. Cruciatus ergo piorum Dei beneficium est, quo cognoscant se Dei munere à grauissimo Piorũ cruciatus Dei beneficium.

uissimo impiorum supplicio liberatos, cuius aliquam significationem & ipsi accipiunt sua calamitate.

5. In murmurantes. *Etenim.* Pendet ex sequenti versu hæc oratio. Refertur historia Numero. 21. 6. quando in murmur excitantes, ac dicentes: *Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra iam nausiat super cibo isto leuissimo*, misit Dominus ignitos serpentes, qui plagas eis inflixerunt, mortémque plurimis intulerunt.

Morsibus. In Græco legitur cum coniunctione, *morsibusq; tortuosorum*, hoc est, noxiorum, & ignitorum corrumperentur serpentum.

6. Israël mortiû serpentû admonitus ad bonum. *Sed non.* Cùm populus, inquit, in deserto serpentum morsibus deleretur, non vsque ad internecionem deseuit ira tua; sed vt admonerentur, ad teque reuerterentur, abs te sunt ad tempus afflicti, dato illis in signum salutis æneo serpente, quo reuocarent in memoriam obseruandum mandatum legis, vt ex illo symbolo discerent quàm salutare esset, legi obedire.

Sed. Non est in Græco: sine ea enim particula cohæret cum hoc versus præcedens; non obest tamen.

Ad correptionem. Græcè, *ad admonitionem ad breue sunt afflicti serpentum morsibus.*

Serpens, sanitatis symbolum. *Signum.* Græcè, *symbolum salutis*: nam serpens æneus tantùm erat sanitatis symbolum, cùm Deus ipse conferret sanitatem.

Ad commemorationem. Ad reminiscentiam mandati legis tuæ. Hic accusatiuus, *ad commemorationem*, potest coniungi cum illis verbis, *in breui turbati sunt ad commemorationem mandati legis tuæ*, cùm statim symbolo ænei serpentis sanarentur. Et est sensus, quòd illo breui cruciatu, à quo sunt confestim erepti, venerint in memoriam legis diui-

Admonitio ad legis obseruantiam. næ, admoniti breui flagello, vt Dei legem diligenter in posterum obseruarent, ne quemadmodum tunc ob tumultum excitatum, & murmur motum contra Mosem, & Deum, cruciati sunt, sic in posterum punirentur, ac dicerent quod Dauid Psalmo 118. 71. *Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.* Potest & coniungi cum illis verbis, *Signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ.* & erit sensus, Quemadmodum obedientes mandato Dei iubentis aspicere serpentem æneum, si vellent salutem adipisci, sanabantur, ita nollent non posse se à cruciatibus liberari, & ab infligêdis ma-

Sanitas ex aspectu Christi in serpente. lis præcipi, nisi aspicerent in legem, & eius mandatis parerent vel ne de diuinis præceptis amplius obloquerentur, sed assuescerent parere Dei ministris: aut certè se non posse sanitatem comparare nisi aspicerent in auctorem legis, & à malis liberatorem Christum; quia, *sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita oportet exaltari Filiũ hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitã æternã* Ioan. 3.

7. *Qui enim.* Græcè, *Nam conuersus*, videlicet ad respiciendum serpentem, non sanabatur à serpente, sed à Deo.

In hoc

In hoc. Græcè, *& in hoc autem.* hoc eſt,inimicos repugnantes, negantesque antea te ſeruatorem eſſe, conuiciſti, atque in eam cognitionem,mentemque adduxiſti,vt vel inuiti crederent te tuos ex omni periculo liberare. 8.

Illos enim. Græcè, in omnibus exemplaribus legimus ὡς *quos*, & accipitur pro τοὺς,vel, αὐτοὺς, *illos*, vt rectè vertit Vulgatus, quamuis & poſſit ita conteri oratio: Etenim non inuenta eſt ſanitas animæ eorum,quos locuſtarum, ac muſcarum interficiebant morſus, quia digni erant qui ab huiuſmodi cruciarentur. 9.

Sanitas animæ. Græcè,remedium,ſeu medicamentum illorum vitæ ſeruandæ,non eſt inuentum vllum:niſi enim Deus abegiſſet, aut impediuiſſet,ipſi Ægyptij nullo remedio auertere potuiſſent malum.

Adueniens. ἀντιπαρῆλθε, adfuit illis, opem tulit in periculo, interceſſit,venit in auxilium contra eiuſmodi dracones, ne ita morderent, vt interimerent: aut etiam ſi momordiſſent,ænei ſerpentis præſentaneo remedio, per aſpectum, incolumitatem recipiebant Dei miſeratione. 10.

In memoria. In memoriam enim ſermonum tuorum. 11.

Examinabantur. Græcè, *exſtimulabantur*, hoc eſt, pungebantur à ſerpentibus,vt eorum puncti aculeis, quaſi ſtimulis quibuſdam incitati, & admoniti, in memoriam redirent oraculorum tuorum, vel eloquiorum tuorum:nam *vexatio dat intellectum*,& probam mentem inducit,vt quanti Dei lex facienda ſit,eiuſque obſeruantia,cognoſcãt. Vexatio dat intellectum.

Non poſſent vti tuo adiutorio, Græcè, immobiles fierent vel irretrahibiles fierent tuo beneficio, hoc eſt,fierent tales, vt non poſſent ad ſe trahere tuum beneficium,nempe,vt non poſſent potiri tuo beneficio quo ſanaſti eos, vel, vt non poſſint retrahi tuo beneficio: cùm enim ſerpentum morſibus reuocarent in memoriam Dei mandata, liberabantur à profunda obliuione, qua permanente non poſſent retrahi à morte,& ab ictibus ſerpentum liberari Dei beneficio: nam priùs recordabantur legis non obſeruatæ, & definiebant animo illam nequaquam tranſgredi, & deinde à Deo tributa ſanitate potiebantur. Sed veriùs redditur his verbis ratio noui beneficij contenti in aduerbio,*velociter ſaluabantur*, Non enim Deus contentus erat eo beneficio, quod filijs ſuis conferebat, vt ſcilicet ſtimulati venirent in memoriam mandatorum tranſgreſſorum, nec diu differebat, vt poſſet, ſanitatem, ſed hoc etiam vlteriùs addebat, ne ſanitas differretur,multis adhibitis medicamentis adhibitis, vt adhibere ſolent homines, & differre in multos dies curationem,& ſanitatem. Sed ſtatim, celeriter,vno aſpectu ænei ſerpentis ſanabantur. huius habita ratione,ne ſi diu ſanitas differretur, obliuioſi facti legis Dei, difficilè poſtea retraherentur ab ea obliuione, beneficio ſanitatis, quam tunc non Deo,ſed medicamentis adſcriberent. Afflictio legis memoriam inducebat. Cita ſanitas Deo tribuebat beneficium.

Ii 12.*Ma*.

12. *Malagma.* μάλαγμα fomentum est, dictum à μαλάγειν, quod est, mollire, mitigare, ac fouere aliquam plagam, quod officium præstitit imperium Dei: nam virtute sermonis Dei, quo locutus est Dominus ad Mosem, Numer. 21.8. dicens. *Fac serpentem aneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet;* omnes percussi aspicientes in eum sanabantur.

13. *Deducis ad portas mortis.* Ad portas. ᾅδου, inferni, vel inferorum. Ita vocauit Christus Matth. 16. 18. cùm dixit, *Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.* Extremum vitæ, nempe mortem, per quam tanquam per portam, quam nemo potest effugere, homines deducuntur ad inferos: explicat enim quod dixit, *Tu vitæ, & mortis habes potestatem;* quia deducis ad portas inferorum, nempe ad mortem, seu ad articulum mortis, & reducis ad vitam, *qui exaltas me de portis mortis,* dixit Dauid Psalm. 9. 14. hoc est, de mortis faucibus, de extremo periculo; ita nullum est mortis genus, quod possit confessionem Petri, & fidem Ecclesiæ abolere, vt non sit in Ecclesia, qui non libenter mortem oppetat pro ea tuenda; vnde & Paulus ad Roma. 8. 38. dixit, *Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* quia non tantùm fortis est vt mors dilectio, sed omnino superior est ipsa morte, de qua meritò sæpissime triumphat.

Portę mortis quæ.

Mors oppetenda pro fide.

14. *Homo autem.* Assignat differentiam inter Deum occidentem, & hominem, quòd homo cùm occidit alium hominem, occidit per malitiam, & Spiritum, postquam è corpore exierit, reuocare non potest, neque animam semel ad Deum assumptam reducere, ac proinde vitæ, & mortis non habet potestatem. At Deus occidit sua bonitate ductus, & potest occisum hominem vitæ restituere. Loquitur autem de homine priuata auctoritate occidente: hic enim malè occidit, at iudices bene, quia Dei auctoritate occidunt, licèt non possint ad vitam semel occisos reuocare, quod Dei proprium est.

Dei est occidere & viuificare, cùm homo solùm occidat.

15. *Sed suam manum.* fieri nequaquam potest, vt quis effugiat manum Dei, siue percutientis, siue sanantis.

16. *Negantes.* Probat impios Ægyptios non potuisse effugere manum Dei, siquidem qui negabant priùs Deum, postea tormentis adacti sunt eum confiteri.

Flagellati. id est, quasi flagellis quibusdam cæsi, & verberati fuerunt Ægyptij insuetis pluuiis, grandinibus, & imbribus.

Dei manum nemo effugit.

Persecutionem passi. ἀπαραιτήτως inexcusabiliter, seu potiùs ineuitabiliter addunt Græca, quia ea euitare non poterant, vnde nec effugere poterant manum Dei.

Et per ignem consumpti. Græcè, *atque igni consumpti.* In libro Exodi cap. 9. 23. ita describitur hæc plaga: *Extendit Moyses virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram:*

Plaga grandinis.

terram: & grando, & ignis mixta pariter ferebantur: & percussit grando in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerunt in agris ab homine vsque ad iumentum, cunctamq́; herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit. & in Psalm. 77. 47. additur, *Et occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina; & tradidit grandini iumenta eorum; & possessionem eorum igni.* Itaque ignis è fulgure eiaculatus, & fulmine multos combussit.

Plus ignis valebat. Plus operabatur ignis fulminum; seu maiorem vim habebat, quàm aqua, cuius summam vim extinguentis omnia suo ardore superabat. 17.

Vindex. seu propugnator est mundus iustorum: solet enim mundus pugnare pro iustis, eorumque iniurias vlcisci, & vt dictum est cap. 5. 18. *Orbis terrarum pugnabat pro Deo aduersùs insensatos, & omnis creatura armabat se aduersùs impios.* Mundus iustorum propugnator.

Quodam enim. Interdum enim mansuetabatur flamma. De Ægyptiis loquitur, contra quos ignis cælitùs missus, ita diuinitùs temperabatur, vt ne ranas, muscas, reliquáque animalia, ad eos puniendos excitata, combureret, ac disperderet. Aut verùs cùm Ægyptij ignem accenderent vbique, vt eo obiecto sese à ranis, muscis, ciniphibus, & aliis bestiis liberarent; quas Deus immittebat opera Mosis, vt eos plecteret, ac plagis afficeret; at nullam vim in animalia illa exerebat, sed diuina virtute continebat sese, ne illa combureret, vt Dei voluntati per omnia parerent. 18. Ignis vis impedita.

Quoniam Dei iudicio. Ita Deus ignem temperabat, vt Ægyptij id tam mirum Dei opus videntes, nossent se iudicio Dei persecutionem pati; seu, vt ipsi se iudicio Dei exagitari palàm viderent, non casu.

Et quodam. pro aliquando, vel interdum autem & inter aquam ignis ardet; cùm ignis mixtus grandini simul ferebatur, vt iam dictum est. 19.

Exardescebat vndique. Græcè, *ardet*, pro ardebat, cùm grando, & ignis imbribus permixti decidebant.

Nationem. γεννήματα, *genimina*, vel, *germina*, sunt qui vertant, *progeniem*, vt non ad plantas solùm, frugésque, sed etiam ad homines, & ad alia animalia referatur: constat enim ex cap. 9. Exodi, calamitatem illam, seu plagam septimam, ac vastitatem, in plantas, arbores, ac fruges, tum etiam in animalia delatam fuisse. Verùm de sola frugum, arborúmque vastitate hîc sermonem fieri ostendit primùm, quòd plaga illa in agros inflicta est, non in homines, & iumenta, nisi in agris inuenirentur. Deinde quia supplicia Ægyptiorum Sapiens confert cum beneficiis similis rationis Israëlitis collatis. Cùm ergo in sequenti versu agat de Māna misso filiis Israël pro flagello, Ægyptiorū simili, nempe pro frugibus, fructibúsq; disperditis, ratione cuius fame premebantur, intelligendū est nomine genminis hæc debere accipi. Plaga in germina inflicta.

 20.

20. *Pro quibus*. His modis Ægyptiis escas eripuisti, at populo tuo contrariam vicem rependisti: nam præbuisti cibum illi de cœlo absque labore.

Angelorum. Cibus Angelorum dicitur, vel quia in aëtea regione ministerio Angelorum formatus est. Vnde Psalm. 77. 23. dicitur, *Et mandauit nubibus desuper, & ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducauit homo, cibaria misit eis in abundantiam*. & Exodi 16. 4. vocantur panes de cœlo, vt refert quoque Christus Ioan. 6. 31. quo significatur, hanc escam è cœlo demissam, in cœlo seu aëre confectam ab Angelis; vel potiùs ob tenuitatem, suauitatem, & exquisitum saporem, & ob locum vnde decidebat: nam eiusmodi cibus erat, vt si corporeum aliquem cibum edituri fuissent Angeli, is certè fuisset.

Manna panis Angelorum cur dictus.

Sine labore. Græcè, *illaboratè*, panem illaboratum, nullo capientium labore, sine quo ceteri cibi comparari non possunt, sed sola Dei benignitate, ac virtute paratum, atque tributum.

Omne delectamentum. Legimus Exodi 16. 31. *Appellauit domus Israël nomen eius Man, quod erat quasi semen coriandri album, gustusq́; eius quasi similæ cum melle*. Et Numer. 11. 8. *Circuibat populus, & colligens illud, frangebat mola, siue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas saporis, quasi panis oleati*. Si ergo certum saporem habebat quasi similæ cum melle, oleóque mixtæ, quomodo hîc dicitur, quòd omne delectamentum habuisset, & omnem saporem suauitatis? Responderi potest, Mannæ gustum naturalem, similam oleo, melleque litam referre; at supra naturam Dei virtute factum, vt omnem, pro edentium gustu, saporem contineret. Nisi quis veriùs existimet, illa periphrasi mannæ suauitatem declarari; quòd dulcedo, ac suauitas illius adeò omnes ceterorum sapores ciborum superaret, vt, omnium cùm esset suauissimus, vnus cùm esset, pro omni sapore valeret, & omni gustui congrueret. Quem sensum Græca verba tradunt, quæ sic habent, ad omnem voluptatem valentem, & ad omnem congruum gustum. Itaque talis erat cibus, vt omnem voluptatem posset efficere, atque omni gustui congrueret. Sed priorem responsionem comprobat sequens versus.

Mannæ sapor.

Diuinitùs omnis sapor insitus.

Aut pro omni sapore valeret.

21. *Substantia enim tua. Etenim* ὑπόςασις σοῦ, *hypostasis tua*. Patres, & Interpretes varias huic loco adhibent expositiones: nam quidam naturam ipsam Dei, ac vim præsentissimam volunt hîc significari, qui cibo Mannæ suum amorem populo ostendebat, & pro cuiusque gustu attemperabat se, tribuens ei cibum omnis generis suauitatem continentem.

Hypostasis, Deus.

Victor Vticensis in lib. de Catholica fide, & Fulgentius contra Arrianos ad 4. obiectionem, nomine substantiæ Filium Dei intelligunt, quem in figura Mannæ dedit filiis Israël; dicente Domino Ioan. 6. 32.

Victor. Fulgentius. Dei filius.

Non

Non Moyses dedit vobis panem de cœlo: se vtique panem esse designans, cùm dicit: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Sed iidem ipsi satis se explicant in figurato sensu locum exposuisse; quòd Deus quidem dederit populo illi Mannam figurantem panem verum Christum è cælo demissum. Veriùs ergo cum Higone recentiores ipsum Manna intelligunt, quod verè subsistebat, nec deludebat comedentes: quam enim enim vocauerat escam Angelorum, & paratum panem de cœlo, nunc substantiam Dei nominat, Dei iussu per Angelos in aëre paratam, & indigenti populo demissam.

Manna, figura panis Christi.

Manna substantia.

Vniuscuiusque voluntati deseruiens. Græcè, *oblati autem desiderio, aut cupiditati subseruiens. Oblati,* passiuè vsurpat; eius, cui cibus ille oblatus erat vel potiùs assumentis illum, vel admouentis ori, desiderio subseruiens; quod dixit Vulgatus rectè, *vniuscuiusque voluntati deseruiens.*

Conuertebatur. transtemperabatur: nam ad eorum voluptatem, cupiditatem, ac desiderium sese accommodabat, eorúmque desiderio obsequebatur, seséque attemperabat. Quod iustis accidisse fatendum est per quadraginta annos: nam impiis & propter nauseam fastidientibus, & repetentibus ollas Ægypti, qui à ratione filiorum degenerabant, non mirum si cibus ille, non pro cupiditate saperet, & eorum desiderio non sese attemperaret. Verùm commune beneficium cùm esset, ab eo nullus excipiebatur, vt Nazianzenus Orat. de Compositi. differen. ratio. affirmat, cum ratione. Porrò autem certum cùm sit, cibum illum, qui sua natura placentæ saporem ex simila cum melle confectæ præferebat varios sapores ad appetentium votum induxisse, vt satis apertè constat ex v. 20. 21. & 25. difficile est explicatu quomodo id fieret. Sunt qui existiment substantiam ipsam Mannæ in rem illam conuersam, quam quisque appetebat, in piscem videlicet, leporem, gallinam, malúmve, aut quippiam aliud, sub Mannæ accidentibus; eodem prorsus modo, quo credimus in sacra Eucharistia substantiam panis in Christi corpus conuersam, sub panis desinentis accidentibus. Idque verum comprobant verba illa v. 21. *Substantia tua ad quod quisque volebat conuertebatur.* Manna ergo quoad substantiam conuertebatur in rem, quam quisque appetebat. Deinde & illa v. 25. *Et tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratia tua deseruiebat, ad voluntatem eorum, qui a te desiderabant.* hoc est, tunc Manna in cibos quoslibet transmutatum nutrienti eos voluntati tuæ deseruiebat ad voluntatem expetentium.

Sapiebat ad votum cuiusque.

Nazianzen.

Quæstio. Diuersitas saporis vnde.

Manna instar Eucharistiæ vertebatur.

Verùm quid opus est frequenti illa transubstantiatione pro appetentium leuitate facta, quam pro eximio miraculo in Eucharistico sacramento confitemur, cùm ex ea non consequeretur Deus quod volebat? Nam quemadmodum ex conuersione panis in corpus Christi, non manente pane, sapit nihilominùs panis, qui disparuit, non tamen caro, quæ subest accidentibus panis: ita si illa conuersio Mannæ vera

Refutatio.

 esset,

esset, disparetet Manna, & adesset perdix, piscis, aut lepus sub speciebus mannæ, & ita non saperet pro cuiusque gustu perdix, piscis, aut lepus, sed Manna solùm: cuius species apparerent, & sentirentur, non perdix, piscis, aut lepus, quæ obtegerentur Mannæ speciebus, atque adeò cùm vnus fuisset sapor Mannæ, non diuersificaretur pro gustantium appetitu, nec haberet omne delectamentum suauitatis.

Refutatio.

Deinde vel sapor ille diuersus inerat Mannæ naturaliter, vel ex miraculo; vel non inerat, sed tunc vnicuique communicabatur, cùm appet[illegible]t. Non inerat naturaliter, cùm Manna instar esset similæ oleatæ; [illegible]c ex miraculo, ne pro diuersitate gustuum oporteret inhærentem [illegible]utare saporem; qui si mutabatur, non manebat. Ergo pro diuersitate gustuum appetentium, ad votum communicabatur sapor diuersus: ad patrationem autem huius transeuntis miraculi, & ad votum repetiti, nihil opus fuisset substantiam Mannæ mutari à Deo, cùm ipsa immutata, posset Deus, vt fecit, communicare diuersum saporem, in gustu edentis diuerso.

Manna non erat panis.

Confirmat hoc Mosis testimonium Deuteron. 8. 3. quod repetit Christus Matth. 4. 4. *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & patres tui: vt ostenderet tibi, quòd non in solo pane viuat homo sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Cibus ergo, quo tot annis suum populum Deus sustentauit, Manna fuit, non perdix, non lepus, non panis: siquidem dixit, Deum sustentasse populum, non pane, sed Manna Dei iussu in aëre conflata: vt certum fiat, non solo pane hominem nutriri, sed re quacunque Dei nutu parata.

Verbum autem, *conuertebatur*, Græcè est, *attemperabatur*, quia ad votum cuiusque saporem mutabat; & ita creatura transfigurata in varios sapores, voluntati Dei beneficæ deseruiebat, ad voluntatem eorum, qui desiderabant, vt scirent non fructibus è terra profectis hominem pasci, sed sermone, seu iussione Dei; quo etiam notatur clarè Manna diuersum fuisse alimentum à ceteris omnibus terræ fructibus: nec in illos fuisse mutatum: sed in palato vescentium, saporem pro libito diuersimodè mutatum.

Sapor in gustu mutatus.

22. *Nix autem.* Redit ad plagam grandinis, & ignis, qua destructi sunt fructus Ægyptiorum. Nam quemadmodum dixerat ignem permansisse, nequaquam extinctum ab aqua; ita nūc addit, niuem, & glaciem simul cum igne decidentem, ita sustinuisse vim ignis, vt minimè liquescerent, nec tabescerent: nec enim nix, grando, aut pluuia extinguebant ignem, nec ignis liquefaciebat grandinem, glaciem, aut niuem. Quod prodigium ita extollit Philo in lib. 1. de vita Mosis. Grando enim intermixta ignibus, nec ipsa liquescebat, nec extinguebat fulmina, sed vtraque eodem deferebantur impetu.

Ignis, & pluuia permanēt intacta.

Vt scirent. Vt intelligerent filij Israël, ad quorum hæc referuntur, & amplificantur vtilitatem, fructus Ægyptiorum ab igni inter grandinem,

nem,& pluuiam coruſcante fuiſſe abſumptos: vnde eſcis ſublatis, in famem ingentem deciderunt miſeri.

Hic autem. Græcè, τῦτο, *hoc autem*, quia refert nomen πῦρ, quod eſt neutrius generis; quare Latinè rectè dixit Vulgatus, *hic autem*, referens ignem. Et hoc, inquit, maximè admirandum, quòd idem ipſe ignis, qui vim ſuam retinuit inter niuem, grandinem, & aquam, ad deſtruendum Ægyptiorum fructus, idem ipſe ſuam virtutem amiſerit, ne alimentum filiorum Dei impediret, aut corrumperet. Nam Manna ignis vim ferebat cùm coqueretur, & in tortulas indureſcebat, vt dicitur Numer. 11. & infrà verſu 27. 23.

Ignis diuerſus effectus.

Creatura. Reddit generalem rationem duorum tam contrariorum effectuum eiuſdem ignis, qui nocuit Ægyptiis; & profuit Iſraëlitis. Nam creatura ſuo obſequens creatori, vim ſuam ad eius voluntatem exerit, ac remittit; operámque dat, vt ſupplicio afficiat iniuſtos, iuſtos verò ſumma cum benignitate conſeruet, & tractet. 24.

Gratia. δωρεᾷ dicitur hîc gratioſa voluntas Dei, eiúſque beneficentia omnium nutritia: nam benignitate eius plena eſt terra. *Aperis tu manum tuam*, dixit Dauid Pſalm. 144. 16. *& imples omne animal benedictione. Omnia alma tuæ benignitati*, pro, *altrici tuæ benignitati*, vertunt quidam, qui à te deſiderabant ad δεομένων indigentium voluntatem, quia indigebant, deſiderabant, & orabant, imò murmurabant, vt dicitur Exodi 16. & ideo dixit Moſi, *Audiui murmurationes Iſraël; loquere ad eos, veſpere comedetis carnes, & manè ſaturabimini panibus.* 25.

Benignitas Dei altrix omnium.

Vt ſcirent. Græcè, *vt diſcant*, pro, *vt diſcerent*, aut intelligerent filij tui. 26.

Quoniam non natiuitatis fructus. γενέσεις τῶν καρπῶν, quòd non natiuitates fructuum, generationes, vel prouentus fructuum nutriunt hominem.

Sed ſermo tuus eos, qui in te crediderint, vel tibi fidentes conſeruat: vt diſcerent non egere hominem prouentu fructuum, ſed iuſſu, ac voluntate tua poſſe conſeruari. Vnde Deutero. 8. 3. & refertur à Chriſto Matth. 4. 4. & Lucæ 4. 4. dicitur: *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu, & patres tui; vt oſtenderet tibi quòd non in ſolo pane viuat homo, ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.*

Deus non ſolo ſuſtentat pane.

Quod. Auget miraculum iam dictum, quòd Manna niſi ſummo manè colligeretur, ſtatim Solis exortu, eius caloris radio liqueſiebat, cùm tamen nequicquam ab igne, dum coquebatur, corrumperetur, aut liquidum fieret; quin potiùs indureſcebat. 27.

Manna igne durum, ſole liquidum fiebat.

Ad benedictionem tuam. ἐπ' εὐχαριστίαν σου, *ad Euchariſtiam tuam, ad bonam gratiam tuam*, vel accipiendam, vel reddendam: ſicut poſſumus intelligere nomen, *ad benedictionem tuam*, vel qua Deus nobis benedicit, vel qua nos Deo benedicimus; hoc tamen loco verius eſt accipi pro benedictione, & gratia, quam Deo reddimus, nempe pro gra- 28.

Euchariſtia Deo debita.

gratiarum actione, ad quam reddendam Deúmque adorãdum oportet Solem præuenire, ne ingratitudinis damnemur, vt damnantur ingrati statim versu 29. Eucharistiam autem hoc loco pro grata benefici animi significatione, seu pro gratiarum actione accipi, & verbi, vnde oritur, significatio ostendit, cùm εὐχαριστεῖν, sit ostendere se beneficij memorem, gratiásque pro eo agere: nam ad significandas gratias, quas Christus agebat Deo, hoc verbo vsi sunt Euangelistæ; quin & quod sequitur, *& ad ortum lucis te adorare*, satis ostendit priore hemistichio significari oportere præuenire Solem ad gratias agendas Deo: siquidem ipse præuenit Manna demittendo. Tum etiam quòd subiicit, *ingrati spes tabescet*, quasi dicat, nam qui ingratus fuerit diuino beneficio, nec egerit gratias, aut Deum adorauerit ante exortum Solis, vt Manna post Solem collectum tabescebat, ita spe ipse colligendi Manna frustrabitur.

Et ad ortum lucis. Non locum designat, quòd versùs Orientem orarent, sed tempus, orientem lucem, vt faciebat Dauid, cùm Psalmo 87. 14. dicebat, *Manè oratio mea præueniet te.* Cùm enim Manna primo manè decideret, ac colligeretur ante Solis exortum, ne eius calore liquesceret, instruebantur filij Israël, vt colligentes simul pro tam eximio beneficio gratias agerent.

Prima salutatio grata Deo. *Te adorare.* ἐντυγχάνειν, occurrere, obuiam prodire, siue adire, aut conuenire te; vt faciebant illi, qui primo manè ad fores Principum præstolabantur, vt egredientibus obuiam prodirent, ac salutem precarentur, quin & Diis prima hora nunciabatur, quasi quibus item primæ salutationes essent gratissimæ. Hinc à Paulo 1. ad Timoth. 2. 1. ἐντεύξεις dicuntur supplicationes, ac orationes, quibus Deum conuenimus, cum eóque de rebus nostris agimus.

29. *Ingrati.* Comparatur spes ingrati hyemali glaciei, quæ Sole exoriente liquescit, & aquæ fluenti inutiliter, quia non assequetur quod sperat: erit enim, vt dictum est cap. 5. *spes impij tanquam lanugo.* Ita hortatur Sapientia, vt sint homines grati, ac memores beneficiorum Dei, cúmque grato animo optimum, benignissimúmque patrem recognoscant, & omni vitæ tempore inuocent, & colant: nam sine hac gratitudine, & pietate vanissimæ sunt omnes hominum spes.

Gratos Deo esse oportet.



SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT XVII.

VETVS.

MAgna sunt enim iudicia tua 1. Domine, & inenarrabilia verba tua: propter hoc indisciplinatæ animæ errauerunt.

Dum enim persuasum habent iniqui posse 2. dominari nationi sanctæ: vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt.

Et dum putant se latere 3. in obscuris peccatis, tenebroso obliuionis velamento dispersi sunt, pauentes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati.

Neque enim quæ continebat illos 4. spelunca, sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes illis apparentes pauorem illis præstabant.

5 Et

NOVA.

MAgna enim tua iudicia, & narratu difficilia, propterea imperitæ animæ in errorem sunt inductæ.

Arbitrati enim iniqui se dominari genti sanctæ, vincti tenebris, & longa implicati nocte, tectis inclusi, exules æternæ prouidentiæ iacuerunt.

Siquidem occultis se peccatis latere arbitrati, obscuro obliuionis velamẽto dissipati sunt, grauiter perterriti, atque laruis perturbati.

Neq; enim quæ cõtinebat ipsos spelunca intrepidè custodiebat: sed sonitus pauore eos percellentes circumstrepebant, & spectra tristia mœstis vultibus apparebãt.

Et

5. *Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere; nec syderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.*

Apparebat autem illis 6. *subitaneus ignis, timore plenus: & timore perculsi illius, quæ non videbatur, faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur:*

Et Magiæ artis 7. *appositi erant derisus, & sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia.*

8. *Illi enim qui promittebant timores, & perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant.*

9. *Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat: transitu animalium, & serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant: & aërem, quem nulla ratione quis effugere posset, negantes se videre.*

10. *Cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæua, perturbata conscientia.*

11. *Nihil enim est timor, nisi proditio cogitationis auxiliorum.*

Et ignis quidem nulla vis poterat lucere: neque stellarum splendidæ flammæ illuminare sustinebant tristem illam noctem.

Apparebat autem illis solùm spontanea pyra timore plena, exterriti verò non visa illa visione, putabant peiora, quæ cernebantur.

Magicæ autem apposita erant ludibria artis, & ob prudentiam iactantiæ redargutio contumeliosa.

Qui enim pollicebantur timores ac terrores se depulsuros ab animo ægrotante, ipsi eodem timoris morbo ridiculè afficiebantur.

Etenim si nihil ipsos terrificum terruisset, bestiarum transitu, ac serpentum sibilis commoti peribant trepidantes: & nulla ex parte euitabilem aërem aspicere negantes.

Timida enim res est prauitas, proprio teste condemnata; semper autem assumit mala constricta à conscientia.

Nihil enim aliud est timor, nisi auxiliorum è ratione proficiscentium proditio.

12. Et dum ab intus minor est expectatio, maiorem computat inscientiam eius causæ, de qua tormentum præstat.

13. Illi autem qui impotentem verè noctem, & ab infimis, & ab altißimis inferis superuenientem, eundem somnum dormientes,

Aliquando monstrorum exagitabantur timore, aliquando animæ 14. *deficiebant traductione: subitaneus enim illis, & insperatus timor superuenerat.*

15. Deinde si quisquam ex illis decidisset, custodiebatur in carcere sine ferro reclusus.

16. Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri laborum operarius præoccupatus esset, ineffugibilem sustinebat necessitatem.

17. Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati, siue spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos auium sonus suauis, aut vis aquæ decurrentis nimiùm.

18. Aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus inuisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altißimis montibus Echo, defi- cientes

Intus autem existens minor expectatio, maiorem putat ignorantiam præbente cruciamentum causa.

Illi autem impotentem verè noctem, ac ex impotentis Orci speluncis aduenientem, eodem somno dormientes;

Tum monstris phantasmatum agitabantur; tum animæ dissoluebantur defectione: subitus enim, nec expectatus timor eis superuenerat.

Deinde sic quicumque ibi erat collapsus, in carcerem citra ferrum inclusus custodiebatur.

Nam si quis agricola, siue pastor erat, aut operarius solitariorum laborum præoccupatus, ineuitabilem sustinebat necessitatem.

Siquidem omnes vna tenebrarum catena constricti erant, siue flatus sibilans, siue dêlos inter ramos auium sonus suauis, ac numerosus; aut murmur aquæ euntis vi.

Aut sonus validus præcipitatorum saxorum; aut salientium animalium cursus non aspectabilis: aut vlulantium immanissimarum ferarum vox, siue Echo mon-

cientes faciebant illos præ timore.

19. *Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur.*

20. *Solis autem illis suppoſita erat grauis nox, imago tenebrarum quæ ſuperuentura illis erat, ipſi ergo ſibi erant grauiores tenebris.*

tium cauernis repercuſſa, metu illos exanimabat.

Totus enim mundus clara luce reſplendebat, atque non impeditis continebatur operibus:

Solis autem illis expanſa erat grauis nox, imago quædam earum tenebrarum, quæ illos erant exceptura: ipſi denique ſibi tenebris grauiores erant.

ARGVMENTVM.

Dei iudicia in puniendis impiis Ægyptiis declarat, quòd vellent Iſraëlem oppreſſum tenere. Sapientiſſimè, & elegantiſſimè deſcribit ſpiſſas tenebras tam externas, quàm internas, plenas timoris, quibus obducti latebant; & ſpectra horribilia, quibus inter illas terrebantur.

COMMENTARIVS.

1. DOmine. In nullo codice Græco reperitur hæc vox *Domine*, ſed quia facilè intelligitur, Vulgatus explicuit.

Inenarrabilia. Græcè, *narratu, memoratu,* ſeu *explicatu difficilia*: vix enim explicari poteſt, quàm grauis fuerit nona illa plaga tenebrarum, quæ Ægyptios occupauit, in qua multa acciderunt, Exodi 10. à verſu 21. prætermiſſa, quæ hoc loco ſunt adiecta. Sunt ergo iudicia Dei, quibus puniuit Ægyptios, difficilia narratu, quæ Paulus ad Roman. 11. 33. vocat *iudicia inſcrutabilia.*

De plaga tenebrarum.

Verbatua. Nec hæc ſunt in Græco, & inenarrabilia refert iudicia. Ad ſenſum autem verba hîc accipiuntur pro factis, per quæ Deus ſua exercit iudicia; dum cauſis ignoratis admiramur, cur hos tam grauiter puniat, illos verò incolumes tantis prodigiis ſeruet.

Verba pro factis.

Indiſciplinatæ. Indoctæ, ineruditæ, imperitæ animæ, & ignorantes illa iudicia, in errorem inductæ ſunt; ignoratione ſcilicet tuorum iudiciorum, quorum cognitio, ac meditatio homines in timore Dei continere poteſt. Ita ergo verba coordinanda. Propter hoc, quia ſcilicet iudicia Dei, quæ ſunt narratu, & explicatu adeò difficilia, putauerunt

Ægyptij inſcij iudiciorum Dei populum retinebant.

uerunt sese comprehendisse,& eis obsistere potuisse,animæ in illis indisciplinatæ, illorum imperitæ, & nequaquam expertæ, aut assuetæ eorum cognitioni, in errorem inductæ sunt;dum voluerunt illis sese opponere,& illis spretis, retinere nihilominus populum Dei:nam eo ipso misceriùs irretitæ perierunt.

Dominari: Arbitrati se vi ac iniusta dominatione oppressos iam tenere gentem sanctam, nempe filios Israël. hoc enim significat verbum Græcum oppressos tenere. quo ipso Lucas Actuum 10. 38. vsus est, cùm dixit de Christo: *Qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo.* 2.

Vinculis. Græcè, nomina sunt genitiuum regentia, vinctitij tenebrarum,& longæ noctis compeditij, *esclauos de las tinieblas, & aerrosador de la larga noche.* Sed quia insueta sunt nomina, Latinis verbis explicanda sunt, ad hunc modum, *vinculis tenebrarum, longæq́ noctis compedibus constricti.* Longam noctem appellat, quia tenebræ illæ horribiles Ægyptios occupauerunt per tres dies,& tres noctes,vt Exodi 10. 22. refertur. Longa nox trium dierum.

Inclusi tectis. Quia nemo mouit se de loco, in quo erat, vt dicitur Exod. 10. 23. qui enim erant in domiciliis, tanto timore occupati iacebant, & oppressi densitate tenebrarum; putantes totum mundum peruerti,ac dissolui,ob idque quocumque irent grauiora ventura mala,vt domi se continerent.

Exules ab æterna prouidentia. hoc est, expulsi, ac profligati à diuina prouidentia, quæ perpetuò homines visitat per dies singulos Solis claritate,qua toto illi triduo caruerunt.

In obscuris peccatis. Occultis peccatis, cùm existimarent se latere, quòd occulta essent eorum peccata, quasi Deo abscondi, ac celati possent. 3.

Tenebroso. Horrendis tenebris quasi velamento operti,sui inuicem obliti,dispersi iacebant: siquidem nemo vidit fratrem suum,nec mouit se de loco,in quo erat,vt dicitur in Exodo vel potiùs,quemadmodum tenebrarum velamento cooperiebantur, ita simili obliuionis diuinæ velamento subiacebant:siquidem quasi illorum oblitus Deus, non communicabat illis lucem, ceteris omnibus communem; & sic manebant exules à diuina prouidentia, vt iam dictum est, & dissipati à seipsis,& horrendo pauore perculsi. Exclusi à diuina prouidentia.

Dispersi sunt. Quia scilicet,vt dicitur Exod. 10. 23. nemo vidit fratrem suum,cùm densissimarum tenebrarum caligine offusi oculi,non possent aspicere:nam non sola luminis priuatione,sed tenebroso ipso aëre,qui crassissimorum vaporum admixtione densatus,& confertus, manu palpabatur, impediebantur ne se inuicem viderent. Crassitas aëris.

Cum admiratione nimia. Græcè, ἰνδάλμασιν, simulachris, laruis,seu phantasmatibus perturbati, à verbo ἰνδάλλομαι, appareo, videor,

Spectris delusi terrebantur. quòd præ timore Ægyptiis inter densas tenebras phantasmata, vel spectra apparere viderentur. Atque hæc in Exodo non legimus.

4. *Spelunca.* Pro latebra quacumque accipitur, in quam confugiebant, sed quia dictum est, nullum mouisse se de loco suo, videtur loqui de spelunca, in qua comprehendit aliquos illa plaga, è qua non sunt egressi, dum tenebræ permanserunt.

Intrepidè. Intrepidos, aut sine timore custodiebat: quamuis enim intra profundam speluncam se continuissent, at timore non poterant vllo vacare.

Sonitus. Soni cum impetu decidentes, vel percellentes strepebant circùm eos: hoc est, fragores tonitruum instar circumstrepebant, & terrorem incutiebant.

Et persona. Apparitiones, spectra, laruæ; mœstis vultibus, id est, in terram præ tristitia demissis, apparebant.

5. *Et ignis.* Ostendit nullo remedio luminum artificialium, facum, tedarum, aut lucernarum, potuisse Ægyptios illas tenebras vel paululum illuminare. Nam, vt ait Philo lib. 1. de vita Mosis, ignis, quo vtimur quotidie, vel aëre turbato extinguebatur, vel vincebatur à crassissimis tenebris: nam, vt diximus, crassissimorum vaporum admixtione refertus erat, qui lucem quamlibet extinguebat, vt verum esset, quòd nemo vidit fratrem suum.

Philo. Lucis artificialis vsus nullus.

Philo. *Neque stellarum.* Philo ibi, ita huius loci rationem reddit. sereno die repentè offusæ sunt tenebræ, continuis, densisque nubibus cœlum subtexentibus, & nimia constipatione interclusis radiis sydérum, vt dies nihil differret à nocturna caligine: tantus enim fuit horror, id est, densitas caliginosi aëris, vt non admitteret lumen sydérum propter horrendam crassitiem. & hoc est, neque stellarum splendidæ flammæ illuminare sustinebant, vel audebant tristem illam noctem, quia non poterant aërem crassum penetrare.

Lumen stellarum nullum.

6. *Subitaneus ignis.* Græcè, spontanea pyra. pyram vocat maximum cumulum ignium collucentium: nam inter densas tenebras, cùm nulla vel cœlestis, vel terrestris colluceret lux, sola pyra quædam, sponte, vltrò, vel casu emicans, illis sese obiectabat, terrorem incutiens, non ad consolationem.

Pyræ terror.

Et timore perculsi. Exterriti à non visa illa facie ignis, vel pyræ apparentis in tenebris, concipiebant adhuc animo maiorem horrorem, quàm illa externa species, non ita bene spectata præ se ferebat: cùm enim quædam in tenebris se videre viderentur quæ non poterant perfectè videre, peiora putabant quæ apparebant, quàm reipsa essent: huius causam infrà docet malam eorum conscientiam, quæ magis ipsos conturbabat.

7. *Appositi erant derisus.* hoc est, ludibria, illusiones, & præstigiæ aderant, quibus oculi eorum inani, & falsa specie rerum capti tenebantur:

Præstigiis terrebantur.

tur:delusi quidem, vt ipsi suis imposturis alios deluserant, vel Magos opposuisse suas magicas artes frustrà. Atque adeò pœnas debitas vanissimæ artis magicæ persoluebant. Versio Vatab.& Iansenius volunt, verbum κατέκειντο, hîc idem esse, quod, *posita erant*, seu *iacebant artis magicæ ludibria*; vt sit sensus, Illæ Magorum illusiones, quibus illudebant Pharaoni,& ceteris Ægyptiis contra Mosem, iam necquicquam poterant.

Et sapientia. hoc est, & redarguti sunt magno cum opprobrio ob sapientiam artis magicæ, de qua gloriabantur, cùm experirentur ni hil iam suam illam artem valere contra diuinam virtutem. vel, fuit contumeliosa redargutio magicæ sapientiæ, de qua Magi se iactabant, dum nihil illis prodesse viderent contra Dei supplicium, quo premebantur. Magicæ artis Ægyptiorum vanitas.

Illi enim. hoc est, Magi qui profitebantur animos perturbatos, ac territos, omni metu, ac perturbatione liberare, ipsi eodem timoris morbo ridiculè afficiebantur, qui ea quæ non erant, timebant. 8.

Nam etsi. Etiam si nihil terrificum ipsum metum attulisset, solo bestiarum transitu, solo serpentum sibilo, qui inter tenebras vagabantur, escas quærentes, consternati, tremore affecti interibant, nolebantque & ipsum aspicere aërem, quem euitare nulla ratione possent. Nam ita sunt affecti, qui timore corripiuntur, vt oculi eorum, cœlum, aërem, terramque refugiant. 9. Quiuis motus naturalis eos terrebat.

Cùm sit. Græca hoc in loco variant: nam Vaticanus codex ita legit, δειλὸν γὰρ ἰδίως πονηρία μαρτυρεῖ καταδικαζομένη; *cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnata.* Quam lectionem videtur secutus Vulgatus; secundùm quem, nequitia timida sui mali dat testimonium per conscientiam condemnationis. Gregorius lib. 27. Moral. cap. 18. legit, *dat testimonium condemnationi.* hoc est, testatur media conscientia hominem nequam condemnandum. Alij codices, vt Complutensis,& Regius legunt, δειλὸν γὰρ ἰδίῳ πονηρία μάρτυρι καταδικαζομένη: *timida enim res est nequitia proprio teste condemnata*, vel, *conuicta.* Nam dum conscientia tanquam fidus,& verus testis conuincit hominem de sua nequitia, timet ille quidem meritò, & dum manet improbitas, non est quo pellatur supplicij infligendi timor,& ita semper manet testimonium condemnationis, quod fert ipsa conscientia, quæ vt testis,& iudex hominem damnat. Vnde ipsa nequitia clamat, & testificatur media conscientia hominem obnoxium condemnationi, vt dixit Vulgatus; quare licèt variet lectio, sensus tamen idem ferè est. 10. Lectionis ratio. Gregorius. Consciẽtia mala timida.

Præsumit sæua. προσείληφε, *assumit, sibi repræsentat*: aut ea, quæ extrinsecùs offeruntur mala, ita suspicit, atque animo comprehendit vt adiungat semper aliquid. Suspicatur sæua, grauia, mala cum augmento. προείληφε legunt alij, præsumit, præoccupat, anticipat, præsagit, Maiora præsagit mala.

anteuertit,

anteuertit, animoque antè capit, ac cogitatione informat grauia mala. quam lectionem videtur secutus Vulgatus.

Perturbata conscientia. hoc est, nequitia perturbata à conscientia. Variant & hoc loco Græca. Codices Complutensis, & Regius, & Va-
Lectionis ratio. ticanus legunt, *συνεχομένη τῇ συνειδήσει*, contenta, vel delitescens in conscientia, vt dixit Vat. versio, vel coniuncta conscientia, vel comes conscientiæ. hoc est, nequitia, quæ delitescit, & continetur in conscientia, semper sibi timet supplicium. Alij legunt, *συναγχομένη*, constricta, coarctata, vel compressa sua conscientia, vel per conscientiam; hoc est, quod dixit Vulgatus, *perturbata à conscientia:* nam nequitia constricta, & turbata propriæ remorsu conscientiæ, hoc est, homo impius, & nequam semper sibi timet mala imminere constrictus, ac perturbatus conscientia, quæ illum arguit suæ nequitiæ. Eandem fe-
Plutarchus. rè sententiam latè tractat Plutar. & in lib. de Tranquillitate animi, cùm dicit: Facinorosa conscientia instar est in anima vlceris in corpo-
Consciẽtia mala vlcere premitur. re, vt pote, quæ pœnitentiam relinquat lancinantem iugiter, peruellentemque animam. Et in libro de sera Numinis vindicta, Malitia, in-
Flagitiosus crucem fert in se. quit, coniunctum, assiduoque ipsam torquentem, ac affligentem gestat dolorem: quemadmodum enim flagitiosus quisque vltimo affligendus supplicio, corpore suo propriam fert crucem, ita improbitas ex seipsa supplicium sibi struit, & cetera.

11. *Nihil enim.* Reddit communem rationem timoris iniquorum, quia videlicet, deserit, abiicitque auxilia, quæ cogitatio posset suppeditare ad euadendum malum, quod timet. *προδοσία* est defectio, ac destitutio earum rerum, quarum spe, ac fiducia animus bonorum, etiam in aduersis sustentatur; quæ fiducia cùm desit improbis, metuunt omnia malè sibi conscij. Est ergo metus diffidentiæ, ac malæ conscientiæ index, qui prodit omnia, quæ iuuare possent, ad sui de-
Metus quid. pulsionem. Cùm autem Vulgatus dicit, *proditio cogitationis auxiliorum* genitiuus ille, *cogitationis*, non regitur à nomine *proditio*, sed ab altero genitiuo, *auxiliorum*, quia metus nihil est aliud, quàm prodi-
Metus consilium adimit. tio auxiliorum à cogitatione ostensorum: conscientia enim per cogitationem subministrat media, & auxilia præbet, quibus homo sese tueatur, & defendat, timore depulso: nam *Metus adimit consilium*, vt dixit ille.

12. *Et dum.* Vulgati lectio hunc præbet sensum. Dum minùs expectatur ratio, seu modus euadendi malum quod timetur, maior existima-
Ignorantia causæ cruciatum auget. tur causa ignorata præsentis, quod cruciat, mali: nam ignorantia causæ; ob quam quis torquetur, auget calamitatem. Secundùm verò Græcam lectionem hic erit sensus. Interior expectatio, seu potiùs,
Sensus primus. metus mali venturi, minor quidem est quàm malum ignoratum, quod reipsa venturum est, & magis cruciat quàm res ipsa, vel causa præsens cruciamenti: cùm enim quis in se habet culpam conscientiam

cruciantem,

cruciantem, & incutientem metum futuri mali, quod quale, quantumque futurum sit ignorat, minus est quod reuera expectat vel timet, & deterius malum est, quod præsagit. Secundò videtur & hic verior sensus, propriè accepto nomine expectationis, seu spei, dum interior expectatio euadendi malum, quod timetur venturum, minor est; qui timet maiorem putat ignorantiam, hoc est, maius suspicatur malum ignoratum, quod futurum est, dum ipsum cruciat causa. Qui enim timet, habet in se scelus excrucians, quod est causa timoris, & hoc facit minùs sperare salutem, & euasionem mali; imò dum ignoratur malum imminens, quia nescit quantum futurum sit, auget metum, & cum eo cruciamentum, vt videas quantis malis implicetur qui peccat, & quantis catenatum vinculis constrictum teneat eum Deus. Addidit autem hanc sententiam Sapiens, ad magis declarandam præcedentem: cùm enim timor sit abiectio auxiliorum, quæ ratio suppeditat ad euadendum malum, qui timet minus, habet quo expectet mali euasionem, & ideo magis timet malum imminens ignoratum, dum habet in se causam cruciatus.

Sensus fœcundus.

Malũ ignoratum magis cruciat.

Mala implicant impium.

Illi autem. Oratio hæc suspensa est vsque ad versum sequentem. 13.

Noctem. Accusatiuus temporis est, qui totam illam tenebratum noctem insumpserunt, eundem somnum dormientes: aut, qui eodem somno dormierunt per totam illam noctem, ex inferis profundissimis quasi deductam, ob parem cum illis obscuritatem, & caliginem. Somnum dormisse dicit eos, qui fortasse toto illo triduo non potuerunt vel per momentum conquiescere: quòd longam illam noctem instar dormientium transegerint, nihil agentes inter densas tenebras, nisi quod dormientibus consuetum est agere in nocte.

Nox tenebratum.

Impotentem verè noctem. Quidam explicant inanem, quia reuera non erat nox, sed densissima illa caligo certo Dei iudicio impiorum mentibus offusa, vt eorum oculi perstricti, in clarissima luce meras tenebras esse arbitrarentur: ita nox non erat in natura rerum, sed in eorum falsa opinione, atque mentis illusione. Vnde fiebat, vt Hebræi, qui in terra Gessen habitabant, permixti Ægyptiis, eisque vicini, vt patet ex cæde primogenitorum, & ex eo, quòd in discessu commodato acceperunt à vicinis suis Ægyptiis bona eorum amotis oculorum præstigiis, quibus oculi Ægyptiorum tenebantur ne viderent lucem, luce cœlesti & ipsi fruerentur, siquidem, vt dicitur Exodi 10. 23. *vbicunque habitabant filij Israel; lux erat.* Verum difficilè intelligimus illas non fuisse veras tenebras, siquidem Scriptura dicit fuisse densissimas, & palpabiles in vniuersa terra Ægypti, aëre quidem crassissimorum vaporum admixtione densato. Quare Iansenio videtur impotentem idem esse quod intolerabilem. Verius dicemus, propriè noctem illam dictam impotentem metom metonymicè ab effectu,

Impotens nox, inanis.

Tenebræ mentis illusione contractæ.

Impotens nox, intolerabilis.

Nox impotens, infirma. debilem, infirmam, quòd Ægyptios impotentes redderet ad quoduis opus humanum, vel tenebrarum caligine impeditos, vel metu debilitatos: instar eorum, qui somno compediti nihil operantur: nam propterea dixit Ægyptios per totam illam noctem eundem somnum dormisse. Eadem ratione Orcum, seu infernum vocat impotentem;

Orcus impotēs quòd reddat impotentes. quòd suos hospites reddat impotentes, & imbecilles ad quoduis opus. Potest & hac ratione non impropriè nox illa verè impotens appellata

Nox impotens, immoderata. dici, sicut & infernus impotens, hoc est, nimis potens, & im moderata, quæ non possit Ægyptios non cruciare, quemadmodum tyrannum impotentem vocauit Quintilianus, cuius principatus esset immoderatus; & Cicero. 5. Philippica Antonium vocauit hominem impotentissimum, hoc est, sceleratissimum, qui sui, suorumque affectuum compos non esset. Ita igitur Ægyptij instar dormientium se habuerunt in illa nocte verè impotenti, immoderata, quæ nullum modum ponebat cruciatibus, & malis illatis Ægyptiis, cùm nox ad requiem data sit; nec quidē poterat id boni afferre fatigatis corporibus, quod ceteræ noctes afferre solent. Vnde quasi exorta videbatur ex profundissimis speluncis inferni impotentis, qui non potest vllum modum imponere malis, quibus afficit eos, quos in se continet, nec cruciamenta moderari ac temperare, sed cæco quodam impetu omnes excruciat. Itaque meritò nox illa impotens filia Orci impotentis putabatur.

Quintilianus. Cicero. Homo impotens qui sui non sit compos. Nox non potens modum imponere malis. Nox Orci filia.

14\. *Deficiebant* παρελύοντο, *dissoluebantur.* Vnde paralypsis dissolutio omnium vitium animæ, & quasi quædam effusio, atque liquefactio; quæ in Scriptura effluenti aquæ, aut ceræ liquescenti comparatur.

Traductione animæ. ψυχῆς, genitiuus est, qui regitur à nomine *traductione*; vnde suppositum verbi *deficiebant*, non est, *animæ*, sed Ægyptij dormientes eundem somnum per noctem illam triduanam, vt in

Animi deliquium patiebantur. præcedenti versu dictum est. Pro, *traductione*, est hoc loco nomen προδοσία, quod versu 11. diximus significare proditionem, traditionem, defectionem, vt sit sensus, quòd Ægyptij partim dissoluebantur animæ, seu vitium animæ defectione, aut desertione. Itaque duobus malis cruciabantur, exteriùs terrore à monstris apparentibus excitato; & interiùs animi deliquio.

Insperatus timor. Pro inexpectatus, seu inopinatus ponitur, qui Ægyptios inuaserat, vel irruerat.

15\. *Deinde*, hoc est, vbi quis in illum timorem cecidisset, ita cadebat, ac si carcere conclusus teneretur. Hoc est quod dixit Vulgatus, *Deinde si quisquam ex illis decidisset in eiusmodi timorem*; & quod Græca lectio tradit, *Deinde sic quicumque ibi erat collapsus*, id est, quicumque cecidisset ibi in Ægypto, sic timore inopinato; vel, quicumque ibi erat sic occupatus timore, collapsus in carcerem, &c.

Inferratum carcerem. Vocat absque ferro, citra ferrum: non enim

vinculis

vinculis ferreis,aut parietibus continebatur,sed defectione ex timore profecta.

Si enim. Siue agricola fuisset, siue pastor, siue cæsor lignorum, ea tempestate præoccupatus, non poterat effugere, vel euitare eam necessitatem. 16.

Agri laborum operarius. Græcè, aut in deserto operarius laborum, qui scilicet,in solitudine,vel eremo suscipiuntur; qui labores suscipit, qui in solitudine,vel deserto suscipi solent; vt sunt eorum, qui ligna cædunt.

Vna enim catena. Nam Ægyptij ita stupore,& horrore tenebrarum perstitêre immobiles, quasi essent vinculis, & catenis constricti, & tanquam in carcere,vel *in spelunca quapiam reclusi.* 17.

Spiritus sibilans. Aura tenuis,aut animalis cuiusvis respiratio.

Auium sonus suauis. garritus, aut cantus suauis ac numerosus, vox auium canora in vere,quo contigit exitus Israël de Ægypto.

Aut vis aquæ. aut murmur aquæ violenter decurrentis; seu, concentus aquæ euntis vi.

Aut sonus. aut sonus vehemens præcipitatorum saxorum. 18.

Aut ludentium. seu lasciuientium *animalium cursus inuisus.* Quarumcumque rerum motu terrebãtur. Hypotyposis.

Aut mugientium. ὠρυομένων, vlulantium, quod luporum est: nam mugire est boum. *Frementium*, vertunt quidam;alij *rugientium*,quod est leonum; sed per vlulatum luporum, ceterarum ferarum voces, fremitusque intelliguntur.

De altissimis montibus. Græcè, aut repercussa de concauitate montium echo;vel de cauernis altissimorum montium echo.

Omnis. Totus mundus,etiam vbi Ægyptij erant: nam, vt Roberto, ac Iansenio videtur,Sol tunc aërem illustrabat, ipsi tamen delusi tenebras se videre putabant; quæ sententia mox expendetur. Communis expositio hoc intelligit de reliquo orbe præter Ægyptum. 19. Totus orbis lucidus.

Et non impeditis. id est,natura habebat liberum, & non impeditum cursum operum suorum, quia natura rerum non impediebatur quominus opera sua obiret. Sed Ægyptiorum mens ita erat timore commota,vt tota rerum natura illis immutata,ac inuersa esse videretur.

Solis. Illis Solis erat effusa densissima caligo,qua & oculi tenebantur ne possent videre,& mentes ipsorum cæco timore perturbatæ,ac confusæ, nihil præter tenebras, horribilesque rerum formas conspiciebant. 20. In tenebris spectra conspiciebant.

Imago. Nox illa erat imago tenebrarum, quæ debebant eos excipere; vel,quæ debebant eis succedere: nam nox illa externa erat veluti vmbra, & imago infernarum tenebrarum, quæ præter externas, illis superueniebant: nam grauiores tenebras patiebantur interiùs timore perculsi, quàm erant externæ. Sed quia tenebræ internæ simul erant cum externis, nec hæ illis succedebant, aut superuenturæ erant, Tenebræ internæ grauiores externis.

 veriùs

veriùs exponemus, si eam esse intelligamus mortis, seu sepulcri descriptionem, imaginẽ tenebrarum, quæ superuenturæ illis erant: nam consueuit Scriptura diem calamitosum, aut locum, denique quamcumque grauem calamitatem, vmbram mortis, aut terram tenebrosam, seu tenebrarum appellare; quod idem est quod imago mortis, aut tenebrarum. Et Ieremias cap. 2. 6. solitudinem vocauit imaginem mortis. Ouidius quoque hac phrasi vsus somnum dixit esse gelidæ mortis imaginem. Vnde & Iob. 10. 22. sepulcrum, quod est mortis domicilium, caliginosum, & tenebris oblitum vocauit, *terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Erat igitur longa illa nox vmbra quædam, & imago vmbræ mortis, seu tenebrarum, quæ Ægyptios tandem erant excepturæ in inferno, vel potiùs in sepulcro: quæ sunt perpetuò duraturæ.

Nomine tenebrarũ ingens calamitas notatur.

Mortis domus, sepulcrum.

Tenebræ sepulcri succedunt tenebris externis.

Ipsi ergo. Græcè, *ipsi autem.* Tristitia summa, & metus, quem cõscientia sceleribus polluta excitabat grauiores se illos reddebat ipsis: nam vt liber à culpa, quòd liber idem sit à metu pœnæ infligendæ, hilaris sibi ipsi est, & summa potitur pace, ita scelestus, quòd metuat supplicium, grauior ipse sibi est, quàm quoduis cruciamentum.

Quæstio, De veritate tenebrarũ Ægypti.

Quæstio hoc loco sese offert discutienda, ad explicationem eorum, quæ paulò antè attigimus; quis modus fuerit, quæve ratio tenebrarum Ægypti; de quibus tot admiranda retulit hoc loco sapiens. Num reuera tenebræ illæ aërem occupauerint, an potiùs aëre illumito, oculi Ægyptiorum tenerentur ne eum viderent?

Sententia prima. Tenebras in oculis Ægyptiorum factas, nõ in aëre. Modus tenebratum.

Sententiam Iansenij, ac Roberti, cœpimus superiùs ostendere, quam & nonnulli alij secuti sunt, qui ingenuè asserunt, tenebras illas externas non fuisse factas in aëre, sed in oculis duntaxat Ægyptiorum: nam sole tunc aërem illustrante, ita occulorum acies impediebatur, vt delusi tenebras se videre putarent: vel percussi cæcitate, per potentiæ læsionem, vt accidit Sodomitis Genes. 19. & militibus regis Syriæ 4. Reg. 6. vel impedito lumine Solis, ne ad occulum perueniret, vnde verè in oculis Ægyptiorum esset priuatio luminis oculos diaphanos pertingentis, ac proinde tenebræ, quo rerum imagines, quæ oculos informarent, ne suo munere fungerentur, impediebantur. Hanc rationem intelligendi probabilem multa reddunt, quæ nisi hoc modo difficiles habent explicatus. In primis qua alia ratione exponi possunt illa verba huius cap. 17. 19. *Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur. Solis autem illis superposita erat grauis nox*, nisi dicamus, vniuersum orbem, etiam aërem, Ægyptum circumstantem Solis sereno lumine illusttatum, at solis Ægyptiis grauissimam illam noctem obiectam, dum oculi eorum cæcitate occlusi, claritatem illam videre non poterant. Quòd si dicas, totum orbem, alium à terra Ægypti

Ratio prima.

Obiectio.

pti esse accipiendum, responsum hoc falsum esse, ostendit particula rationalis *enim*, cùm dicitur, *Omnis enim orbis*; qua reddit Sapiens rationem dicti præcedentis, quo dixerat, Ægyptios vna catena colligatos tenebrarum, dissolutos metu, vel exanimatos, aut spiritu sibilante, aut auium cantu suaui, aut vehementi aquarum defluxu, aut ingenti sonitu saxorum præcipitatorū, aut lasciuientium animalium cursu inuiso, aut ferarum valido vlulatu, aut echo resonante. Nam, quasi tacitę obiectioni respondeat, à se ipso conquirentis, quî fieri posset, vt Ægyptiis tam longa nocte oppressis, & aëre crassissimo vapore densato, tenuis spiritus sibilaret, auesque inter opacos arborum ramos, numerosas ederent voces, aut homines essent, qui ingentia saxa præcipitarent, aut demum lasciuientia animalia per lusum discurrerēt, quæ nisi cælo sereno, atque hilari fieri non solent, vt concedamus defluxus aquarum, & vlulatus ferarum, & similia alia noctu fieri posse. Respondet, nimirum si hæc fierent in terra Ægypti, & Ægyptiis timorem incuterent; quia omnis orbis terrarum, etiam Ægyptus, limpido illuminabatur lumine; & non impeditis continebatur operibus, hoc est, idcirco illa animalia sua à natura concessa munera obibant, nec impediebantur ab operibus suis, quia luce Solis ipsa quoque illustrabantur, vt orbis vniuersus; solis autem ipsis Ægyptiis effusa erat grauis nox, dum oculorum ipsorum acies impediebatur ne lucem, qua totus aër illustrabatur, aspicerent. Deinde quo alio meliori modo explicari potest id quod dicitur Exodi 10.23. *Nemo vidit fratrem suum*. & Sap. 18.1. *Et horum quidem vocem audiebant, sed figuram non videbant*. & Sap. 17.5. *Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere*, quàm si dicamus propterea lumen nullum artificiale potuisse illis ad se inuicem videndum prodesse: quòd tenebræ illæ oculos occupabant Ægyptiorum, non aërem, qui si adeò densus esset, & crassus vaporibus, non possent in eo videre monstra apparentia, & terrificas laruas, & ignem subitaneum. Quòd ergo hæc cernerent, & alia nequaquam, non varietas eiusdem aëris crassi, aut rari; sed modus cæcitatis oculorum Ægyptiorum faciebat. Tertiò demum, vnde fiebat vt vbicumque habitabant filij Israël, lux esset, vt dicitur Exod. 10.23. *Et sanctis autem tuis maxima erat lux*, Sap. 18.1. cùm tamen filij Israël intermisti essent Ægyptiis, & vtrorumque domus coniunctæ; imò & personæ ipsæ audiebantur, licèt non viderentur, ac proinde commixtæ cum illis erant, constat id ex cap. 11. Exod. ver. 2. vbi dicitur, *Postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa argentea, & aurea*. & cap. 12.35. *Feceruntq; filij Israel, sicut præceperat Moyses, & petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea, vestémq; plurimam*. Constat quoque ex cap. 12. Exodi 13. vbi præcipitur filiis Israël perungere limen domorum sanguine, vt cùm Angelus peruaderet domos singulorum ad interficiendos primogenitos, præteriret domos Hebræorum vicinas Ægyptiis. Quòd

Solutio.

Totus orbis lucidus erat, in quo animalia sua obbant muneta.

Ratio secunda.

Ratio tertia.

Lux Israëli, & nox Ægyptiis conuictis in oculis.

ergo eumdem aërem haberent Ægyptij offusum tenebris,& filij Israë luce perfusum,non proficiscebatur ex ipso aëre,in quo necesse fuisset assidua,ac diuersa fieri miracula, vt quasi per orificia lux Solis transiret ad Hebræos,& occluderetur Ægyptiis; sed vnum satis erat miraculum cæcitatis, quæ oculos Ægyptiorum tenebat, ne lucem, quæ sine miraculo lucebat,viderent;& qua filij Israël perfruebantur, sicut in aliis diebus,& clariùs, ex collatione cum tenebris Ægyptiorum. Verba autem Exodi 10.quibus dicitur, Dei iussu extendisse Mosem manum in cælum,& factas fuisse tenebras horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus,tam densas, vt palpari possent, sic sunt accipienda,Mosem extendisse manum in cœlum aëreum, quo eo signo ostenderet Ægyptiis,tenebras,quas patiebantur per Mosem causa populi Israëlitici factas,& tales existimatas ipsis, acsi aër totus densis, & horribilibus tenebris esset circumcinctus.Nam quemadmodum *magicæ artis apposita erant ludibria,ad redarguendam Magorum ipsorum artem, qui delusi pleni timore languebant*, vt dicitur versu 7.huius capitis, ita & tenebræ illis apparebant,vt omnino omnes hæc ludibria paterentur;& aërem,quem nemo potest euitare,videre se negarent.Vnde transitu animalium,& serpentum sibilatione commoti, tremebundi peribant,vt dicitur versu 9.Quomodo autem animalia transibant, & serpentes serpebant,aues cantabant,& lasciuientia animantia discurrebant per aërem adeò densum,& vaporum crassitudine confertum, per quem ipsi Ægyptij non poterant se mouere:siquidem *nemo mouit se de loco suo*,sed quasi ferreis vinculis compediti,subsistebant præ stupore,ac horrore? Deinde si tam crassus ac densus erat aër vaporum copia,vt eum nec lux Solis,aut stellarum,aut quorumcumque artificialium luminum posset penetrare,& illuminare, quomodo vel ipsis hominibus,& animalibus vitalis esset, & aspirationi, respirationíque aptus esset; & non potiùs illo suffocati omnes interibant? Vt ergo has omnes,& similes difficultates superare possimus,satius est has triduanas tenebras oculis Ægyptiorum adiicere;& vniuersum aërem illuminatum,vt natura solebat illuminari,relinquere.

Tenebræ quî palpabiles.

Delusi aërë tenebris offusum videre se putabant.

Si adeò spissus aër erat, quomodo non interibant homines.

Sententia secunda. Aërem fuisse tenebris obductum. Philo.

Sententia altera præcedenti opposita pluribus,ac grauioribus placuit,reuera totum Ægypti aërem fuisse tenebris obductum, & ita eleuatione vaporum multorum crassissimorum admixtione condensatum,vt tactum admitteret,fierétque palpabilis.Sic sentit Philo in lib.1. de vita Mosis,his verbis:Sereno die repentè offusæ sunt tenebræ,continuis,densísque nubibus cælum subtexentibus,& nimia constipatione,interclusis radiis syderum,vt dies nihil differret à nocturna caligine;illíque per omnia suffragatur Paulus Burgensis super Exodum; & ex parte Lyra,Tostatus,Caietanus,& Holcoth hoc loco; & probatur ipsis verbis Exodi 10.quæ durè admodum à propria significatione abstrahuntur.Iussus est Moses extendere manum in aërem,vt fierent

Ratio ex verbis Exodi.

ten-

tenebræ in vniuersa terra Ægypti, præterquàm in terra Gessen, vbi habitabant filij Israël. Ergo verè, & propriè oppleuit tenebris aërem circumsidentem vniuersæ terræ Ægypti, & non tantùm Ægyptiorum oculos. Deinde, densitas qualitas aëris est, & quòd sit palpabilis, ex crassitudine prouenit, quæ aëri ipsi conuenit, non oculorum cæcitati; ergo verè aër tenebris offusus est. Ratio secunda.

Potéstque vtcumque pro hac sententia tuenda responderi ad alterius rationes. Ad primam, vniuersum orbem, præter Ægyptum, limpido illustratum lumine, ipsam quoque terram, vbi habitabant filij Israël, in qua res naturales sua munera obibant, atque in illa existimari debet canoras auium voces editas, & animalium lasciuientium lusus factos, & similia, quæ audiebantur ab Ægyptiis, sicut & voces Hebræorum, & metu dissoluebantur. Ad alteram ex densitate, & crassitudine aëris prouenisse, quòd nemo videret fratrem suum, neque lumine artificiali posset se iuuare. Quòd si monstra, & ignis subitaneus videbantur, id fiebat peculiari miraculo; vel tantùm per imaginationem, cùm hæc sufficeret ad metum incutiendum. Ad tertiam rationem dicimus, difficilè intelligi discrimen aëris illuminati, & offusi tenebris, in Ægyptios intermixtos Hebræis; at Deus ingenti miraculo ita moderabatur lumen Solis, & syderum, vt ad Hebræos perueniret, non autem ad Ægyptios, quorum oculis offusa erat illa aëris caligo; itaque licèt aër esset illuminatus, oculi tamen Ægyptiorum eius luce non fruebantur, quòd aër oculis eorum circunstans crassitudine sua prohiberet. Ab obiecta responsio. Ad primam rationem. Ad secundã rationem. Ad tertiam rationem.

Ad explicationem adiectam verbis Exodi, dicendum est, durè admodum ad tenebras phantasticas redigi verba, quæ suam habent proprietatem, de externis tenebris explicata. Ad expositionem verborũ Exodi.

Quòd autem mouerentur animalia, non homines, ex horrore, & pauore oriebatur; qui in hominibus vehementior erat, propter internum scelus, quod illius timoris causa erat; non interibant autem suffocati crassitudine aëris vel homines, vel animalia; quòd densus erat aër ad tenebras obiiciendas, non adeò tamen, vt respirationem impediret. Et hæc sint dicta pro difficilis quæstionis dissolutione: nam prior opinio sua probabilitate non caret, quòd rationibus nitatur non leuibus. Animalium motus ex pauore.

SAPIEN



SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT XVIII.

Vetus.

1. *Sanctis autē tuis*
maxima erat
lux, & horum
quidem vocem
audiebant, sed figuram non videbant.
2. *Et quia non & ipsi eadem*
passi erant, magnificabant te:
3. *Et qui antè læsi erant, quia*
non lædebantur gratias agebant: 4. & vt esset differentiæ donum petebant.
5. *Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, & Solem sine læsura boni hospitij præstitisti.*

Digni quidem illi carere luce, & pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant
filios tuos, 6. per quos incipie-
bat incorruptum legis lumen seculo dari.
7. *Cùm cogitarent iustorum*
occi

Nova.

Sanctis autem tuis maxima erat lux, quorum quidem vocem audientes, figuram autem non videntes, quod non quidem & ipsi passi essent, beatos prædicabant.

Quoniam autem non læderent iniuria antè affecti gratias agebant, & inimicitiarum veniam orabant.

Pro quibus inflammatam columnam, ducem quidem ignotæ profectionis, solem verò innocuūm honorificæ peregrinationis exhibuisti.

Nam digni quidem illi priuari luce, & custodiri in tenebris, qui inclusos custodiebant filios tuos, per quos debebat incorruptum legis lumen seculo dari.

Cùm decreuissent autem
ipsos

occidere infantes: & vno exposito filio, & liberato, in traductionem illarum, multitudinem filiorum abstulisti, & pariter illos perdidisti in aqua valida.

8. *Illa enim nox antè cognita est à patribus nostris,* 9. *vt verè scientes quibus iuramentis crediderunt, animæ quietiores essent.*

10. *Suscepta est autem à populo tuo sanitas quidem iustorum, iniustorum autem exterminatio.*

11. *Sicut enim læsisti aduersarios: sic & nos prouocans magnificasti.*

12. *Absconsè enim sacrificabant iusti pueri bonorum, & iustitiæ legem in concordia disposuerunt:* 13. *similiter & bona, & mala recepturos iustos,* 14. *patrum iam decantantes laudes.*

15. *Resonabat autem inconueniens inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium.*

16. *Simili autem pœna seruus cum domino afflictus est, & popularis homo regi similia passus.*

Similiter ergo omnes 17. *vno nomine mortis mortuos habebant*

ipsos Sanctorum occidere infantes vnusque expositus, & seruatus ad redargutionē fuisset, orbasti illos multitudine liberorum, & vnanimiter perdidisti in aqua vehementi.

Illa nox præcognita fuit patribus nostris, vt securè scientes quibus crediderant iuramentis, bono forent animo.

Suscepta est autem à populo tuo salus quidem iustorum, hostium verò perditio.

Vt enim puniuisti aduersarios, eo nos vocatos glorificasti.

Occultè enim sacrificabant sancti pueri bonorum, ac diuinitatis legem in concordia disposuerunt, eorum pariter & bonorum, & periculorum participes futuros iustos, patrum iam præcinentes laudes.

Resonabat autem dissonus inimicorum clamor, & miserabilis dispergebatur vox ploratorum infantium.

Simili autem pœna seruus cum domino punitus, & popularis eadem cum rege patiens.

Pariter enim omnes in vno nomine mortis mor-

bant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum viui sufficiebant: quoniam vno momento quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est.

18. *De omnibus enim non credentes propter veneficia, tunc verò primum cùm fuit exterminium primogenitorum, sponderunt populum Dei esse.*

19. *Cùm enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet.*

20. *Omnipotens sermo tuus de cælo à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit.*

21. *Gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans repleuit omnia morte,*

22. *& vsque ad cælum attingebat stans in terra.*

Tunc continuo 23. *visus somniorum malorum turbauerunt illos, & timores superuenerunt insperati.*

Et alius alibi 24. *proiectus semiuiuus, propter quam moriebatur, causam demonstrabat mortis.*

25. *Visiones enim, quæ illos turbauerunt, hæc præmonebant,*

tuos habuerunt innumeros. Neque enim ad sepeliendum viui erant sufficientes, quia ad vnum momentum honoratior eorum proles abolita est.

Qui enim nihil credebant propter veneficia, in primogenitorum interitu confessi sunt Dei filium populum esse.

Tacito enim silentio tenēte omnia, & nocte in propria celeritate dimidiata.

Omnipotens sermo tuus à cœlis, ex sedibus regalibus asper bellator in medium terræ exitio destinatæ desiliit.

Gladium acutum, non simulatum imperium tuum ferens; & stans omnia morte impleuit, ac cœlum quidem attingebat, descenderat verò in terram.

Tunc repentè visiones quidem somniorum grauiter turbarunt eos, timores verò institerūt inexpectati.

Et alius alio abiectus semimortuus, quam ob causam moreretur ostendebat.

Nam somnia, quæ turbauerunt eos, hoc præsignificabant,

ne inſciÿ, quare mala patiebantur, perirent.

26. *Tetigit autem tunc & iuſtos tentatio mortis, & commotio in eremo facta eſt multitudinis: ſed non diu permanſit ira tua.*

27. *Properans enim homo ſine querela deprecari pro populo, proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum, orationem, & per incenſum deprecationem allegãs, reſtitit iræ, & finem impoſuit neceßitati, oſtendens quoniam tuus eſt famulus.*

28. *Vicit autem turbas, non in virtute corporis, nec armatura potentiæ, ſed verbo, illum, qui ſe vexabat, ſubiecit, iuramenta parentum, & teſtamẽtum commemorans.*

29. *Cùm enim iam aceruatim cecidiſſent ſuper alterutrum mortui, interſtitit, & amputauit impetum, & diuiſit illam, quæ ad viuos ducebat, viam.*

30. *In veſte enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum:* 31. *& parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta, & magnificentia tua in diademate capitis illius ſculpta erat.*

His autem ceßit, 32. *qui exterminabat, & hæc extimuit: erat enim ſola tentatio iræ ſufficiens.*

cabant, ne ignorantes cur mala paterentur, perirent.

Tetigit autem etiam iuſtos tentatio mortis, & clades in deſerto facta eſt multitudinis, ſed non diu permanſit ira:

Properans enim vir irreprehenſibilis propugnauit, proprij miniſterij arma, precationem, & incenſi propitiationem ferens, reſtitit iræ, & finem impoſuit calamitati, oſtendens quoniam tuus eſt famulus.

Vicit autem vaſtatorem non viribus corporis, nec armorum efficacia, ſed verbo punientem ſubiecit, iuramenta patrum, & teſtamenta commemorans.

Aceruatim enim iam mortuis iacentibus, aliis ſuper alios, in medio ſtans, præcidit iram, & interrupit ad viuos viam.

In talari enim tunica veſtimenti erat totus mundus, & patrum gloriæ in quadruplicis ordinis lapidis ſculptura: & maieſtas tua in diademate capitis illius.

His exterminator ceſſit, hæc verò extimuit: ſola enim iræ experientia ſufficiebat.

ARGVMENTVM.

Adhuc confert Hebræorũ felicem sortem cũ infelici Ægyptiorum, siquidem hi offusi tenebris, illi Solis illustri perfruebantur luce, imò Deum viæ suæ prælucentem habuerunt. Deinde insigni antithesi amplificat beneficium seruati populi Israëlitici, occisis priùs Ægyptiorum primogenitis, & posterius patribus in mari rubro; ostendit & ipsos Israëlitas in eremo aduersitate probatos, vt filios, à qua sacerdotis precibus sunt liberati.

COMMENTARIVS.

1. Sanctus populus. *Sanctis.* Populo Israëlitico, qui, quòd veri Dei cultui dicatus, sanctus dicitur, iuxta illud Psalmi 103. *facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas eius.* Israëli ergo splendidissima lucebat lux, quia vbicunque habitabant filij Israël lux erat, vt dicitur Exod. 10.23. meritò filij lucis appellandi, quòd Deo seruirent, sicut Ægyptij filij tenebrarum. Filius lucis.

Et horum. &c. quorum scilicet Sanctorum Israëlitarum, cùm Ægyptij voces audirent, at eos videre non possent præ tenebrarum densitate: quod non & ipsi Israëlitæ paterentur, beatificabant eos Ægyptij, aut beatos prædicabant. Secundum sensum adiiciunt alij, relatiuum, *quorum*, referentes ad Ægyptios, de quibus in calce capitis 17. dictum erat, *Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris*, quorum Ægyptiorum Israëlitæ vocem audientes flebilem, figuram autem non videntes, quòd offusi essent tenebris, quòd & ipsi, nempe Hebræi, non fuissent passi eadem quæ illi Ægyptij, beatificabant se, vel te. Vtrumque sensum præbent nobis tam Græca lectio, quàm Latina, quòd relatiuum, *quorum*, tam Israëlitis, quàm Ægyptiis potest accommodari. Ex visa afflictione Ægyptiorũ Israelitæ beati habebantur.

2. Lectionis ratio. *Et quia non.* In Græcis diuersitas est huius hemistichij. Nam codices omnes Græci communiter cum negatione legunt, cũ quod non & illi passi essent; quæ verba de Israëlitis debent intelligi, qui videntes quòd ipsi non eadem passi fuissent, quæ Ægyptij, magnificabant Deum, & hanc legendi rationem Vulgatus, & recentiores omnes Interpretes secuti sunt. Vaticanus tamen codex legit affirmanter, quoniam quidem & illi passi erant, vt sermo sit de Ægyptiis, ad hunc sensum, Et Israëlitæ videntes quidem, quòd illi, nempe Ægyptij, passi erant tenebras illas densissimas, cum iis, quæ illis sunt adiuncta, Deo vltionem sumente ob iniurias ipsis Israelitis illatas, beatificabant, vel se, vel te, ô Deus. Sed prior lectio verior, quàm communis, & Vulgato conformis.

Magni

Magnificabant te. ἐμακάριζον, *beatificabāt*; absolutè, absque vllo prædicato, quod tamen supplendum est: nam si de Ægyptiis sermo sit, qui videbant Israëlitas non pati, quæ ipsi patiebantur, tunc Ægyptij intelligendi sunt, quòd beatificabant eos Israëlitas, ob tam certam felicitatem. Si de Israëlitis, qui videbant Ægyptios pati, vel se non pati quæ illi, sic accipiendi sunt, quod beatificabant seipsos, vel potiùs, te, ô Domine, vt accepit Vulgatus, cui acceptum referebant tantum beneficium. Et hic sensus consonat versui sequenti, in quo Israëlitæ gratias agebant Deo, quòd non ipsi læderentur. Dei beneficium non pati, quæ alij.

Et qui. Græcè, quoniam autem non lædunt antè iniuria affecti, gratias agebant. hoc est, quòd autem Israëlitæ non læderent tunc Ægptios, seseque vlciscerentur cùm possent, præsertim ob tot illatas ipsis acceptasque iniurias ab illis Ægyptiis, gratias eis agebant ipsi Ægyptij. Et hunc sensum lectio Græca manifestè porrigit, cui Latina lectio potest accommodari hoc modo. Et quia Ægyptij non lædebantur ab Israëlitis, qui antè ab ipsis læsi fuerant; gratias illis agebant. Potest secundò ita explicari hæc sententia de Israëlitis. Et quoniam Ægyptij tunc non aliqua in re nocerent, tenebris impediti, & immobiles in loco, vbi erant manentes, antea affecti iniuria ab Israëlitis, quorum causa tantis plagis cruciabantur, gratias Deo agebant. Sic & Vulgatus accipiendus. Et quia tunc non lædebantur ab Ægyptiis, qui antè læsi fuerant variis calamitatibus, & plagis superioribus afflicti, gratias Deo agebant. Tertiò possunt & sic explicari hæc verba. Quia modò non lædebantur ab Ægyptiis Israëlitæ, qui antè læsi erant ab eis, gratias agebant Deo. quod Græcè dictum est, quoniam autem non lædunt, vel lædebant Israëlitas Ægyptij, quos antè ipsi Ægyptij iniuria affecerant, gratias Deo agebant. Vulgatus Græcum verbum actiuum, *non lædunt*, passiuè interpretatus est; vt idem sit, & qui antè iniuria affecti fuerant Israëlitæ, quia modò non lædunt ipsos Ægyptij, vel non lædebantur ab ipsis Ægyptiis, gratias Deo agebant, vel ipsis. 3. Sensus primus. Sensus secundus. Sensus tertius.

Et vt esset differentia, donum petebant. Græcè, καὶ τοῦ διενεχθῆναι. Complutensis, & regius intetpres vertunt, *& differendi gratia orabant*, hoc est, orabant vt esset differentia inter vtrumque populum, Ægyptiorum, & Hebræorum. Propriè, *& quòd inimicati essent*, vel, *quòd se inimicè erga ipsos gessissent*: quòd contendissent, pugnassent, aut inimicitias, vel differentias aduersùs ipsos exercuissent, gratiam orabant, aut condonari petebant. hoc est, Ægyptij Israëlitarum inimicitias deprecabantur, ac recusabant; petebant ne ipsos Israëlitæ vt inimicos tractarent, vt possent; nolebant Israëlitas habere inimicos, quos metuebant. Videbant illos habere summam vlciscendi facultatem, deerat tantùm voluntas, quæ in animo offenso, atque inimico inest; idcirco postulabant hanc gratiam ab illis, ne inimicarentur, ne scilicet inimicitias ad ipsos exercerent; quod dixit Vulgatus, *vt esset differen-* Ægyptij pacem ab Israëlitis postulabant.

tia,hoc eſt,vt longiùs ſecederent,& à ſeipſis diſcederent, poſtulabant: ſæpe enim plagis affecti, & calamitatibus afflicti eos abire compellebant. Vnde Exodi 10. 7.dixerunt ſerui Pharaonis ad eum. *Vſque quò patiemur hoc ſcandalum, dimitte homines vt ſacrificent Domino Deo ſuo: nonne vides quòd perierit Ægyptus?*& cap. 12.33.*Vrgebant Ægyptij populum de terra exire velociter dicentes: Omnes moriemur.*

4. *Donum petebant.* χάριν ἐδέοντο *gratiam*,aut *veniam orabant*;hoc ſibi donari poſtulabant; hanc gratiam petebant,ne cum illis ſe gererent, tanquam cum inimicis: vt relinquerentur illæſi: vt longiùs abirent; & eſſet differentia,longúmve interuallum inter vtrumque populum.

Sunt qui de ipſis Iſraëlitis, iuxta præcedentem, explicent hanc periodum,hoc modo:Et vt ab ægyptiis differrent, & remouerentur ab eorum inimicitiis, tanquam donum, & gratiam eximiam à te petebant, ô Domine. Aut obſecrabant te,vt inter ſe, & ægyptios ſemper eſſet ſimilis differentia, vt ipſi quidem diuinis gauderent beneficiis: illi verò duriſſimis,vt merebantur,afficerentur ſuppliciis.

De Ægyptiis. Duo verſus præcedentes etſi de Iſraëlitis explicari poſſint, veriùs tamen,& ſimpliciùs intelliguntur de ægyptiis, qui Iſraëlitarum vocem audientes,figuram autem minimè videntes, quòd ab iis,quibus ipſi afficiebantur ſuppliciis eſſent liberi,beatos prædicabant: & quòd non ſeſe vlciſcerentur, antè variis iniuriis laceſſiti,gratias eis agebant, & inimicitiarum præteritarum veniam poſtulabant, & vt à ſe abirent, rogabant.

5. *Propter quod*, ἀνθ' ὧν, *propter quæ*,vel,*pro quibus.* Hæc particula poteſt eſſe rationalis, & habere rationem cauſæ,relata ad res, & ſic dicat: Propter quæ ægyptiorum ſupplicia, vel anguſtias tenebrarum, intra quas conſtricti tanquam inter catenas, continebantur, & grauiter dolebant audientes voces Hebræorum, eos tamen non videntes,liberos tamen à ſuis calamitatibus inuiti licèt beatificabant, & petebant vt ſe inultos relinquerent, pro hoc tanto ſupplicio tenebrarum ægyptiorum,vel pro quibus tenebris, ducem te præbuiſti itineris Iudæis per columnam ignis,& nubis. Nam vt ſuprà cap.16. 20. cibum Mannæ contulit cum plaga priuatorum fructuum, dicens, *Et quodam tempore in aqua ſupra virtutem,ignis exardeſcebat vndiq; vt iniqua terra nationem exterminaret.* ἀνθ' ὧν, *pro quibus Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis*; ita modò plagæ tenebrarum ægyptiorum, & anguſtiarum, quibus conſtringebantur,opponit beneficium columnæ ignis & nubis,Iſraëlitico populo in profectione collatum. Vnde ſequitur de ægyptiis; *Digni quidem illi carere luce, &c.* Vel propiùs ad rem, Quia ægyptij poſtulabant Iſraëlitas abire,& longè à ſe recedere, conſtricti anguſtia plagarum, quibus afficiebantur; propterea tu, ô Domine, eduxiſti eos de Ægypto, & itineris ducem te præbuiſti, per columnam ignis, & nubis.

Ægyptij Hebræos abire rogabant.

Cibus Mãnæ cum cibis Ægyptiorũ collatus.

Tenebræ cum columna ignis, & nubis collatæ.

Senſus ſecundus.

nubis. Poteſt deinde particula illa referri ad perſonas Iudæorum, pro quibus ducendis, tuendiſque illa itineris adiumenta præbuiſti, quæ referuntur Exod.13.21. illis verbis: ***Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: vt dux eſſet itineris vtroque tempore. Numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo.***

Senſus tertius.

Habuerunt. Verbum hoc non eſt in Græco: nam accuſatiuum illum *ardentem*, ſeu inflammatam columnam regit verbum, *præſtitiſti*, ſicut & accuſatiuum, *ſolem*: eſt tamen adiectum gratia claritatis; non enim ſenſui nocet.

Boni hoſpitij. φιλοτίμου ξενιτείας, honorifici hoſpitij, vel honorificæ peregrinationis: nam deſertum vocat hoſpitium, in quo egere, & hoſpitati ſunt quadraginta annis Iſraëlitæ; erat autem Deus, qui eos eo hoſpitio excipiebat, & honorificè, vt tantum decebat hoſpitem, prouidebat omnia; vnde & velamento nubis ab æſtu liberabat, & à noctis tenebris ingenti face columnæ ignis lucem afferebat.

Deſertum hoſpitium populi.

Quæſtionis implicitæ nobis præbent explicationem probabilem verba huius verſus, de nubis illius, quæ filios Iſraël proficiſcentes in terram promiſſam, comitabatur, natura, & conditione; eſſétne vna, eademque, quæ & protegebat ab æſtu, & quæ interdiu præducebat exercitum, & quæ noctu illuminabat. Et ne in referendis opinionibus longiores ſimus, illa tantùm breuiter proferamus, quæ videantur veroſimiliora, & Scripturæ ſacræ magis conſona.

Quæſtio. De nubis populi ducis natura.

Primum autem verius comprobatur, nubem caſtra Iſraël protegentem ab æſtu diuerſam fuiſſe à nube, quæ præducebat exercitum. Et in primis cùm Scriptura frequenter vtramque nubem coniungat, tanquam geminum beneficium populo illi collatum, oſtendit profectò diuerſas fuiſſe nubes: ſic enim ait Moſes Numer. 14. 54. ***Audierunt habitatores terræ huius, quòd tu Domine in populo iſto ſis: & nubes tua protegat illos; & in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem.*** Pſalmo 104.39. ***Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis per noctem.*** Sapientiæ 10.17. ***Deduxit illos in via mirabili, & fuit illis in velamento diei, & in luce ſtellarum per noctem.*** Et in hoc capite verſu 3. ***Ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, & Solem ſine læſura boni hoſpitij.*** Diuerſa ergo nube protegebat populum ab ea, quæ viam præmonſtrabat. Deinde vterque nubis vſus, & officium non potuit præſtari per vnam, & eandem nubem, neceſſe ergo eſt fuiſſe diuerſam: id patet, quia nubes, quæ protegebat totum populum à ſolis ardoribus, in ſublimi aëre obtenta erat, atque oppanſa Soli ex ea parte, qua ſuis radiis ſol feriebat caſtra, atque ita Solis motum ſequeretur retro etiam, aut ad latera, vt ei ſeſe obiiceret: non poterat ergo præiſſe cæſtra, nec operire tabernaculum Domini ſupra ipſum manens. Quòd ſi tanquam dux præibat iter præmonſtrans, aut

Nubes ab æſtu defendens non præducebat exercitum.

Ratio prima.

Ratio ſecũda.

fixis

fixis castris, ipsi tabernaculo superhærebat, tanquam columna, quî fieri posset, vt à Solis æstu vndiquaque discurrentis protegeret totum populum, tamquam nubes expansæ. Tertiò, diuersitatem nubis ostēdit Scriptura ipso nomine: siquidem nubem à Solis ardoribus protegentem, nubem tantùm semper appellat, vt Numer. 14. 14. & Psal. 104. quæ paulò antè retulimus. & Sap. 19. 7. nam nubes castra eorum obumbrabat; quòd instar nubis expansæ Solis æstum impediret, & arceret. At nubem præmonstrantem iter communiter vocat columnam nubis, vt Exod. 13. 21. Nume. 14. 14. Deutero. 1. 33. Psalmo 96. Sap. 18. 3. quòd similis esset columnæ quantum ad rectitudinem, & figuram; quamuis quantum ad calorem, & qualitatem materiæ nubi erat similis: erat enim angusta secundùm crassitudinem: secundùm altitudinem autem versùs cælum ingentis proceritatis; sempérque manebat, quòd vsus eius semper fuit necessarius, cùm altera non semper, quia Solis ardores arcere non omni tempore fuisset opus. Rectè ergo ex dicto Sapientis in hoc loco deduximus, diuersam esse nubem ducem ignotæ viæ, ab ea quæ reddebat Solem innocuum.

Ratio tertia.

Columnæ nubis figura.

Secundum quoque satis nobis certum ostendit suis verbis Sapiens columnam præmonstrantem iter Hebræis per desertum, siue diu, siue noctu, eandem fuisse, diuerso affectam modo: dum enim ignis columnam ducem ignotæ viæ condistinguit à nube solem innocuum reddēte, ostendit columnam ignis, & columnam nubis ducem ignotæ viæ non fuisse diuersam, idque locus Numer. 9. 21. satis comprobat, vbi columnam nubis dicitur, tam die, quàm nocte manere solitam super tabernaculum: cùm ergo columna ignis noctu maneret super tabernaculum, eadem erat quæ columna nubis: sic autem dicitur ibi: *Si fuisset nubes à vespera vsque mane, & statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebātur & si post diem, & noctem recessisset, dissipabant tetoria: si autem biduo, aut vno mense, vel longiori tempore fuisset super tabernaculum, manebant filij Israël, &c.* Tum deinde verba Exodi 14. 19. hoc manifestant: *Tollens se Angelus Domini qui præcedebat castra Israel, abijt post eos: & cùm eo pariter columna nubis priora dimittens post tergū, stetit inter castra Ægyptiorum, & castra Israel: & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valeret.* Quæ verba sic explicatiùs tradit Chaldæus, Et recessit Angelus Domini, qui gradiebatur coram castris Istaël, & abiit post eos, & recessit columna nubis à facie eorum: & stetit post tergum eorum: & ingressa est inter castra Ægyptiorum, & inter castra Israël: & erat nubes, & obscuritas Ægyptiis, Israëli autem erat lux tota nocte: & non accesserunt ad se inuicem tota nocte. Nubis igitur columna ea nocte præcedebat Israëlem, & postea tenebris offudit Ægyptios, & lucem præbuit Israëlitis, & dicta est columna nubis, & ignis eadem cùm esset. Vnde statim eo capite versu 24. subditur: *Iamq; aduenerat vigilia*

Nubes præmōstrat iter diu, noctúque eadem.

Ratio prima.

lia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum. Eandem illam columnam, quæ versùs Ægyptios erat obscura, & versùs Israëlitas illuminans, vocat ignis, & nubis; quo ostendatur vnam fuisse quæ nocte ignea erat, & die lucida, & candida, vt nubes. Idem ipsum planè tradit Philo lib. 1. de vita Mosis his verbis: Fertur, illo tempore accidisse ingens naturæ miraculum, quale nunquam auditum fuerat post hominum memoriam. Præcedebat populum nubes in magnæ columnæ speciem, solari splendore lucens interdiu, noctu autem flammeo, vt eius ductu absque periculo erroris incederent. Diuerso antè modo cùm columna nubis affecta fuisset: nam noctu splendida vt ignis, instar cœlestium syderum, illuminabat castra Israëlis: interdiu lucida vt nubes suum ducatum præstabat: dicebatur columna ignis, & nubis. Poterat autem hæc diuersitas contingere, vel in ipsa columna, quæ ex igneo, flammeoque splendore mutabatur in colorem nubis, vel in videntibus eam, eo quòd ipsa semper ignea, flammeaque existens, vt preciosi lapides, aut, vt stellæ, noctu quidem inter noctis tenebras sese ostendebat, vt ignem emicantem flammas lucidas; at interdiu propter lucem Solis, suum remittebat splendorem, & nubem colore referebat. Priorem modum verba Exodi ostendunt, posteriorem verba Sapientis hoc loco, qui columnam igneam, aut flammeam vocat ducem ignotæ viæ, quia interdiu, cùm dux erat populo, ignea erat, licèt remisso splendore obiectu Solis, nubes aliàs appelletur. Atque hæc vt veriora, & curiosiora habeantur.

Philo.

Diuersitas columnæ ignis, & nubis vnde.

6. *Per quos incipiebat.* Græcè, *per quos debebat incorruptum legis lumen populo dari.* vel, *per quos integerrimum legis lumen orbi erat impertiendum*, in monte Sina, vt refertur cap. 20. Exodi. Vulgatus dixit, *incipiebat seculo dari*, pro, *iam dabatur*, vsu Scripturæ, quæ inchoationem actus solet quandoque ponere pro ipso actu. Cantic. 1. 6. *Ne vagari incipiam post gregem sodalium tuorum*; pro, *ne vager.* Lucæ 13. 25. *Incipietis foris stare*, pro, *stabitis foris, & pulsabitis ostium.* Apocal. 3. 16. *Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere*, pro, *euomam ex ore meo.* quæ forma loquendi & profanis Auctoribus insueta non est. Grauiter autem affligebantur Ægyptij, & quasi carcere conclusi, tenebris constringebantur, quòd filios Dei, per quos diuina lex erat orbi terrarum promulganda, captiuos tenebant; quantò magis affligendi essent, qui Euangelij promulgatores conclusos opprimebant, quamuis verbum Dei, vt dixit Apostolus, non est alligatum.

Lex Dei per Israëlē orbi data.

Initium actus, pro actu ipso.

7. *Cùm cogitarent.* Iam agit de decima, & extrema plaga Ægyptiorum, nempe de primogenitorum occisione, inflicta propter infantium Hebræorum in flumen submersionem; quin & eandem ob causam Ægyptios aquis maris rubri periisse affirmat; & quidem primum in

Decima plaga de cæde primogenitorum.

hoc capite iocundè tractat, secundum in sequenti.

Abstulisti. Verbum ἀφῄλεν, duos in Græco regit accusatiuos, vt si Latinè dicas, cogitantes ipsos Sanctorum occidere infantes filiorum multitudinem orbasti, hoc est, filiorum multitudine orbasti Ægyptios, qui cogitauerant, ac decreuerant Israëlitarum occidere infantes.

Populus sãctus ab electione. *Iustorum.* ὁσίων, sanctorum, nempe Israëlitarum: populum illum sanctum sæpe vocat, ob electionem, & quòd veri Dei cultui esset dicatus, qua ratione sancta dicuntur quæcumque illi vsui deseruiunt.

In traductionem illorum, in correptionem, redargutionem, seu reprehensionem ipsorum; vel, in probrum Ægyptiorum, qui eiusmodi tulêre decretum de filiis in flumen coniiciendis. Nam Moses illi mortis periculo ab Ægyptiis expositus, à Deo ad ipsos redarguendos, & castigandos seruatus est, vltor futurus eius crudelitatis, qua illi in infantes Hebræorum vsi fuerant. Refertur historia seruati Mosis in capite. 2. Exodi. Ad duo autem Sapiens videtur allusisse, & ad nomen Moysis, quod ab eductione ex aquis sortitus est: nam Ægyptij aquam vocant. Moyses verò seruatos, vt notat Iosephus lib. 2. Antiqui cap. 5. & ad vaticinium cuiusdam sacrorum scribæ, qui prænunciauit Regi nasciturum per id tempus apud Israëlitas quendam res Ægyptiorum olim grauiter afflicturum, Israëlitas contrà euecturum, si modò ad ætatem adultam peruenisset, qui postea cùm Moyses diadema capiti pueriliter detractum, prolabi in humum pateretur, pedibus etiam conculcaret, occidere puerum volebat vociferans, Rex, puer iste, per cuius necem securitatem nobis Deus pollicetur, vaticinium iam confirmauit, insultando tuo regno, & diadema calcando.

(Marginalia: Moses vltor cædis infantium. — Mosis etymon. Iosephus. — Vaticinium de Mose. — Mosis pueri factum diadema calcantis.)

8. *Illa enim nox.* Græcè, *illa nox*, sine rationali particula *enim*.

Antè cognita. præostensa fuit nox illa Hebræis ab Angelo per Mosem, in principio mensis primi, cùm nox esset futura die, vel luna 14. in qua primogenitis Ægyptiorum interfectis, Israël egressus est de Ægypto: sic enim dicitur Exodi 12. *Dixit quoque Dominus ad Moysen, & Aaron, Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israël, & dicite eis: Decima die mensis huius tollat quisque agnum per familias, & domos suas; & seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius. Et sument de sanguine eius, ac ponent super vtrumque postem, & insuper liminaribus domorum, & transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamq; omne primogenitum in terra Ægypti, & videbo sanguinem, & transibo vos.*

(Marginalia: Nox cædis primogenitorum.)

9. *Vt verè scientes.* ἀτρεκῶς, *securè scientes*, quibus crediderant iuramentis, cùm multa simul promittuntur diuerso tempore adimplendi qui vnum, aut alterum vidit completum, securus certoque sperat cetera similiter adimplenda: ex occisione ergo primogenitorum, ab Angelo paucis antè diebus præostensa, securi redditi sunt, & confirmati

(Marginalia: Securitas ex impletis aliquibus promissis.)

mati filij Israël, Deum adimpleturum quoque promissa, quæ iurauerat olim patribus eorum Abraham, Isaac, & Iacob, de suo ex Ægypto egressu, & de possidenda terra promissa: sic enim dictũ est ad Abram Genes. 15. 13 *Scito pranoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subuciēt eos seruituti, & affligent quadringentis annis: verumtamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo, & post hæc egredientur cum magna substantia.* & versu 18. *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens, Semini tuo dabo terram hanc.* & Gen. 26. 3. Dixit Deus Isaac, *Tibi enim & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum, quod spopondi Abrahæ patri tuo.* Id ipsum promisit Iacob Gen. 28. 13. *Ego*, inquit, *sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac; Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo.* Terra Chanaan promissa filiis eius.

Animæ quiores essent. ἐπευθυμήσωσι, securo, bonoque forent animo, ac confidenti, vt animum securum, tranquillumque constanter retinerent: vt posthac animi illam cogitationem, & optimam in Deo spem haberent: nam ea nox illis veritatem promissionum confirmauit, eorúmque animos ad optimè, certoque sperandum in posterum, vel ad omne reliquum tempus excitauit. quod totum illo verbo significatur; quamuis Complutensis, & Regius interpres, *lætarentur*, tantùm vertant. Promissorum confirmatio.

10. *Suscepta.* hoc est, populus tuus & iustorum salutem cum gaudio vidit, & excepit, & iniustorum interitum Ægyptiorum, in illa nocte. Quo significat salutem populi cum hostium pernicie coniunctam fuisse: nunquam enim Deus solet populum suum liberare, quin simul iniurias ab hostibus illatas vlciscatur, quo singularem quendam in suos amorem declarat.

11. *Sicut.* ὡς capi debet hîc pro, *cùm*, vt ei respondeat altera particula similitudinis τέτῳ, hoc modo, cùm enim puniuisti aduersarios, eo, vel ea in re nos vocatos gloria affecisti. hoc est, cùm supplicium sumpsisti de inimicis, ea re nos gloria, honoreque affecisti: nam in ea quidem vltione, & amor Dei erga suos, & honos, quem illis habet, perspicitur. Vltio ex a-morte filiorũ nata.

12. *Absconsè.* Græcè, clàm sacrificabant sancti bonorum filij agnum Paschalem, nocte videlicet, & intra domos suas, vt refertur Exodi 12. ne viderentur ab Ægyptiis. Agnus clàm sacrificatus.

Et iustitia. τῆς θειότητος, ac diuinitatis legem vno consensu disposuerunt, vel sanxerunt. Sunt qui hanc diuinitatis legem intelligant de celebrando Phase: nam omnes vno consensu statuerunt in perpetuum obseruare, tanquam legem à Deo per Mosem, & Aaron constitutam. Sed non est necesse aliam legem intelligere, quàm eam, quam Sapiens adiecit, nempe, quòd agnum sacrificantes, & comedentes, hanc secum inuicem, legem diuinam, ac sanctam vno consensu statuerunt: qua se omnes ad omnium rerum communionem constringebant, & in e- Lex de Phase.

Lex de vnitate populi seruanda.

gressus,& in profectione,& in ingressum terræ promissæ. Diuinitatis legem vocat,quòd obedientes præcepto Dei præcipientis vt omnes simul exirent,vno consensu statuerunt & in mortem,& in vitam abire: vt tanquam vnus populus & bonorum eorundem, & periculorum similiter fierent participes.

Sancta pactio.

13. *Similiter*. Græcè,ipsorum similiter & bonorum & periculorum participaturos iustos.hoc est,futuros consortes eorundem tum bonorum tum malorum:hæc enim erat lex,hæc pactio,& sancta animi conspiratio, qua testabantur se in promptam cum Deo coniunctionem, & obedientiam: & secum in omnium rerum tum secundarum,tum aduersarum societatem coire.

Patrũ laudes canebant.

14. *Patrum*.Græcè,Patrum iam præcinentes laudes,aut hymnos,nempe ante flebilem Ægyptiorum concentum. Sunt qui ita hunc locum transferant:*Patribus iam hymnos præcinentibus*, quasi inchoarent patres,quasi præcentores, Dei laudes,& filij prosequerentur,vt post trãsitum maris rubri,Mose præcinente,*Cantemus Domino*,Exodi 15.ceteri eum secuti sunt. Verùm Græcis verbis non consonat hæc translatio. Illa autem prior,quæ ex Græco est desumpta,duplici ratione accipitur vel vt patres, maioresque tanquam materiam, & argumentum suarum laudum assumpserint eis hymnos compositos,& laudes continentes;quia videlicet, tot visis mirabilibus sibi inuicem congratulantes, suos maiores laudabant,quibus liberatio hæc fuerat promissa; itaque se inuicem beatos prædicabant, quòd tales omni laudum genere commendandos,sortiti fuissent progenitores. Vel vt patres habuerint institutores eius generis laudum, quos filij imitarentur. Nam ita Dei laudes quas à patribus didicerant in edendo Paschali Agno, & deinceps cantauerunt; vel easdem Dei laudes,quibus gratias agebant post cœnam, quemadmodum fecit Christus ex more gentis, cùm *hymno dicto exiuit cum discipulis suis in montem*.

Hymnus post cœnã.

Chorus canentium, & flentium.

15. *Resonabat*. Nam luctuosa lamentatio ac deploratio mortuorum gratulationi Hebræorum,lætitiæque contraria referebatur,vt diuersæ voces,ac clamores eodem tempore aërem personarent, ac duo essent chori,Hebræorum præcinentium patrum laudes,& Ægyptiorum flebili clamore subsequentium, filiorúmque cædes deflentium.

Ploratorum θρηνουμένων παίδων, actiuè accipiunt aliqui deplorantium puerorum,vt Israëlitis hymnos concinentibus, flebilis & inconditus clamor audiretur Ægyptiorum primogenitorum deplorãtium. Verùm passiuè accepit Vulgatus, & omnes Interpretes, *ploratorum puerorum*,id est, resonabat dissonus inimicorum clamor, plorantium liberos suos primogenitos mortuos: hoc est enim, *ploratorum*, quo plorabantur primogeniti. Conuenitque hæc intelligentia historiæ,in qua nullus ipsis primogenitis locus, aut tempus relinquitur, in quo deflere possent, cùm ceteri deflesse referantur:sic enim dicitur Exodi 12.29.

Primogenitorum cædes deplorata.

12.29. *Factum est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis qui in solio eius sedebat, vsque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. Surrexitque Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctáq; Ægyptus, & ortus est clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus.*

Simili. Ita diuersa hominum conditio nullum habuit pœnæ discrimen; omnes in eo supplicij genere æquati sunt. 16.

Vno nomine mortis. hoc est, vno mortis genere, quia omnes eandem ob causam eadem morte perierunt. 17. Omnium cędes æqua.

Præclarior natio. γένεσις proles honoratior: nam primogeniti honore, ac dignitate ceteris præstabant liberis: *à primogenito enim Pharaonis, qui in solio eius sedebat,* vt dicitur Exod. 12. *vsque ad primogenitum captiuæ, qua erat in carcere, omnes extincti sunt.*

De omnibus. Græcè, omnia enim non credentes, quod est dicere: qui enim nihil credebant. 18.

Veneficia. φαρμακείας appellat incantationes, & magicas artes, seu præstigias, quibus se, & alios Magi excæcauerant, vt nullam fidem Mosi, Deóque mira operanti adhiberent, eiúsque populum nequaquam agnoscerent.

Spoponderunt. ὡμολόγησαν, confessi sunt Dei Filium, id est, Deo charissimum populum illum fuisse; maximo igitur illorum malo confessio eis extorta est, vt liberam abeundi facultatem concederent ad sacrificandum, vt solet à peccatoribus vel inuitis, suppliciis immissis extorqueri. De Ægyptiis ergo sermo est, non de ipsis Hebræis, vt quidam putant. Inuiti agnoscunt Dei populum.

Cùm enim. Elegantissimam adiicit descriptionem decimæ plagæ Ægypti, qua sunt occisi primogeniti. 19. Hypotyposis cędis primogenitorum.

Et nox in suo cursu. hoc est, cùm nox dimidium spatium celeris sui cursus confecisset; nempe, in nocte media, quo tempore homines somno sopiti quietum dant silentium. Media nocte cædes facta.

Omnipotens sermo tuus. Sententia scilicet aspera, & dura in regio Dei lata solio per Angelum bellatorem in media nocte executioni mandata, è cœlo desiliit. 20.

In mediam exterminij terram. Græcè, in medium perniciosæ, siue exitialis terræ, hoc est, in medium terræ pernitiei, vel exitio destinatæ: nam venit Ægyptios destructurus.

Gladius acutus. Græcè, gladium acutum non simulatum iussum tuum ferens: nam sermo Dei ferebat iussum non simulatum, qui gladij instar acuti erat, cùm esset diuina iussio, ac sententia lata de occidendis primogenitis Ægyptiorum: ita enim Scriptura consueuit verbum Dei appellare; vt ad Hebræ. 4. *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Sic enim dicitur Exod. 12. 23. *Transibit* 21. Gladius, verbū Dei.

Dominus percutiens Ægyptios, & non finet percussorem ingredi domos vestras, & lædere.

Insimulatum imperium, vocat, non fictum; non comminatorium tantùm, sed reuera executioni mandandum. *iudicium certum*, transtulit suprà Vulgatus cap. 4.

22. *Et vsque ad cælum.* Græcè, & cælum quidem attingebat, descenderat autem, vel, ingrediebatur autem in terram. Nam tanta erat magnitudo, & potentia diuinæ iussionis, vt partim cælum attingens, partim terræ insistens, occuparet omnia, suámque vim in cælo explicaret, & in terra: siquidem cùm in terra executioni mādabatur, Angelos etiam attingebat, qui sententiam ipsam è cęlo in terram detulerunt. Vel certè notat hoc modo loquendi celeritatem completi verbi Dei, quòd adeò celer fuit Angelus percussor in percutiendis primogenitis, & complendo præcepta Dei, vt necdum cælo relicto, vnde mittebatur, iam terram pede calcaret, & iussum exequeretur.

Celeritas executionis.

23. *Visus somniorum malorum.* seu grauium. Græcè, est *grauiter*, nempe, tunc repentè visiones quidem somniorum grauiter turbarunt eos; videlicet, primogenitos Ægyptiorū, quibus per ætatē percipere licebat.

Superuenerunt. Timores institerunt. hoc est, presserunt eos inexpectati, nempe eosdem primogenitos, vt constat ex sequenti versu: refert enim hîc Sapiens quod nusquam aliàs narratur in diuinis literis primogenitos Ægyptiorum horrificis somniis territos ostendisse causam suæ mortis.

Primogeniti territi.

24. *Proiectus.* ῥιφὴς vim terroris, impulsum, & exagitationem maximam significat, qua ita agitabantur primogeniti, vt consternati, prostratíque iacerent semimortui.

Causam demonstrabat mortis. Primogeniti enim semiuiui declarabant suis patribus, & ceteris causam, ob quam interficerentur, quòd nempe Hebræorum primogenitos occidere voluissent: & quòd primogenitum Dei filium populum eius, nollent, eo iubente, dimittere: nam sic legimus Exodi 4. 22: *Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus Israël. Dixi tibi, dimitte filium meum, vt seruiat mihi, & noluisti dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.*

Causam suę cędis ostendebant.

25. *Visiones enim.* Græcè, *nam somnia*: horrificis enim somniis territi, quibus hæc significabantur, intellexerunt causam suæ necis; ne perirent ignari causæ, ob quam interficerentur, & conqueri meritò putarentur. Nullus enim Dei iudicio punitus interit, cui non constet, cur interficiatur.

Causa mortis ostensa patribus.

26. *Tetigit autem tunc & iustos.* Græcè, *Tetigit autem etiam iustos.* Complutensis codex, & Regius habent, *Tetigit autem tandem. & iustos.* Ostendit quanto discrimine Deus in suos desæuiat, ac in Ægyptios. Nam etiam, inquit, in suos Israëlitas desæuit ira Dei in deserto, sed non vt in Ægyptios: in hos enim vt in inimicos exeruit gladium, in illos

Vltio Ægyptiorum, & Israël diuersa.

illos vt in filios, tentandi, experiendíque causa. Loquitur de strage Dathan, & Abiron, & ducentorum aliorum, quos deglutiuit terra; & refertur historia cap. 16. Numerorum, & Psal. 105. 17. Strages Dathan.

Et commotio. θραῦσις, fractio, seu quassatio, seu clades, quo nomine vsi sunt Septuaginta eo in loco, & Psalmo 105. 30. *Et stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio.* hæc autem clades multitudinis illa est, qua perierunt quatuordecim millia hominum cum septingentis, quòd murmurassent contra Mosem, & Aaron, Numer. 16. 42. Strages murmurantium.

Properans enim homo sine querela. Vir inculpatus, irreprehensibilis, nempe Aaron frater Mosis; cui dixit Moses Numer. 16. 46. *Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens citò ad populum, vt roges pro eis: iam enim egressa est ira à Domino, & plaga desæuit.* 27.

Deprecari pro populis. Græcè tantùm legimus, ὑπερεμάχησε, *propugnauit, & propugnatorem se præbuit populi,* armis indutus sui muneris, seu ministerij, proferens seruitutis suæ scutum. λειτουργίας ὅπλον, ministerij sui arma orationem, seu precationem, & incensi placationem, seu expiationem: nam sic dicitur eo loco: *Quod cùm fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama: & stans inter mortuos, ac viuos pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* Aaron oratione armatus occurrit.

Vicit autem turbas: tumultũ aut turbationem. Græci aliqui codices habent, τὸν ὄχλον, turbas, quos secutus videtur Vulgatus. Sed emendatiores, vt Complutẽsis, Regius, Vaticanus, & similes habent, ὀλοθρεύοντα, vastãtem, seu vastatorem, aut exterminatorem, vt infrà versu 25. transtulit Vulgatus, qui per turbas, accepit, turbas mouentem, aut turbantem, & vastantem populum. 28.

Illum qui se vexabat. Græcè, verbo punientem subiecit; eum nempe qui ipsum populum puniebat, ac torquebat, qui illi sese opponebat: nam iratum vi orationis ita pressit, vt eum quodammodo ad voluntatem suam coëgerit, allegans promissa, iuramenta, ac pacta cum parentibus Abraham, Isaac, & Iacob inita: his enim patronis consecutus est perturbationis sedationem. Continuit exterminatorem.

Hunc versum quidam de Mose intelligunt, qui irato Deo restitit, eúmque ita pressit, vt se ab eo vrgeri, ac dimitti velle dixerit; victúsque precationibus Mosis sententiam mutauit, vt refertur Exodi 32. 10. Sed certius est referri historiam prædictam Numer. 16. in qua Aaron suo functus munere iræ Dei restitit, idque ostendit versus sequens. De Aaron, non de Mose sermo est.

Cùm enim. Hoc est acerbatim aliis super alios mortuis cadentibus vsque ad quatuordecim millia, Aaron cùm cucurrisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama; & stans inter mortuos, ac viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit, & igni viam, seu aditum ad viuos præclusit: repressit enim iram Dei, 29. Viam ignis grassantis præclusit.

Dei, eúmque prohibuit, ne in ceteros omnes, qui adhuc viuerent eodem modo incendium grassaretur.

30. *In veste.* Græcè, in talari tunica vestimenti erat totus mundus. ποδήρει talarem tunicam significat, à ποῦς, ποδὸς, pes, quòd ad pedes vsque demissa esset summi Sacerdotis. Ostendit quibus armis indutus Aaron summus Sacerdos, aut quibus secum deprecationibus adhibitis, vicerit vastatorem, sibíque subiecerit.

Sacris indutus occurrit.

Totus erat orbis terrarum. Græcè, *erat totus κόσμος*, quod nomen quia significat ornatum, recentiores Interpretes volunt hîc trãsferendum; *omnis in tunica talari ornatus inerat*, quia omni ornatus genere erat distincta. Verùm in veste summi Sacerdotis vniuersum mundum significatum fuisse, cùm testes fidelissimi asseuerent, ex Hebræa gente, Philo in lib. de somniis paulò ante finem, & lib. de Monarchia, & Iosephus lib. 3. Antiq. c. 8. & è nostris Hieronymus in epistola 128. ad Fabiolam & alij nonnulli eos secuti, non est cur quis inficietur, ac Salomonem ab hoc sensu auertat.

Totus orbis in veste. Philo. Iosephus. Hieronym.

Quæritur meritò circa hunc versum in primis, de qua tunica talari hîc sit sermo? nam legimus duabus fuisse indutum summum Sacerdotem.

Quæstio. De qua tunica sit sermo.

Est autem notandum, vt de qua podere, seu talari tunica sit Sapienti sermo intelligamus, vt docet Hieronymus in epistola illa ad Fabiolam, & colligitur ex libro Exodi cap. 28. quatuor fuisse communia Sacerdotibus omnibus indumenta cum summo Pontifice in lege: quatuor deinde huic propria. Communia sunt. Primum est מכנסי *Michnese*, Græcè, περισκελῆ, Latinè feminalia, vel brachæ ad genua vsque pertingentes. Secundum genus vestimenti est linea tunica, ποδήρης, id est, talaris, quam byssinam vocat Iosephus. Hæc adhæret corpori, & tam arcta est, & strictis manicis, vt nulla omnino in veste sit ruga, & vsque ad crura descendat. His similes habent milites lineas, quas camisias vocant. Linea stricta dicitur Exodi 28. 4. & tunica linea v. 40. & subucula linea vocatur c. 29. 8. & Leuit. 8. 7. Tertium genus est cingulum, seu baltheus, vel zona, in similitudinem pellis colubri. Est autem cingulum textum sub tegmine cocci, purpuræ, hiacynthi, & stamine byssino, ob decorem, & fortitudinem, atque ita polymita arte distinctum, vt diuersos flores, ac gemmas artificis manu non textas, sed additas arbitreris. Hoc baltheo quatuor digitos lato, linea tunica stringebatur, de qua iam diximus. Quartum genus vestimenti est rotundum pileum, Tiaram Græci vocant. Est autem byssinum, & in occipitio vitta constrictum; cidarim vocat Vulgatus Leuit. 8. 9 Tiaram Exod. 28. 37. & 29. 6. & mitram eodem cap. v. 9. hæc sunt tam Sacerdotum, quàm Pontificum vestimenta; inter quæ vides poderem, seu tunicam talarem, lineam tamen numerati.

Vestes quatuor communes Sacerdotibus. Feminalia. Talaris tunica. Baltheus. Tiara.

Quatuor super hæc sunt ornamenta summo propria Pontifici. Primum

Pontificis quatuor ornamenta.

mum est מעיל *meil*, id est, tunica talaris tota hiacynthina ex lateribus eiusdem coloris assutas habens manicas, & in superiore parte, qua collo inducitur, aperta, in extrema parte, id est, ad pedes, 70. habet tintinnabula, & totidem mala punica, quatuor illis coloribus contexta, quibus suprà cingulum distinctum diximus. Hæc vocatur tunica superhumeralis tota hiacynthina Exod. 28. 31. & c. 39. 20. vocatur & tunica solùm Exod. 29. 5. & cum addito tunica hiacynthina, Leuit. 8. 7. Secundum Hebraica lingua dicitur אפד *ephod*. Septuaginta vocant ἐπωμίδα, superhumerale, ex quatuor supradictis coloribus hiacyntho, bysso, cocco, purpura, auróque cōtextum; efficitúrque palliolum miræ pulchritudinis, perstringens fulgore oculos, in modum caracallarum, sed absque cucullis. In vtroque humero habet singulos lapides clausos, & adstrictos auro, & in singulis sena patriarcharum nomina. Tertium vestimentum est mensura paruum, sed cunctis suprà dictis sacratius, Hebraicè vocatur חשן *hesen*, Græcè, λόγιον, Latinè, *Rationale*: pannus est breuis ex auro, & supradictis quatuor textus coloribus, habens magnitudinem palmi per quadrum, & duplex, ne facilè rumpatur. Intexti erant ei duodecim lapides miræ magnitudinis, atque precij per quatuor ordines, ita vt in singulis versiculis terni lapides collocarentur, & in singulis lapidibus secundùm ætatem, duodecim tribuum sculpta essent nomina. Hoc genus ornamenti annectebatur superhumerali, in loco vacuo, in eius pectore relicto, habebátque intra logion doctrinam, & veritatem, de quibus in lib. 5. de Vaticinio, lariùs disseruimus. Quartum ornamentum fuit lamina aurea, in qua scriptum erat nomen Dei sanctum Iehouah; & in fronte vitta hiacynthina pileo communi, seu cidari constringebatur.

Tunica talaris. Ephod. Rationale. Aurea lamina.

Ex his cùm compertum sit duabus tunicis indutum summum Sacerdotem, tunica linea communi & aliis Sacerdotibus, & tunica hiacynthina illi propria, quarum vtraque cidaris, ac talaris dicebatur; hoc loco à Salomone de talari tunica hiacynthina summo Sacerdoti propria sermo est: tū quia de vestibus agit sūmo Sacerdoti propriis, quibus placauit Deum; quorum primum est tunica hiacynthina; tum quia in hac sculptus erat orbis terrarū mira varietate, vt statim dicemus; cùm tunica linea vnico byssi colore non posset totum mundum referre.

In tunica hiacynthina totus orbis erat.

Quæritur secundò, quomodo in talari tunica hiacynthina summi Sacerdotis mundus totus fuisset expressus: Explicationem è variis coloribus ac formis, quibus illa vestis constabat, tradunt nobis Philo, Iosephus, & ex illis Hieronymus, è quibus hanc accipe, longiorem apud ipsos auctores videbis. Quatuor in primis colores quatuor significant elementa. Byssus terram, ex qua conficitur; Purpura aquam maris, ex cuius cochleolis tingitur; Hiacynthus aërem propter coloris similitudinem; Coccus ignem, & ætherem, & vestis ipsa hiacynthina à capite vsque ad talos veniens, aërem indicat de cœlis vsque ad terram fusum. Mala autem Punica, & tintinnabula in inferioribus

Quæstio. In tunica quô fuisset totus orbis. Philo. Iosephus. Hieronym. Significatio colorum. Mala punica, & tintinabula.

posita fulgura, tonitruáque demonstrant; siue omnium elementorum in se consonantiam. Quòd autem supradicti colores auro sint intexti, id significari volunt, quòd vitalis calor, & diuini sensus prouidentia vniuersa penetret. Superhumerale cum duobus lapidibus super humeros Sacerdotis duo hemisphæria interpretantur quorum vnum super terram, alterum sub terra sit, & Solem, & Lunam, quæ desuper rutilant. Zona, qua linea tunica, id est, terra, constringitur, Oceanum exprimit. Rationale in medio positum terram edisserit, quæ instar puncti, licèt omnia in se habeat, tamen à cunctis vallatur elementis. Duodecim lapides, vel duodecim signa zodiaci, vel duodecim menses, exponunt, & singulis versiculis singula tempora assignant, certis mensibus constantia. Rationale in medio positum notat, quòd ratione cuncta sint plena, & Dei prouidentia cuncta secum inuicem cohæreant. Veritas ostendit, quòd in Dei ratione non sit mendacium; manifestatio, seu doctrina, quòd Dei veritas multis signis, & argumentis monstretur hominibus, vnde cælestia omnia, ac terrestria nobis cognita sunt accipientibus à Deo sapientiam, super omnia cidaris, cum vitta hiacynthina cælum monstrat, & auri lamina in fronte Pontificis cum Dei nomine inscripto, vniuersa, quæ subter sunt, Dei arbitrio gubernari. Hæc est breuis Sacerdotalium vestium expositio, quatenus in illis continetur mundus significatus.

Aurum vim diuinam notat. Duo hemisphæria. Oceanus. Terra. Duodecim signa. Rationale. Veritas, & doctrina. Auri lamina Deum.

Si fortè quæras cur nos hîc totum orbem significatum diximus in vniuersis vestibus summi Sacerdotis; at Sapiens in veste poderis, seu in tunica talari vestimenti fuisse totum mundum. Non ergo conuenimus cum verbis sapientis? Respondetur, Sapientem non id solum voluisse, vt in tunica hacynthina & talari propria summo Sacerdoti totus esset orbis expressus, sed quod contineretur in illa; quia summus Sacerdos super illam stolam ferebat superhumerale, & quæ in illo erat, ac proinde totum orbem; alioquin, vt tunica illa vocabatur tunica superhumeralis, quòd sine illa non esset, ita & superhumerale tunicam hiacynthinam postulabat; ac proinde qui dixit, in tunica talari, comprehendit, & alia ornamenta, quæ illi adhærebant.

Tunicæ nomine omnia ornamenta significata.

31. *Et parentum magnalia.* Græcè, *& patrum δόξαι, gloriæ in quadruplicis ordinis lapidum sculptura.* Loquitur de quatuor lapidũ ordinibus, qui erant in Rationali, & in quibus Sculpta erant nomina duodecim tribuum Israël, per singulos ordines terna. Sunt autem, qui doxas interpretentur, non nomina duodecim tribuum literis Hebraicis incisa; sed glorias, excellentias, trophæa, nobilitatis insignia, stemmata parentum, de quibus iure gloriabantur: nam in singulis lapillis Bullæ Pontificis, signa sacra, & hieroglyphica, Ægyptio more, insculpta erãt, non literæ exaratæ. Insinuat id Philo in libro de profugis, ad finem, dum ait: Moses quoque non parum laudat hunc numerum duodenarium, descripta sua natione in tribus duodecim, & totidem lapillis cum suis

Nomina 12. tribuũ sculpta in lapidibus. Stemmati incisa. Philo.

suis sculpturis, qui in Pontificali veste talari circùm Rationale, quod vocant, intexerentur.

Verùm Salomonis verba non coguntconfirmatam tot Scripturæ, & interpretum testimoniis intelligentiam reiicere, asserentium tam in duobus Superhumeralis, quàm in duodecim Rationalis lapidibus insculpta fuisse duodecim nomina duodecim Patriarcharum Hebraicis literis exarata. Ita dicitur Exodi 28. 9. *Sumes duos lapides onichynos, & sculpes in eis nomina filiorum Israël, sex nomina in lapide vno, & sex nomina in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino ob recordationem.* Sic quoque transtulere septuaginta, & Chaldæus, opere artificis lapidis pretiosi Scriptura distincta, sicut sculptura, quæ fit in annulis, sculpes duos lapides per nomina filiorum Israël. Iosephus lib. 2. Antiq. cap. 8. oculatus testis ita hæc nobis tradit: In vtroque humero singuli sardoniches auro inclusi fibularum vice epomidem adnectunt. His insculpta sunt Iacobi filiorum nomina literis vernaculis linguæ nostratis, in vtroque lapide sena, ita vt seniores dextrum humerum obtineant. Eadem est Hieronymi sententia in episto. ad Fabiolam, & reliquorum omnium. Rursus de duodecim lapidibus Rationalis dicitur Exod. 28. 21. *Habebúntque nomina filiorum Israël: duodecim nominibus calabuntur singuli lapides nominibus singulorum per duodecim tribus.* Vbi Chaldæus, Lapides erunt duodecim iuxta nomina filiorum Israël, sculpti Scriptura distincta, sicut sculptura annuli, & Ecclesiasticus de his loquēs cap. 45. 13. è Græco. *Lapidibus preciosis sculpturis signaculi in ligatura auri, opere gemmarij, cum Scriptura in monumentum incisa secundùm numerum filiorum Israël.* Nomina 12. Hebraicis literis exarata. Chaldæus. Iosephus. Hieronym.

Ex his existimo satis fore compertum, nomina duodecim filiorum Israël in illis lapidibus incisa literis Hebraicis, & non signa aliqua, aut stemmata parentum. Quod verè Sapiens doxas, seu glorias vocauerit, non abs re fecit: satis enim gloriosum fuit duodecim filiis Israël, quòd eorum nomina in præcipuis partibus vestis sacræ, & in humeris, & supra cor, coram Domino portarentur; & eorum perpetua, in tam sublimi loco, memoria haberetur. Gloria filiorū Israël in veste sacra portari.

Et magnificentia tua. Græcè, *& maiestas tua in diademate capitis illius.* De nomine loquitur ineffabili Iehouah, quod incisum in lamina aurea, in fronte Pontificis cidari adnectebatur vitta hiacynthina. Nomen Iehouah.

Qui exterminabat. Græcè, *his exterminator cessit, hæc verò extimuit.* 32.
Quidam nomine exterminatoris ignem serpentem in illos Iudæos oblocutores Numer. 16. intelligunt. Alij Deum ipsum, vel Angelum, per quem percutiebat populum qui reuocatus est ab exequenda sententia de populi interitu, vi, ac dignitate orationis Sacerdotalis, in qua erat imago summi Sacerdotis Iesu Christi. His ergo vestibus sacris, & eis quæ in illos continebantur cessit ille exterminator, & hæc ipsa omnia in veste contenta, & Sacerdotem ornantia reueritus ille exti- Angelus exterminator cessit.

muit,& gladiũ reduxit.In Vaticano codice,& aliis legimus in plurali: *& hæc extimuerunt*,quasi plures essent exterminatores aut vastatores.

Tentatio ad probationem. *Erat enim sola tentatio.* Tentationem vocat experientiam iræ diuinæ: nam Dei indignatio ad probationem filiorum deseruit. Satis, inquit, erat,expertos fuisse iram tuam,& non vsque ad internecionem deseuientem sentire:& ideo repressus est exterminator.

Quæstio. Cui cessit angelus exterminator. Philo. Sacerdos cum toto mundo precabatur. At quæres fortasse quibusnam ille Angelus exterminator cessit, quæve extimuit, num mundum contentum in vestibus,aut nomina duodecim Patriarcharum;an solum Dei nomen ineffabile?Philo lib. de somniis existimat idcirco Pontifici datum esse,vt ferret similitudinem cæli,ac mundi,vt mundus vnà cum Sacerdote operetur, & homo cum hac vniuersitate vota,& sacra faciat. Et in libro de Monarchia,Hoc cultu,inquit,Pontifex vtitur,totum mundum referens ornatu mirando,vel menti,vel oculis:admonet enim Pōtificem,vt considerata vniuersi,quam gestat, imagine, vitam præstet à natura non degenerem; Deinde vt operando sacris totum mundum deprecatorem alleget.Decet enim vt patris Sacerdos,filium eius mundum hunc ad preces,votáque adhibeat.

Deinde nomina duodecim Patriarcharũ,idcirco lapidibus incîdi, & portari in humeris,ac in pectore coram Domino iubentur,ad memoriale filiis Israël,Sic Exodi 28.12.dicitur, ***Portabit Aaron nomina eorum coram Domino super vtrumque humerum ob recordationem.*** Et versu 29.***Portabitque Aaron nomina filiorum Israël in rationali iudicij super pectus suum,quando ingredietur Sanctuarium,memoriale coram Domino in æternum.***

Nomina N. Patriarcharum ad memoriam posita. Diptycha. Dionys. Sanè vt recordetur Dominus duodecim Patriarcharum, & præstet eorum meritis, quod Pontifex precatur, quemadmodum Sãctorum nomina Episcoporum in diptychis scripta inter sacrificandum solebant in primæua Ecclesia recitari, vt refert Nicephorus lib. 13.Eccles.histo.iæ cap.30. Sacras tabulas vocat Dionys. Eccles.hierarchiæ cap.3.de communione.

Dei Nomini, & Patrũ meritis cessit. Reueritus ergo est ille exterminator ineffabile Dei nomen, cui vniuersa se prosternit natura,cessit Sacerdoti summo deprecanti, & mundum vniuersum deprecatorem alleganti, & merita gloriámque patrum ante Dominum proponenti,vt misereretur.

Ex quibus omnibus satis concinnè Sacerdotis ministerium declaratur: id enim est munus propugnatoris, simul & expugnatoris armis sacris induti: nam vestibus pro galea, & loricis vsus, & oratione pro scuto, & telo aduersùs Deum,ipsum vrget, vt cedat, & parcat, præstétque quicquid postulatur; instar luctantis Iacobi, qui Deum relinquere nolebat donec benediceret. Ita vrgebat Abraham,Gene.18.23. vt parceret Sodomitis,& Moses Exod.32.11. Deut.9.18.& Ierem. c. 7. 18.& alij quàm plures.Psal.105.13. *Moses stetit in confractione in cōspectu eius,vt auerteret iram eius ne disperderet populum.*

SAPIEN

SAPIENTIÆ SALOMONIS

CAPVT XIX.

VETVS.

1. *IMpiis autem vs-*
que in nouissimum
sine misericordia
ira superuenit. Præsciebat enim
& futura illorum:
Quoniam cum ipsi permisis-
sent, 2. vt se educerent, &
cum magna solicitudine præ-
misissent illos, consequebantur
illos pœnitentia acti.
3. *Adhuc enim inter ma-*
nus habentes luctum, & deplo-
rantes ad monumenta mortuo-
rum, aliam sibi assumpserunt
cogitationem inscientiæ: &
quos rogantes proiecerant, hos
tanquam fugitiuos perseque-
bantur:
4. *Ducebat enim illos ad*
hunc finem digna necessitas: &
horum, quæ acciderant, comme-
morationem amittebant, vt
quæ deerant tormentis, reple-
ret punitio:

NOVA.

IMpiis autem vsque in finem immisericors indignatio institit: præuidebat enim eorum etiam futura.

Quoniam ipsi cùm permisissent abire atque cum studio præmisissent illos, pœnitentia ducti essent persecuturi.

Adhuc enim in manibus habentes luctus, ac lamentantes ad monumenta mortuorum, aliud asciuerunt amentiæ consilium, vt quos supplicando proiecerant, hos tanquam fugitiuos persequerentur.

Traxit autem eos digna ad hunc finem necessitas, & eorum, quæ acciderant obliuionem iniecit, vt quæ restabat tormentis adimplerent pœnam.

Et populus quidem tuus 5. *mirabiliter transiret, illi autem nouam mortem inuenirent.*

Et populus quidem tuus admirabilem profectionem tentaret, illi verò nouam mortem inuenirent.

Omnis enim creatura ad suum finem 6. *ab initio refigurabatur, deseruiens tuis praeceptis, vt pueri tui custodirentur illaesi.*

Vniuersa enim creatura in suo genere rursum de integro configurabatur, inseruiens propriis mãdatis, vt tui filij conseruarẽtur illæsi.

Nam 7. *nubes castra eorum obumbrabat, & ex aqua, quae antè erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento,* 8. *& campus germinans de profundo nimio:*

Nubes castra inumbrabat, quæ autem priùs aqua fuerat, sicca emergens terra visa est: è mari rubro via non impedita, & viridem herbam ferens campus è gurgite violento:

9. *Per quem omnis natio transiuit, quae tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia & monstra.*

Per quem tota gens transierunt, qui tua manu protegebantur, conspicientes miranda portenta.

10. *Tanquam enim equi depauerunt escam, & tanquam agni exultauerunt, magnificantes te Domine, qui liberasti illos.*

Tãquam enim equi hinnierunt, & quasi agni exultauerunt, laudantes te, Domine, qui liberasses ipsos.

11. *Memores enim erant adhuc eorum, quae in incolatu illorum facta fuerant, quemadmodum pro natione animalium eduxit terra muscas, & pro piscibus eructauit fluuius multitudinem ranarum.*

Nam in memoria adhuc tenebant, quæ in peregrinatione ipsorum, (acta essent) quomodo pro generatione quidem animalium, terra muscas produxisset: pro aquatilibus autem euomuit fluuius multitudinem ranarum.

Nouissimè autem viderunt 12. *nouam creaturam auium, cùm adducti concupiscentia postularerunt.*

In nouissimo autem viderunt & nouam generationem auium, cùm concu- cupiscen

stularerunt escas epulationis.

13. In allocutione enim desiderij, ascendit illis de mari ortygometra: 14. & vexationes peccatoribus superuenerũt, non sine illis, quæ antè facta erant, argumẽtis per vim fulminum: iustè enim patiebantur secundum suas nequitias.

15. Etenim detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt: alij quidem ignotos non recipiebant aduenas, alij autem bonos hospites in seruitutem redigebant.

16. Et non solùm hæc, sed & alius quidam respectus illorum erat: quoniam inuiti recipiebant extraneos.

17. Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eisdem vsi erant iustitiis, sæuissimus afflixerunt doloribus.

18. Percussi sunt autem cæcitate: sicut illi in foribus iusti, cùm subitaneis cooperti essent tenebris, vnusquisque transitum ostij sui quærebat.

19. In se enim elementa dum conuertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt: vnde æstimari ex ipso visu certo potest.

Agrestia

piscentia adducti postulassent cibos deliciarum.

Nam ad consolationem eorum ascendit è mari ortygometra, ac supplicia peccatoribus superuenerunt, non sine factis signis vi fulminum: iustè enim patiebantur suis nequitiis.

Nam & grauiorem inhospitalitatem exercuerũt: illi enim ignotos non recipiebant præsentes, hi autem benemeritos hospites in seruitutem redegerunt.

Et non solùm, sed quædam visitatio erit illorum, quoniam odiosè recipiebant extraneos.

Alij verò, quos cum festiuitatibus acceperant, eos iam eiusdem iuris participes factos grauibus affixerunt laboribus.

Percussi sunt autem & cæcitate, sicut illi in foribus iusti, cùm vastis circumfusi tenebris, vnusquisq; suarũ portarũ transitũ quærebat.

Per se enim elementa aptè commutata (sic habent) quemadmodum in Psalterio soni cõcentus nomen permutant, semper manentia sono. quod quidem licet cõiicere ex inspectione rerũ exactè factarũ,

Terre

20. *Agrestia enim in aquatica conuertebantur: & quacumque erant natantia in terram transibant.*

21. *Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliuiscebatur.*

22. *Flammæ è contrario corruptibilium animalium non vexauerunt carnes coambulantium, nec dissoluebant illam, quæ facilè dissoluebatur sicut glacies, 23. bonam escam.*

24. *In omnibus enim magnificasti populum tuum, Domine, & honorasti, & non despexisti, in omni tempore, & in omni loco assistens eis.*

Terrestria enim in aquatilia commutabantur, & natatilia in terram transibant.

Ignis in aquam vim habebat propriæ facultatis oblitus, & aqua extinctiuæ naturæ obliuiscebatur.

Flammæ è contrario facilè corruptibilium animalium non marcescere fecerũt carnes inambulantium: neque liquabile glacialis formæ liquefaciebat genus ambrosij cibi.

Per omnia enim Domine magnificasti populum tuum, & honorasti, & non despexisti, in omni tempore, & loco assistens ei.

ARGVMENTVM.

Diuersum esse Deo modum affligendi impios, ac iustos ostendit, & frequenti antithesi amplificat, & supplicia Aegyptiis inflicta, præsertim, quo summersi sunt in mari rubro; culpis eorum in medium adductis; & illis opposita beneficia suo populo collata in exitu de Aegypto, & in deserto, & tandem pro omnibus gratias agens concludit opus.

COMMENTARIVS.

1. IMpiis. *Nam iudicium sine misericordia iis, qui in alios fuerint immisericordes,* vt dicitur in epistola Iacobi cap. 2. 13. Pendet hæc oratio ex versu extremo capitis 18. Plaga, qua oblocutores illos sui populi puniuit Deus, non vsque ad extremum desæuiit, quia tantùm ad probationem fuit; at supplicium ægyptiorum finem non habuit, ob causas, quas iam explicabit.

Ægyptij ad interitum puniti.

Præsciebat

Præsciebat. Præuidebat enim ea, quæ essent in suum populum exequuturi, corde indurati, & propterea non destitit indignatio contra eos; sed extrema sunt illi parata supplicia.

Vt se educerent. Græcè, quoniam ipsi permittentes abire, vel, cùm permisissent abire, Hebræos nẽpe, ne propter illos tot plagæ infligerentur, tot calamitatibus punirentur. 2.

Et cum magna solicitudine. Græcè, *& cum studio*, vel, *studiosè præmisissent.* vel, *studiosè deduxissent*, non honoris gratia, sed vt celeriùs à se repellerent. Dicitur enim Exodi 12. 31. post necem primogenitorum, *Vocatisq́ Pharao Mose, & Aaron, nocte, ait: Surgite, & egredimini à populo meo, vos, & filij Israel; ite, immolate Domino, sicut dicitis. Oues vestras, & armenta assumite, vt petieratis: & abeuntes benedicite mihi: vrgebantq́ Ægyptij populum de terra exire velociter; dicentes, omnes moriemur.* & v. 39. *Neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere sinentibus moram.* Exitus Hebræorũ citus.

Pœnitentia. Pœnitentiam agentes, vel ducti displicentia de eo, quod bene fuerat factum. Complutensis interpres vertit hoc verbum sic: *Consequebantur illos pœnitentia actus*, de Ægyptiis intelligens, qui cùm studiosè præmisissent Hebræos, statim eos cepit pœnitentia facti: sed Græca communem translationem præferunt, persequebantur eos, nempe Hebræos, vel persecuturi essent pœnitentia ducti.

Adhuc inter manus, Græcè, in manibus. id est, adhuc luctum præsentem habentes: nam in manibus ea habere dicimus, quæ adsunt, & nobis præsentia sunt. 3. In manu esse, præstò esse.

Cogitationem inscientiæ. aliud insanum consilium arripuerunt. hoc est illud Exodi 14. 3. *Dicturus est Pharao, super filiis Israel; coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum.* & ver. 5. *Et nunciatum est Regi Ægyptiorum quòd fugisset populus: immutatumq́ est cor Pharaonis, & seruorum eius super populo, & dixerunt: Quid voluimus facere, vt dimitteremus Israel, ne seruiret nobis? Iunxit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum. Tulitq́ sexcentos currus electos, & quicquid in Ægypto curruũ fuit, & duces totius exercitus. Indurauitq́ Dominus cor Pharaonis regis Ægypti, & persecutus est filios Israel: at illi egressi erant in manu excelsa.* Hoc fuit insanum consilium, quod cepit Pharao in suam, populique sui perniciem: nam durum est contra stimulum calcitrare. Pharaonis consilium insanum.

Ducebat. hoc est, ad hunc exitum eos necessitas diuinæ permissionis, & iusti illius iudicij deduxit, vt ad priores pœnas hæc postrema accessio fieret: nondum enim iusta pœnarum mensura in illos fuerat completa. Et quia priorum calamitatum memoria arcere posset illos à persequendo populum Israëliticum, earum obliuionem iniecit. 4. Obliti calamitatum priorum, Israëlẽ sunt persecuti.

Mirabiliter transiret. Græcè, admirabilẽ itineris rationẽ, vel admirabilẽ profectio: ẽ tentarei. in transitu maris rubri per quod ingressi filij Israël mirabiliter transierũt; at Ægyptij nouo quoque modo perierũt. 5.

Ab initio refigurabatur. Græcè, *rursus*, ἄνωθεν, *desuper, ab initio*, vel, *de integro refingebatur*: reuocabatur ad initium creationis, quasi de nouo crearetur, & reformaretur in gratiam Israëlitarum: videbatur enim rursus reformata à Deo, à quo facta fuerat in initio.

Creatura omnis parebat Deo.

Deseruiens tuis præceptis. Græcè, *propriis mandatis*, hoc est, inseruiens certis, ac propriis officiis à te mandatis, quæ Deus ad salutem suorum singulis creaturis dabat.

7. Officia creaturarum in Israëlem.

Nubes. Distributione enumerat aliqua officia, & opera à creaturis tunc præstita populo Dei, in quibus erat illa nubis obumbratio ad æstum Solis vitandum opportuna; & quòd terra aquis antea obtuta, illis remotis arida existeret, & appareret; & via in mari sine impedimento, & campus viridis in profundo maris.

Et ex aqua. Græcè, *ex prius autem existente aqua sicca emersio terra conspecta est*; vel, *sicca emergens terra visa est.*

8. Campus in gurgite germinauit.

Et campus germinans. Græcè, *& viridem herbam ferens campus è gurgite violento.* Aut,

Prosilit herbosus violenti è gurgite campus.

E solo scilicet, ex quo diuina virtute aquæ expulsæ sunt in vtrumque latus, & tota ferè nocte solum maris exsiccatum flatu vehementi venti Orientalis: sic enim legimus Exod. 14.21. *Cumq; extendisset Moses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi; & vrente tota nocte, & vertit in siccum: diuisaq; est aqua: & ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra eorum, & læua.*

Quæstio. An via maris reipsa germinarit. Hyperbolicè dictum putatur.

Vtrùm autem reuera germinauerit via maris instar herbosi campi, dubitatur? Per hyperbolem id dictum putat Iansenius, idque ceteri expositores videntur asserere, dum dicunt profundum maris instar germinantis campi apparuisse, quòd via illa fuerit Hebræis loco campi germinantis, propter securitatem, & amœnitatem, seu propter summam alacritatem, & lætitiam transeuntium. Nec enim cùm sæpe huius ingentis miraculi fiat mentio in Scriptura, tale quid recensetur: siquidem in 14. cap. Exodi, vbi historia refertur, nihil aliud dicitur, quàm mare versum in siccum, & transisse filios Israël per medium sicci maris, & Psalmo 105. 9. dicitur: *Et increpuit mare rubrum, & exsiccatum est: & deduxit eos in abyssis sicut in deserto.* Sed hoc

Campus herbosus propriè apparuit.

non obstat: multa enim in hoc libro agnoscimus noua miracula nusquam aliàs relata: quare id videtur hoc loco significari, solum maris rubri natura sua herbosum, vt sunt aliquæ hebræ, quæ sub aquis nascuntur, Dei virtute nudatum aquis, & vi Orientalis venti exsiccatum, naturali herba relicta, herbosum, ac instar campi viridis apparuisse, per quem transierunt filij Israël.

9. *Per quem.* Nempe campum transierunt omnes filij Israël Dei manu protecti, conspicientes miranda τέρατα, portenta, vel monstra, vel stupenda miracula. Vulgatus dixit, *mirabilia, & monstra.* Quot autem,

quantaque

Miracula trāsitus maris.

Attapanus. Eusebius

Signa transitus perdurasse. Diodorus. Paulus Orosius.

quantaque miracula in eo maris transitu contigerint, longum esset recensere, cùm in cap. Exodi 14. clarè referantur, & vsque ad gentes eorum rumor peruenerit: nam Ægyptij heliopolitæ, ex vetusta traditione referebant, Mosem baculo percussum mare diuisisse, factaque per illud via, incolumem cum populo suo transisse. Sic scribit Attapanus relatus ab Eusebio lib. 9. de præparatione Euangelica, cap. vltimo, & Rahab in libro Iosue cap. 2. *Audiuimus*, ait, *quòd siccauerit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum.* Id ipsum retulit Achior Holopherni Iudith cap. 5. Quin & vestigia miraculi in mari facti, nempe tractus curruum, rotarumque orbitas non solùm in littore, sed etiam in profundo, quousque visus admittitur, mari se reciprocante, ac litora destituente, ad sua tempora, gentibus etiam conspecta, perdurasse asseruerunt Diodorus Tharsensis, Chrysostomi præceptor, & Paulus Orosius in libro 1. suæ Historiæ cap. decimo.

Pastus Israël à Deo.

Exultatio filiorum Israël.

10. *Tanquam enim equi depauerunt escam.* Græcè, *ἐνεμήθησαν, pasti sunt*, vt legitur in codice Complutensi, Regio, & Vaticano, quam lectionem secutus est Vulgatus: sunt enim filij Israël in solitudine affluenter enutriti à Deo instar equorum, & agnorum, qui in pinguissimis pascuntur, & amœnissimis pascuis. In aliis codicibus legitur, *ἐχρεμέτισαν, hinnierunt*, quod conuenit equis, quorum est, cum exultant, hinnire: nam huic coniungitur, *& tanquam agni exultauerunt.* Describitur enim summa exultatio, ac lætitia filiorum Israël, cùm ipsi incolumes inimicos aquis obrutos viderunt, quam depinxit quoque Dauid Psalmo 113. 3. *Mare vidit, & fugit, Montes exultauerunt vt arietes, & colles sicut agni ouium. Quid est tibi mare quod fugisti? Montes exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ouium. A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob.* Exultantes igitur in morem equorum, aut agnorum, quibus læta suppetunt pabula, diuersas laudes personarunt: siquidem superato mari rubro cecinit Moses cum filiis Israël carmen hoc Domino Exodi 15. *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem proiecit in mare.* Et Maria soror Aaron sumpsit tympanum in manu sua; egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris, & ipsa præcinebat idem carmen.

Canticum triumphale.

11. *Memores.* Augebat Israëlitarum in tantis Dei beneficiis lætitiam, quòd memoria vsurpabant ea supplicia, quæ hostibus suis Ægyptiis, in ipsorum gratiam Deus irrogauerat, cùm adhuc Ægyptum incolerent.

In incolatu. παροικίᾳ, peregrinatione, vel, *peregrinitate sua*, in Ægypto videlicet, in qua peregrini degebant, iuxta vaticinium illud Genes. 16. 13. ad Abram: *Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.* Quod Stephanus Actuum 7. 6. dixit: *Quia erit semen*

Memoria præteritorum ad canendũ incitabat.

tuum accola in terra aliena. Recens ergo memoria rerum præteritarum, & conspectus præsentium ad Dei laudes concinendas incitabat.

Pro natione. γενέσεως, *pro sobole animalium*, quæ solet terra producere hominibus vtilia, muscas protulit noxias.

Pro piscibus. Græcè, *pro aquatilibus* fluuius Nilus euomuit multitudinem ranarum, adeò innumerabilium, vt operirent terram Ægypti.

12. Coturnicũ beneficiũ.

Nouam creaturam, γένεσιν, *generationem nouam auium*, nempe coturnicum, de qua versu sequenti. Nam & hoc refert beneficium ad amplificationem lætitiæ filiorum Israël, quòd non solùm memoria recrearentur animalium, quibus cruciati sunt hostes; sed nouo cibo auium illis opposito.

Escæ ad delicias.

Escas epulationis. Græcè, *escas deliciarum*, *delicatas, ad delicias præstitas*, quæ in epulis solemnioribus solent apponi, quia non tantùm ad sustentationem, sed etiam ad delicias deseruiebant, cùm auidè postulassent.

13. Coturnicũ donum duplex.

In allocutione desiderij. Græcè: nam ad consolationem, siue leuationem eorum; ad eos subleuandos, ac reficiendos è mari coturnices aduolarunt, vt refertur Exodi 16.13. vbi hoc subsidio succurrit Deus, vnà cum Manna, primùm, mense secundo ab egressu Israël de Ægypto, in deserto Chin inter Elim, & Sinai, nullo inflicto supplicio. Nã suprà cap.16.2. de alia ortygometrarum præbitione longè diuersa agitur, multò pòst tempore facta: nam facta est anno II. post exitum de Ægypto, vt patet, Numer.10.11.& in monte Pharan, post trium dierum profectionem è monte Sinai, vt patet cap. illo 10 v.11.& 33. cùm iam nauseam paterentur ob cibum Mannæ, ac tunc plaga magna percussi sunt filij Israël à Domino, vt refertur Numer.11. præsertim versu 31. de qua Dauid Psalmo 77.27. canit. *Et pluit super eos sicut puluerem carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata; & ceciderunt in medio castrorum eorum circa tabernacula eorum. Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Nam de altera coturnicum concessione videtur loqui Psalmo 105.13. cùm ait: *Citò fecerunt, obliti sunt operum eius: & non sustinuerunt consilium eius, & concupierunt concupiscentiam in deserto: & tentauerunt Deum in aquoso: & dedit eis petitionem ipsorum, & misit saturitatem in animas e rum.*

14. Ægyptiorũ supplicia.

Et vexationes. Græcè, *& supplicia peccatoribus superuenerunt.* Ad Ægyptios redit. contrà verò inquit, Ægyptij de nouo puniri sunt grauissimo supplicio in mari rubro: nam fulguribus territi, ac fulminibus oppugnati sunt, priusquã aquis obruerẽtur. De his esse sermonẽ constat ex sequẽtibus, nõ de Hebręis, qui exacerbauerũt Deum in deserto, vt quidã putant. Hac autẽ fulgurũ, fulminumque tempestate multos Ægyptiorum ante summersionem periisse, colligitur ex cap.14. Exodi

di 24. illis verbis: *Iámque aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam nubis, & ignis, interfecit exercitum eorum: & subuertit rotas curruum, ferebantúrque in profundum. Dixerúntque Ægyptij, Fugiamus Israël, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Et mox iussit Mosi vt extenderet manum super mare, vt reuersæ aquæ obruerent exercitum Ægyptiorum fugientium. Ergo antequàm obruerentur aquis, multos interfecerat Dominus è nube, haud dubium quin iaculatis fulminibus. Atque id confirmat vetus historicus Artapanus apud Eusebium lib. 9. de Præparatione Euangel. cap. vlt. qui ait fuisse Heliopolitarum opinionem de Ægyptiorum interitu in mari rubro. Mosem cęlesti præmonitum voce, baculo suo mare percussisse, & sic diuiso mari transisse: Ægyptios verò cùm nihilominùs Iudæos per idem mare insequerentur, tum fulminibus, tum refluentibus aquis periisse. Accedit huc Philo lib. 1. de vita Mosis, qui dum hunc Ægyptiorum interitum describit, inter alias eius causas, sic ait. Accessit nubis extremum agmen protegentis subsidium, emicante inde Numinis effigie, haud dubiè per fulmina: clariùs Iosephus lib. 2. de Antiquit. cap. 7. sic ait: Ergo cùm iam vniuersus exercitus introgressus esset, refunditur iterum mare, & Ægyptios fluctibus inuoluit, ventis etiam eodem impellentibus, accesserunt & imbres de cælo, & aspera tonitrua, fulguribus simul intermicantibus fulmina quoque deferebantur, & nihil omnino deerat eorum, quæ ab irato Deo hominibus ad perniciem immitti solent. Hucusque Iosephus.

E nube fulmine iaculata.
Artapanus.
Eusebius.
Philo.
Dei effigies visa.
Iosephus.

Quæ antè facti erant. Græcè, *Non sine antè factis signis vi fulminum.* hoc est, non sine signis, similibus iis, quæ sunt antè facta vi fulminum. Argumenta vocant indicia, aut signa. Sed de quibus signis loquitur antefactis, vi fulminum? Expositores communiter arbitrantur, conferri à Salomone signa facta aduersùs Ægyptios in mari rubro cum similibus paulò antè factis in Ægypto in plaga grandinis, de qua sermo habitus est suprà cap. 16. à versu 16. ex lib. Exodi cap. 9. 23. Nam similia illis fulmina iacta sunt in Ægyptios, Hebræos per mare insequentes. Verùm nonam cum Sodomitis init conferendi rationem, quos vi fulminum disperdidit Deus ob suam in hospites inhumanitatem, quam hîc confert Salomon cum duriori, quam exercuerunt Ægyptij in Israëlitas. Qui sensus ex sequenti collatione manifestus est: loquitur ergo de vi illa fulminum longè antè facta Genes. 19. 24. de qua dicitur: *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cælo, & subuertit ciuitates has, & omnem circà regionem.*
Cui simile supplicium passi sunt Ægyptij in mari rubro propter suas 15.
similes nequitias, de quibus iam loquitur.

Signa signis conferri in Ægyptiis factis putãt quidam.
Fulmina in Sodomitas cõfert cum fulminibus in Ægyptios iaculatis.

Etenim. Comparat inhospitalitatem Ægyptiorum cum inhospitalitate Sodomitarum, qui propter eam vi fulminum multò antè perierant:

Inhospitalitas Ægyptiorum. & Sodomitarũ collata.

nam grauiorem illi cum Israëlitis exercuerunt, quàm hi cum Angelis, Genes. 19. quòd Sodomitæ ignotos Angelos habitu hominum non recipiebant præsentes; at Ægyptij benefactores hospites seruitute presserunt.

Hospites vtiles Ægyptiis Israëlitæ. *Bonos hospites* Græcè, *benefactores, benemeritos*, qui salutem Ægypto attulerant, tum per Iosephum, tum per ipsos Israëlitas, quorum opera multi Ægyptiorum verum Dei cultum agnouerant, & cum ipsis recedentibus ex Ægypto recesserunt, quos vulgus promiscuum solet Scriptura vocitare: nam Exod. 12. 38. dicitur. *Sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis.* & Num. 11. 4. *Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagrauit desiderio sedens, & flens, iunctis sibi pariter, & filiis Israël.* Tum etiam aliis modis per Mosem; & nihilominus homines tam benemeritos, mortuo Iosepho, immemores beneficiorum, redegerunt in seruitutem, & quidem durissimam.

Vulgus promiscuum conuersum ad legem.

16. *Et non solùm hæc.* Græcè, *& non solùm, sed quadam visitatio erit illorum.* hoc est, & non solùm hæc faciebant; sed alius etiam respectus, seu aliud discrimen inter illos fuit, vel, Et non solùm prædicta modò potest obseruari inhospitalitatis Ægyptiorũ fæuities, sed etiam obseruatio, vel inspectio eius erit, aut ex hoc poterit inspici, quòd Sodomitæ inuiti recipiebant extraneos; at Ægyptij iam suos conciues factos.

Inhospitalitatis amplificatio.

Inuiti. ἀπεχθῶς, odiosè, aut *inimicè*, hoc est, acerbo, & inimico animo recipiebant extraneos: vnde Angeli confidentes in platea ciuitatis neminem habuerunt, qui hospitio exciperet præter Loth.

17. *Qui autem.* hoc est, Ægyptij autem, quod multò est detestabilius, Israëlitas, quos cum ingenti gaudio initio exceperant, præterea eisdem iam legibus vtentes, in seruitutem intolerabilem redegerunt.

Iacob hilariter exceptus ab Ægyptiis. *Cum lætitia.* Ex hoc loco discimus, cùm Iacob ingressus est in Ægyptum Genes. 47. & 48. magno gaudio, ac lætitia exceptum ab ipsis Ægyptiis propter Ioseph filium eius: at filios eius in eandem iam admissos rempublicam, & eodem vtentes iure, seruitute oppresserunt.

Iustitiis. δικαίων, qui iam ipsorum participauerunt iustorum. δικαία vocat eadem religionis iura, eosdem ritus, ac cæremonias, in quibus maximum coniunctionis est vinculum. Sed quia Israëlitæ non sequebantur Ægyptiorum religionem, siquidem illi Deum verum, hi verò Isidem, & Osirim, & similia monstra colebant; per iusta, aut iustitiam intelligere debemus easdem leges, eadem ciuilia iura, quibus Respublica continetur in pace. Vel, si eadem sacra secuti sunt Israëlitæ versùs Deum, est intelligendum: nam magna ex parte ritus, & cæremonias, & sacrificiorum diuersitatem ab Ægyptiis didicisse, & propterea quòd difficile dediscerent, à Mose illis præcepta, & in cultum Dei veri commutata, multorum Sanctorum certa opinio est.

Eadem Iura Israëlitis, & Ægyptiis. Iidem quoque ritus ad cultum Dei.

18. *Percussi sunt autem & cæcitate. Et*, pro, *etiam*, vt ob similem culpam similem pœnam ostendat inflictam, hoc est, sunt quoque Ægyptij, sicut

ficut Sodomitæ in floribus iusti Loth, cæcitate percussi, ob similem inhospitalitatem.

Cum subitaneis. Græcè, *cum vastis cooperti*, vel, *circumfusi tenebris, vnusquisque suarum portarum transitum quærebat.* Hoc quidam Sodomitis applicant, sed falsò:nam similitudo est huiusmodi; Quemadmodum Angeli suscepti à Loth, Genes. 19.10. introduxerunt illum ad se in domum, clauserúntque ostium, & eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium Loth inuenire non possent: ita Ægyptij, cùm per triduum densissimis circumfusi sunt tenebris, cæcitate percussi sunt, adeò vt vnusquisque ostia quæreret domus suæ, per quæ transire solebat, & nequaquam poterat inuenire. Ægyptij cæcitate pressi, vt Sodomitæ.

In se enim. Græcè ad verbum, *Per se enim elementa transmutata,* quemadmodum in Psalterio soni, rythmi, vel concetus nomen commutant, semper manentia sono. Quæ verba sic sunt coordinanda. *Per se enim elementa transmutata concentus nomen commutant, semper manentia sono.* Quemadmodum in Psalterio soni concentus nomen commutant, semper soni manentes. Quod paulò antè versu 6. dixerat, elementa quodammodo suam mutasse naturam, & aliam figuram induisse, vt Dei populo seruirent; pulchra declarat similitudine musici concentus, qui ex variis sonis concinnatur: est enim harmonia sonorum, ac vocum concinna compositio proportione comparata. Ait ergo: elementa dum inter se permutantur à Deo, perinde se habent ac scita harmonia seu suauis concentus in psalterio, qui ex diuersis sonis existit, nunquam suum sonum deferentibus, vel, Quemadmodum in harmonia manente sono cuiusque vocis, transponuntur, & mutantur concentus; ita in elementis cuiusque natura manente, vnus consurgit in opere concentus. 19. Elementorum concentus deseruientium populo.

Vnde æstimari. Græcè, quod licet coniicere ex inspectione rerum factarum exactè. hoc est, quod licet coniicere ex rebus, quæ antè acciderunt populo Dei diligenter consideratis. vel, quod hinc licet æstimare; vel, quod potest constare ex his rebus, quæ in Dei populo antè extiterunt, nempe vt sequitur.

20\. *Agrestia.* Probat harmoniam, vel concentum, qui seruatus est in elementis, ipsis permanentibus, Dei iussui inseruientibus. Nam armenta, & greges Israëlitarum, quibus terra data est ad degendum, per maris rubri fundum transibant, ac si forent aquatilia: & ranæ aquis assuetæ, vniuersam terram Ægypti operuerunt, & pisces mortui eiecti. Harmoniã probat exemplis.

21\. *Ignis.* Quando ignis cum grandine mixtus decidebat, ille non amittebat vim suam: siquidem simul cum aqua integer permanebat, vt suprà cap. 16. v. 22. consideratum est. Ignis & grando.

22\. *Flamma.* Et de hoc dictum est. cap. 16. v. 18. cùm vellent Ægyptij Igni: naturæ oblitus.

com

comburere igni ranas, muscas, & locustas in rogos congestas, quæ facilè comburi possent, ignis suæ naturæ oblitus, & mansuetus factus, illis pepercit, cùm in medio ignis inambularent.

Manna non liquefiebat. *Nec dissoluebant.* Græcè, *neque liquabile glacialis forma liquefaciebat genus ambrosij cibi.* supple, flamma. De Manna loquitur, quæ ignis calore non liquefiebat, dum coquebatur, vt diximus cap. 16.

23. Ambrosia quid. *Bonam escam.* ἀμβροσίας τροφῆς, *ambrosij cibi; immortalis esca*, vertunt alij. Erat Ambrosia Ethnicis Deorum cibus, ita dictus cibus Mannæ, quia è cælo demissus, vnde vocatus est panis cælestis, & panis Angelorum. Quemadmodum nectar potum Deorum existimabant Ethnici, sic Ambrosiam cibum, vnde Martialis:

Iuppiter ambrosia satur est, & nectare viuit.

Quamuis apud auctores confundantur, qui & cibum Ambrosiam, & potum existimant Eucharistiæ. Dictum nomen ab α, & βροτὸς, mortalis, vel quòd mortales eam escam non edant, vel quòd qui eam comederint immortales euadent; vt quidem euadunt immortales, qui Manna, vel Christiana vescuntur ambrosia, quæ est corpus Christi, seu Eucharistia.

24. Conclusio cum gratiarũ actione. *In omnibus.* Conclusio est operis, qua Sapiens Deo refert acceptum honorem, & nobilitatem, curam paternam, ac patrocinium, quibus in omni tempore, & loco prosecutus est populum suum: nam *non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Sed multò magis accepta referre debet beneficia sibi collata, honorem, nobilitatem, & curam, quòd multò hæc excedant illa Israëli præstita; quòd in figura Israëli tribuebantur, quæ populo Christiano in veritate, & superabundanter tribuuntur, & in cælo affluentiùs tribuentur, à Domino Iesu, cui omnis gloria, & honor in sæcula sæculorum, Amen.

Actio gratiarum magis à fideli debita.

Absolutum est hoc opus Compluti die 6. Iulij, anni 1604. dum octauus Apostolorum Petri, & Pauli dies festiuus agitur.

Ad gloriam, & honorem summæ Triadis, & B. Virginis Deiparæ Mariæ.

INDEX



INDEX LOCORVM OMNIVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI HOC IN COMMENTARIO VEL citantur, vel explicantur.

EX GENESI.

EX EXODO.

Eod.

EX LEVITICO.

EX NVMERIS.

EX IV. REGVM.

EX I. PARALIPOM.

EX II. PARALIPOM.

EX II. ESDRAS.

EX TOBIA.

EX IVDITH.

EX LIBRO IOB.

EX PROVERBIIS.

EX ECCLESIASTE.

EX CANTICO CANTICORVM.

EX

EX SAPIENTIA.

EX ECCLESIASTICO.

EX ISAIA.

galea

EX II. AD CORINT.

EX EP. AD GALAT.

EX EPIST. AD EPHES.

EX EPIST. AD PHILIP.

EX EPIST. AD COLOSS.

EX I. AD THESSAL.

exter

RERVM



RERVM AC VERBORVM OMNIVM, QVÆ HOCCE IN COMMENTARIO TRACTANTVR, atque continentur INDEX generalis.

A

lum

Aër.

Afflictio.

Altare.

Amor.

Anaxarchus.

Angelus.

Anima. Animus.

Chana

Diabolus.

Dies.

Diffidentia.

I

Iacob.

Idolum. Idololatra. Idololatria.

Ignis.

Ignorantia.

Impius.

Infantes.

Infernus.

Inhospitalitas.

Initium.

Iniusti.

 transf

Malum

de Sa

Tentare. Tentatio.

Theologia.

Tunica.

V.

Vaticinium.

Verbum.

Veritas.

Vestis.

Voluptarij

F I N I S

Indicum omnium, tam sacræ Scripturæ, quàm Rerum, ac Verborum.